







Euãgelista-
RIVM MAR. MARVLI

Spalatensis, opus verè Euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in VII. Libros partitum, atque emaculatius quàm olim, in lucem editum.



ACCESSIT HVIC, PROPTER IDEM FERE ARGVmentum, *Meginhardi uiri undecunque doctissimi, ad dominum Guntherum, de fide, uarietate symboli, & ipso symbolo apostolico, & peste multarum hæresum, sed insigniorum, Libellus, nunc diligentius quàm olim recognitus, & excusus*

PARISIIS

Apud Iacobum Keruer, via ad diuum Iacobum, sub duobus gallis.

1545.

FRANCISCVS IV-
lianus venetus, lecto-
ri felicitatem.



AVD SANE ME LAteţ multos, vt humano generi opitularentur, & nomē sibi ex hoc pararent, multa ingenij sui monimenta reliquisse. Cùm enim alia vetustate deficiant, sola literarum monimenta & æterna sunt, & mortalitum res æternitati commendāt. Nihil sanè æquè humanū est, quàm alteri prodesse. Quomodo enim melius ciuium cœtus publicè priuatimq́; nisi ab homine adiuuentur? Huiusmodi igitur viris de humano genere benè meritis templa dicata, arę erectę, statuæ cōsecratę fuere. Quid igitur Marci Maruli singularis viri laudibus par referemus? Cuius vigiliæ cæterorum labores à deo superant, vt quanto illi cæteris præstiterunt, tanto hic ipsis præstantior iudicetur, qui tanquam lucidum sydus hac nostra ætate enituit, qui non solum sibi natus, imò ad communem omnium vtilitatem nullis sudoribus parcit, vt hominibus auxilio sit: viuit, vt nos viuere faciat: laborat, vt quietem inueniamus: vt, inquam, benè beateq́ue viuendo (prout ipse præ cæteris docet) cœlorum sedes sortiti, beati æuo sempiterno fruamur, nosq́ue etiam in diuorum numerum relatos mortales ipsi ceu numina colant.

Quid hoc mai⁹ excogitari poteſt? Spreuit diuitias, ſpreuit honores, ab iis, in quibus ſummum bonum mortales collocant, ſe penitus abdicauit. Quid cætera commemorem, cum paruula admodum ſæpius incluſus cella, inter ſylueſtres arbores, feris tantum comitatus vitam degat, vt his curis alienus, nobis proſit. Scriptis ſemper vacat, quæ ſalutem vniuerſo terrarum orbi afferant, his ſe penitus addixit: Quid hoc viro, imò diuino ſpiritu ſanctius, quid beatius, qui in carne præter carnem viuens cœleſtem vitam in terris agit? Quis itaque tam aſſiduam eius in ſcribendo curã non admiretur, præſertim cum plurima ab eo volumina iam perfecta ſint? Ad deſcribendi facilitatem, ſermonis elegantiam, quodque verborum pondere, ſententiarumque grauitate nulli cõcedit. Interdum tamen ſedati amnis more labitur, modo paulum aſſurgens, ſine vllis ſalebris quaſi torrens pro rei qualitate decurrit incitatior. Acerrimè vitia inſectatur. Taceo multiplicem literarum cognitionem, vt vtrum elegantiore ſtylo, an doctrina magis valeat, non facilè poſſis diiudicare. Donauit itaque nos diuino hoc opuſculo, vt alias alia. Cui Euãgeliſtarium nomen indidit, ex intimis ſacræ theologiæ fontibus, abditaque inſtrumenti lectione hauſtum. Totam tripartitam moralem philoſophiam cõplectitur. Cuius diuina conſilia ſi exequenda curabimus, in diuorum quidem cœtu gaudebimus. Quo igitur maiori munere donari potuimus? Quare quantum ipſi debemus quis verbis queat conſequi? Commendauit hoc ſalutiferum opus Franciſco Lucenſi ſacerdoti integerrimo. (Cui enim aptius diuina commendari poſſunt, q̃ illi qui quotidie diuina attrectat? Qui vt bonos & doctos viros colit, & ab eiſdem colitur. (Simile enim ſimili veteri prouerbio facillimè hæret,) ita illorum opera vt quàm emendatiſſima excudantur, vehementer laborat. Leges itaque opus à viro & doctiſſimo &

optim

optimo elucubratum: à sacerdote verò rarissimo diligentissimè excusum. Tu igitur nocturna versato manu, versato diurna, cum tantum vtilitatis ex huius lectione capturus sis. Benè vale, & deum optimum maximum deprecare, vt Marulo nostro Nestoreos annos largiatur, ipsúmque feliciorem reddat. Expectato interim opus eiusdem Maruli de imitatione CHRISTI, compluráque opuscula Christianæ pietatis cultori fructuosissima. Iterum vale.

FRANCISCVS IVlianus Venetus, Marco Marulo viro doctissimo & optimo.

QVæ veterum pietas, fidei quæ gloria nostræ,
Iampridem scriptis innotuere tuis.
Silicet hoc vario deducta exemplo labore,
Et docuit miræ sedulitatis opus.
Nunc cœli dum pandis iter, dum numina nobis,
Vt mihi sis magni numinis instar, agis.
Quare agè, quo tantũ cœptum est pede, fortiter aude:
Et tua quo virtus te vocat, ista pete.
Sic decus, & nomen, laudemq́ue paraueris, vt tu
Extinctus superis adnumerere tuis.

FRANCISCVS IVLIAnus Venetus, Francisco Lucensi sacerdoti integerrimo.

QVanta tui est Maruli scribẽdo gloria, tãta est
Laus tua qui Marulũ viuere posse doces.
Adde, quod ingenio quãtũ contendere neruis
Fas fuit, vt latè splendeat, vnus agis.
Profuerat tibi Marce parum, noctesq́ue diesq́ue
Peruigilem studiis inuigilasse tuis.
Frustra omnis labor, & frustra hæc industria, ni te
Et populo, & longo vindicet iste situ.
Hic vitam dedit æternam, astruxitq́ue nitorem,
Hic tibi quæ deerant, cætera penè dedit.

IN-

INDEX TITVLORVM CVIVSQVE CAPITIS SEPTEM EUANGELISTARIJ LIBRORUM.

Tituli capitum libri I.

Tituli capitum libri II

Tituli capitum libri III.

De

Tituli ca-

Tituli capitum libri IIII.

Tituli capitum libri V.

De

Tituli capitum libri. VI.

Mala

Tituli capitũ libri VII.

De inobe-

FINIS.

M. M A.

M. MARVLI PRAEFATIO IN SVVM EVANGELISTARIVM.



Vemadmodum inter marmora ophites, inter gemmas adamas, inter metalla aurum ęstimatione pretioque pręstare putãtur, & sicut sol omniũ siderum fulgentiss. pulcherrimusq; habetur: ita supra omnes sciẽtias eminet illa, quam ethicem vocãt, quia de morum vitæque cultu pertractat. Cùm enim nihil in homine laudabilius virtute sit, nihil vitio detestabilius, quid ea doctrina magis egregium magisque amplectendum videri debet, quę hominem ipsum instruit ac erudit, qua ratione & à malitia declinet, & studeat probitati? Sed licet in isto tam præclaro docendi genere multa quidẽ sapienter & acutè à philosophis inuenta trãctataque ferantur, quis tum tanta desipit temeritate, vt illa cum his, quæ nobis diuinitus tradita sunt, vlla ex parte audeat conferre? Errare vtique ipsi philosophi potuere, sicuti & errarũt in plurimis, quoniam homines erant: deus autem quia solus consummatissimæ sapientiæ est, falli aut errare nullo modo potest, Eius ergo, quo nihil est verius, nihil sapientius, leges, præceptaque viuendi & nobis suscipienda proponimus, & alios vt suscipiant hortamur. Quibus profectò si obtemperare curabimus, non erit ipsa sibi pretium virtus, vt Stoici dixerunt, sed virtuti merces accedet, pro mortalitate immortalitas, pro corruptione incorruptio, pro miseria beatitudo, denique deo ipso frui licebit, cũ dei iussa peregerimus, eiusque perpetuo gaudebimus cõspectu, qui sua luce omnia illustrat, sua sapientia omnia guber-

gubernat,ſua potentia omnia ſuſtentat.Nihil nobis ad perfectam conſummatamq; felicitatem deeſſe poterit, cùm ab ipſius maieſtate atq; gloria,quā eloqui vel excogitare nemo poteſt recepti atq; aſſumpti fuerimus. Vt igitur ad tā immēſum & incōprehēſibile bonum peruenire tandem valeamus,veteris nouique inſtrumenti, quorum deus eſt autor,acta inſtitutionesque perſcrutabimur. Tria præcipua ſunt, quæ in his obſeruanda nobis mandātur:Fides.Spes,Charitas. Fides, vt credamus veriſsima eſſe, quæ Moyſes & prophetæ, quæ Chriſtus & Apoſtoli diuino ſpiritu afflati, locuti ſunt. Spes, vt exequendo ea quæ iubentur,illa quæ promiſſa ſunt,accepturos nos minimè diffidamus. Charitas,vt nihil agamus,neque dicamus, niſi quod deo gratum & hominibus credimus profuturum.Et quoniam quicquid vel agendum vel fugiendum præcipitur, ad hæc tria ſatis commodè referri queat,ex iis quæ ſcripturi ſumus,alia ſub fidei, alia ſub ſpei, alia verò ſub charitatis titulo expediemus:nihil omnino afferentes à ſcripturarū ſenſu autoritateque alienum.Non erit itaque meum quod docebo,ſed diuinum,& de ipſo ſanctorum voluminum theſauro fideliter ſyncereque depromptum : vt quicquid dixero,tam verum ſit,quàm ipſa veritas. Etenim ſtatui atque decreui,nuſquam à lege, nuſquam ab euangelio diſcedere,ſed per vtriuſq; ſcripturę ſpatia diſcurrendo, quæ magis neceſſaria nobis videbuntur, paſsim colligere,& in ſeptem digeſta libros quàm diligentiſsimè potero explanare, diſcereque volentibus offerre. Nihil in his inſeretur externum, ne alienis indigere videamur:noſtra tantū,quæ nobis in omni differenda de moribus materia ſatis abundeq; ſuppetunt,in medium proferētur,nullo exotici coloris fuco linita,ſed ſola ſui puritate cōtenta. Porrò opus ipſum Euāgeliſtarij noīe conſecrabitur,quāuis nō ſolum euangelij,ſed etiā legis dicta exemplaq; cōtinebit. Nam quoties per ſynecdochen à

chen à parte totum designare volum⁹, ab ea parte quæ insignior videtur, vocabulum imponi debet : vnde & puppim pro naui, & animam pro homine quãdoque legimus apud authores. Præstat autem legi euangelium: quia in lege futurorum signa erant, quę in euangelio impleta videmus: illic typus & vmbræ, hic veritas & vmbrarum caliginem dissipãs desiderata lux. Illic preterea per seruos suos nobis locutus est deus, hic per filium, & tunc quidem in Adam mortui erãmus, nunc viuimus in Christo. Explicata tandem rerum, quas aggredimur propositione, inscriptionisque ratione ostensa, reliquum est, vt spiritu sancto aspirante vela pandam⁹, & ab ipsa (quam deo debemus) fide, illo bene iuuante institutum opus auspicemur. Vt tamen cuique mox constet, quæ materia in singulis pertractetur libris libuit prius indicem librorum & eorũdem capitum cum titulis seriatim subnotare.

PRAEFATIONIS FINIS.

Euan-

EVANGELISTARII Marci Maruli, viri in Euangelicis literis exercitatissimi Liber I. quòd verissima sint, certaq; fide amplectenda, quę Moses & prophetæ, quæq; Christus & Apostoli diuino afflati spiritu tradiderunt, edocens: aliaq; plura Christi pręclara complectens dogmata: quæ videlicet accommodatius sub fidei titulo digeri visa sunt.

De fide deo præstanda. Cap. I.



Rimus igitur sperãdæ beatitatis gradus, fides est. Credamus deo, credamus dei filio, & quicquid spiritu sancto instructi diuini homines de iis, quæ nõ vidimus, nobis testati sunt, indubitatæ credulitatis assensu suscipiamus. Vt iacto rectæ fidei fundamento, cæteras, quibus beata vita comparatur, virtutes superædificare possimus, & de nobis dici queat: beati, qui non viderũt & crediderunt. Iohan. 20. Vnde etiam sacramentum corporis & sanguinis sui dominus sub panis, viníque specie instituit: vt non quod cernimus, neque quod tangimus, sed quod credimus, in terra adorãtes, hoc ipsum videre in cœlo mereamur, exultantes. Et quoniam vnus fidei nostræ finis est, diuino frui conspectu, consulens nobis ipse

Marc. 1. saluator noster ait: Pœnitemini & credite euangelio.
Tunc enim plurimum prodest euãgelii fides, cum nos
delictorum, quibus deum, hominésque offendimus, pœ-
Idem. 10. nitet. Idem alibi præcipit, dicens: Habete fidem dei.
Qui fidem dei habent, hi non humanæ solertiæ calli-
dè inuentis, argutéque conclusis credunt, sed soli veri-
tati diuinitus reuelatæ firmiter adhærent, humanam
doctrinam diuinæ semper posthabentes. Idcirco qui-
dem & ad Samaritanam mulierem, id est, ad animam
per fidem saluandam, ipse veritatis magister Christus
Iohan. 4. dixit: Crede mihi mulier, quasi diceret, mihi crede,
qui dei sapientia sum, non philosophis, qui humana sa-
piunt, non poëtis priscæ fatuitatis scriptoribus, qui in
deorum vix numeranda multitudine delirant, neque
Iudæis, qui trinitatem denegant, non intelligentes in
vna, simplicique substantia personarum pluralitatem,
quam & ipse sanctus propheta Dauid vidit, dicens: Di-
Psal. 109. xit dominus domino meo, sede à dextris meis. Et alibi:
Psal. 42. Verbo dei cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis
virtus eorum. Quod si rectè acciperent, etiam in vete-
ribus scripturis mysterium sanctæ trinitatis contineri
faterentur, & nobiscum simul sentirent. Crede mihi,
inquit. Distantiam quidam faciunt, inter credere deo,
& credere in deum: vt credere in deum, sit per fidem
operari, & eius cui credimus, præcepta exequi. Hinc
Iohan. 6. idem ait: Hoc est opus dei, vt credatis in eum, quem mi
sit ille. Prius tamẽ credimus, deinde operi accingimur:
alterum sine altero, nihil proficit ad salutem. Cæterũ,
fieri solet, vt ad sectæ huius professionem accedentes,
nonnihil suspensum animum primitus gerant. Deinde
(si tamen dignoscendæ veritatis proposito hoc agunt)
magis illuminati, nihil verius esse existimant, quàm
quod sacrarum literarum monumentis contineri co-
gnoscunt. Qui ita in fide stabiliri cupiunt, omnes autẽ
cupere debent, deo supplicent, & hominem illum imi-
tentur,

tentur, qui in euangelio ait: Credo domine, adiuua incredulitatem meã, simul enim & credebat & quasi incredulus nutabat. Et quoniam experimento iam didicerat, suam credulitatem omnino infirmam esse & imbecillam, nisi auxilio iuuetur diuino, à domino opẽ petiit, vt perfectius crederet. Porrò, qui iam de religione nihil dubitant, continuò de Iudæa ad montes transmigrare cupiunt, ad altiora virtutum culmina cõscẽdere nituntur, & credendo in filium, peruenire festinant ad patrem, ipso filio dicente: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. Fide enim penetramus vsque ad inuisibilia dei. Ne autem ipsum, qui est missus minus aliquid habere putares, quàm eum, qui mittit. Rursum ait: Creditis in deum, & in me credite. Aequalem se illi testatur, dum eandem ipse de se fidẽ exigit, quæ habetur de deo patre. Cui sentẽtiæ & illud dictum congruit: Ego & pater vnum sumus, non propter assumptam humanitatem, in qua minor sum patre, sed propter substantiæ vnitatem, in qua illi æqualis sum. Cum ergo patris & filij & spiritus sancti vnam eandémque deitatem confessi fuerimus, consequens est, vt de ipsius filij doctrina nihil hæsitemus. Postquàm autem omnes prorsus ambiguitatis tenebræ cordis latebras excesserint, tunc reliquum erit, vt nobis ad bene, beatéque viuendum & cupiditas accendatur, & detur facultas. Quod quidem futurum pollicetur dominus, dicens: Qui habet, dabitur ei, & abundabit: hoc est, qui habet fidem, merebitur gratiam, & fructibus exuberabit virtutum. Sic & luxurioso, prodigóq; filio, post offensam ad patrem reuertenti, petentíque veniam, non solum ignoscitur, sed etiã datur stola, vt veteri homine deposito, nouũ induat: anulus in manu, vt iustitiæ operibus incumbat: calceamenta in pedibus, vt ipse firmiter incedens, aliis quoque se itineris quo ad Christum peruenitur, ducem præstet: atq; alios doceat, quod ipse

Marc. 9.
Iohan. 14.
Idem. 10.
Matth. 13.
Luc. 15.

prius & didicerit & fecerit. Semper tamẽ meminerit, ad fidei perfectionem non, nisi deo adiuuante, se posse
Iohan. 6. peruenire, cùm saluator dicat: Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Illi ad Christum trahuntur, qui trahi volunt, quique orant vt trahantur. Nemo saluatur inuitus. Vt velimus, nostrũ est:
Iohan. 7. vt autem velimus & possimus, dei est. Si quis sitit, inquit, veniat ad me & bibat. Sitiant igitur & esuriant iustitiam, qui iustitiæ pabulo saturari volunt, & tunc demum ex abũdãtia cordis os loquetur. Ipse enim subiungit, dicens: Qui credit in me, sicut dicit scriptura: Flumina de vẽtre eius fluent aquę viuæ. Quod exponẽs Euãgelista, ait: Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credẽtes in eum. Fidelis ergo Christianus, veritatis & intelligẽtiæ impletur spiritu, quo iam plenus, saluberrimis vitæ præceptis incipit scaturire. Minimè quippe otiosi sunt, qui diuino agũtur spiritu. Hic idem Christum dominum in se manentem habet, di-
Iohan. 19. cẽte illo: Manete in me, & ego in vobis. Et rursum: Qui manet in me, & ego in eo. Quãtum autem boni ex hoc cõsequamur, continuò declarat, dicẽs: Hic fert fructum multum. Ne quis tamen quicquam suæ libertatis arbitrio magis, q̃ gratiæ tribuat diuinæ, subiunxit: Quia sine me nihil potestis facere. Itaque vt possimus, vt valeamus ad vitæ melioris, perfectiorisque statum peruenire, futuri ædificij fundamenta non alibi ponenda sunt, quàm supra firmissimam petram Christum, qui
Matth. 16. de semet loquens, ait: Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Quam petram ille, qui primus confessus est, Petri nomen accipere meruit, & inter apostolos tenere principatũ. Hoc igitur quod Iudæis dictum
Iohan. 8. est: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite, nobis
Genes. 15. quoq; dictum putemus: Credidit Abraham deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Fides sola nunquam ei ad iustitiam reputaretur, nisi congruis fidei virtutum ornamentis

namentis sese excoluisset. Et hoc est quidem quod alibi ait dominus: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horũ faciet. Maius enim est piè, iustéque viuere, quàm miracula facere, quæ etiam per impios quãdoque fiunt. Sed qui ex veritate est, inquit, audit vocem meam, hoc est, qui in me credit, qui sum veritas, hic præceptis meis obtemperat, & me imitari pro viribus contendit.

Iohan. 14.
Iohan. 18.

De fidei constantia & virtute.

Cap. II.

CAeterum nisi rectæ religionis fides semel suscepta constanter teneatur, virtutes quoque effluere ac dissipari necesse est. Conuulsio quippe fundamento, quicquid super ædificatum fuerit, corruet. Firma sanè fides fuit cæcorum illorũ, qui increpiti, vt tacerent, magis clamabant: Domine, miserere nostri fili Dauid, Chananææ quoq; mulieris incõcussa permansit credulitas: & quod credendo atque sperando poposcerat, perseuerando impetrauit. Inuicta denique fuit ipsorum martyrum in credendo constantia. Cæde, vre, occide, inquiũt, cuncta quę homini inferri possunt tormẽta, prius in corpore nostro perferemus, quàm Christum negabimus. Hi ergo fuere, qui domum sibi non in terra, sed in cœlo ædificare volentes, fidei suæ fundamentum supra firmam petram posuerant: atque ideo domus illa nec fluminis illisione, nec validis ventorum flatibus potuit moueri. Sed hanc quoque in credendo constantiam à deo petendam esse docet dominus, dum ad Petrum conuersus, ait: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Stabilitæ autem in deo fidei quanta vis virtúsque sit, quis explicet? Chananæa credens, responsum accipit: Fiat tibi sicut vis, quod multo plus est, q̃ si audisset: Fiat tibi sicut petisti. Minus enim interdum petimus quàm volumus, ne impudens videatur petitio.

Luc. 18.
Marc. 10.
Matth. 20.
Idem. 18.
Luc. 22.
Matth. 15.

Iohan, 8. Et illud profectò ad credulos est dictum: Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Casso nimirum labore tota gentilium philosophorum schola desudauit in quærenda veritate, quam sola Christi aperuit fides. Frustra Romani liberos se esse iactitarunt, dum orbi terrarum dominarentur. Fidei enim Christianæ veritas, verè liberos reddidit credentes, non potētiæ fastus terrenæ. Sola quippe ex corruptibilibus incorruptos, & ex mortalibus facit immortales. Virtus etiam fidei in eo enituit, quòd ex tam infirmo principio tantū roboris concepit, vt humiles homines, pauperes, inermes, neque persecutionibus neque cædibus cohiberi potuerint, quin longè latéque reuelatæ diuinitus veritatis verba disseminarent. In omnem terram exiuit sonus

Psal. 18.

Matth. 13. eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Hoc sanè fuit granum illud sinapis, quod minimū erat omnium seminum: postquam autem creuit, maius factum est omnibus oleribus: euasitque arbor grandis, in cuius ramis volucres cœli habitarunt. Nusquam enim alibi cœlestia contemplantium mentes iucundius conquiescūt,

Matth. 17. quàm in ipsa Euangelicæ doctrinæ lectione: Si habue-

Marc. 4. ritis, inquit, fidem, sicut est granū sinapis. Ad naturam seminis referēdum est, ex quo fit arbor magna. Magna igitur fide opus est, vt magna operemur, & credentibus nihil impossibile sit. Etenim perfectè credentes nihil inutiliter petent, ideo nec montes transtulisse feruntur, non quia nequiuerint, sed quia nō expedierit. Non minus autem mirabile fuit, mortuos suscitasse, quādoquidem fecerunt, quàm montes transtulisse: quod fecissent, si vtile fore cēsuissent. Vnde alibi etiam domi-

Marc. 9. nus ait: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Sed videamus quænā sunt ista omnia, quæ factu pos-

Matth. 9. sibilia dicat. Centurionis fides seruum suum paralyticum sanat, dum ipse à domino audit: Vade, & sicut credidisti fiat tibi. Fides mulieris hæmorrhoiden patien-

tis

tis, ipsam morbo liberauit: fimbriam tetigit saluatoris, nihil de omnipotentia eius hæsitans, & meruit audire: Filia, fides tua te saluam fecit. Fides leprosos mũdauit: & ei, qui reuersus pro beneficio accepto gratias egit, dicitur: Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit. Fides cæcum illuminauit, qui dum misericordiam implorat vt videret, statim audiuit: Respice, fides tua te saluum fecit, & confestim vidit, atque vt benefactori gratiam quam poterat, referret, sequebatur illum, vt Euangelista ait, & magnificabat deum. Fides Iairi synagogæ principis, filiam eius mortuam vitæ restituit. Domino enim iubente vt surgeret, quæ iam exanimis plangebatur, viua in pedes se erexit. Fidei denique merito Martha & Maria Lazarum fratrem, quem mortuum sepultumque, & iam fœtentem fleuerant, iterum viuum receperunt, dicente domino: Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. Et rursum: Si credideritis, inquit, videbitis gloriam dei. Præcessit ergo fides & subsecutus est tam grandis miraculi effectus. Omnium tamen quæ per fidem Christi facta sunt, quæque fiũt, fientve, hoc maximum quidem est, quòd per eam ipsi credentes de mundi huius miseriis ad cœlestem transferantur beatitudinem, perpetuóque felices efficiãtur. Omnis, inquit, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum, coram patre meo, qui in cœlis est. Si ergo in terra vt oportet crediderimus, illic certè in cœlesti gloria coronabimur, vt optamus. Beatus, inquit, qui non fuerit scandalizatus in me. Scandalizantur illi qui dubitant, nec satis credunt. Vnde Apostolus: Nos, ait, prædicamus Christum crucifixum, Iudæis scandalum, gẽtibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum dei virtutem & dei sapientiam. Sed post Christum quid quæso beatius matre Christi? & ipsa tamen ideo beata prædicatur, quia de nuntio sibi cœlitus allato nihil dubitauit, sic

Luc. 7.

Matth. 10.
Marc. 8.

Luc. 12.
Idem. 7.
1. Cor. 1.

enim spiritus sanctus per os Elizabet eius cognatæ ad
Luc. 1. eam dixit: Beata quæ credidisti, quoniam perficientur
ea, quæ dicta sunt tibi à domino. Porrò ne quis quasi
propinquæ ad propinquam dictum cauilletur, audiat
Iohan. 5. ipsum dominũ dicentem: Amen, amen dico vobis, quia
qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternã, & in iudicium non venit, sed transit
à morte in vitam. Vnde etiam latroni in cruce credẽti
atque confitenti, respondit: Hodie mecum eris in paradiso. In paradiso vtique omnium bonorum pleno, &
nulli vnquam obnoxio molestiæ, nulli querelæ, cũ iterum veritas dei dicat: Qui venit ad me, non esuriet: &
qui credit in me, non sitiet in æternum, & paulo post:
Iohan. 6. Hæc est, inquit, voluntas patris mei, qui misit me, vt
omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam
æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die, vt
videlicet non solum in anima beatus sit, sed etiã in corpore. Atque vt se esse filium hunc, in quem credere oporteat, ostenderet, postea intulit: Qui credit in me,
habet vitam æternam. Præsentis temporis verbo vtitur, vt credentes, & secundum ea quæ credunt, viuentes, iam beatæ æternitati prædestinatos monstraret.
Ne autem minus rectè credendo, ab ipsa patris diuinitate filium separemus Arrianæ impietati assentientes,
Iohan. 17. alibi idem ad patrem conuersus, dixit: Hæc est autẽ vita æterna, vt cognoscãt te solum deum verum, & quem
misisti Iesum Christum. Pater igitur & filius, & vtrique communis spiritus sanctus solus verus deus est, trinus in personis, vnus in substantia. Et si hoc credere vita æterna est, profectò qui sanctæ trinitatis fidem non
tenent, licet vnum deum, vnum dominum & credant
& prædicent, vitam æternam habere non poterunt.

De fide

De fide sine operibus. Cap. III.

VT autem fides nostra ex omni parte perfecta sit, operibus compleatur iustitiæ. Vt quid enim euangelio credimus, si secundũ euangelium non viuimus? Quid Christum confitemur, si præceptis eius non obedimus? Talis fides iuxta Iacobi apostoli sententiam, mortua est. Mortui sunt ergo illi, qui quod verbis credere se aiunt, factis non probant. De quibus dominus ait: Dicunt & non faciunt. Illis vtique comparandi, qui Christum spinis coronatũ, genu flexo adorabant, non vt eum venerarentur, sed vt deriderent. Vel etiam illis simillimi, qui eidem sitiẽti vinum quidem porrigebant, sed felle mixtum. Quare autem illi vinum illud gustauit, & bibere noluit? quia licet diligat confitentium fidem, fidei tamen præceptis aduersantes non recipit. Quamuis enim aliquis ad nuptias fidei inuitatus veniat, vestem tamẽ nuptialem, hoc est, virtutum ornamenta non habens, de ædibus eliminatur, & (quod deterius est) manibus pedibúsque ligatis, proiicitur in tenebras exteriores: ibi erit (inquit) fletus & stridor dentium, vt discas eos damnãdos esse, qui vel per otium vel malitiã beatitudine fidelibus promissa se fecerint indignos. Quos etiam cum fatuis virginibus in euangelio conferre possumus. Virginitatem quippe fidei habent, quia syncerę credunt: sed piæ rectæque actionis oleum, quo fides ipsa illustratur, non habent. Frustra itaque clamant, Domine domine, aperi nobis, ipso domino aditum præcludente, ac respondente. Amen, amen dico vobis, nescio vos. Quid quæso infelicius, quid calamitosius, & ab illo ignorari, qui solus nouit omnia? Illos autem nescire dicitur deus, quos à se reiicit, & procul à beatorum repellit cõsortio. Vnde ait: Non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem patris

Matth. 25. Matth. 27. Matth. 22. Matth. 25. Matth. 7.

Matth.7. patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Nemo itaque sibi de sola fide plaudat: iustitiam iungat fidei, si vitæ æternæ premia consequi desiderat: alioquin ne miracula quidē aliquando fecisse illi proderit, à quo abest iustitia. Ideo subditur, Multi dicent mihi in illa die, domine domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.

1.Cor.13. Hoc idem Apostoli verba docent, dicētis. Si fidem habuero, ita vt montes transferam, charitatem autē non habuero, nihil sum. Cæterum hoc quoque mali, credentibus & non operantibus contingit, quod cum sese

Matth.21. otio dederint, etiam fide deficere incipiant. Hoc in illa fici arbore apparuit, quæ quoniam fructibus carebat, maledicto domini arefacta, etiam folia quæ sola habebat amisit. Exiccato autem omni humore, nulli vsui apta nisi ignibus fuit. Ita nonnulli qui Christiano censentur nomine, cum sese ignauia corruperint, si quid Christianitatis conceperant, totum consumunt, æternisq; ardoribus digni efficiuntur, cum infidelibus cruciandi, nisi pœnitentiam egerint, & ante vitam correxerint, quam iusti iudicis sententiam subire cogantur. Sed si neque fides actionibus bonis carēs à morte liberat, quanto damnabiliorem putabimus perfidiam.

De perfidia. *Cap.* IIII.

NVnc ergo quam perniciosum sit, ab euāgelica veritate dissentire, ipsorum euāgeliorum testimoniis probare conabimur, vt cum aduersariorum mens pertinacior nullis argumētis flecti queat, saltem nostri ea secum considerantes, in proposito fidelis professionis intentius perseuerent, fortiusque stabiliātur.

Marc.16. Qui non crediderit, inquit, condemnabitur, ne videlicet bona consequatur fidelibus promissa, sed pœna in-

fidelibus

fidelibus proposita puniatur. Pœnæ autem vel maxima pars erit, meminisse æternæ beatitudinis quã amiserunt, minas domini contemnendo, dicentis. Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua & patris & sanctorum angelorum. Et iterum: Qui negauerit me, inquit, coram hominibus, negabitur coram angelis dei. Hoc ipsum est, quod de illis, qui inuitati venire neglexerãt, dixit: Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam. Et cum summi boni participes esse nullo modo possunt increduli, additur dolori cumulus, quod continuò post vitæ huius finem, summum malum subire cogantur. Hoc quoque tibi indicat ille in euangelio, qui non habens vestem nuptialem, id est, fidei lauacro carens, non solum propellitur è conuiuio, sed etiam ligatis manibus ac pedibus, in tenebras mittitur exteriores. Væ etiam illi dicitur, quo fide aduersante, fideli alicui scãdalum oritur: & melius cum ipso actum iri, si molari lapide ad collum alligato, in mare proiiciatur. Etenim remissior pœna eũ manet, qui per incredulitatem se solum perdit, & peruersa suasione alios non inquinat. Quamuis autem leuius crucietur, æternæ tamen morti, sicut & illi, qui alienæ subuersionis authores sunt, obnoxius est. Si non credideritis (inquit) quia ego sum, in peccato vestro moriemini. Quid sit ita mori, Iohannes in Apocalypsi ostendit dicens: Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mẽdacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. Qui ergo in peccato incredulitatis moriuntur, inferni ardoribus traditi sunt. Hoc vt magis manifestum faceret dominus, ait: Si quis in me non mãserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignẽ mittent, & ardet. Tritici præterea & zizaniorum parabola, distantiam fidelis

Luc. 9.
Idem. 12.
Idem. 24.
Matth. 22.
Luc. 17.
Apoc. 21.
Iohan. 15.

Matth. 13. delis & infidelis demonstrat, dicente domino: Colligite primum zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum. Alteri ergo in ignẽ proiicientur, alteri ad vsum domini in thesauris cœlestibus translati seruabuntur. Quamobrem de nobis solicitus saluator noster, vt hæreticorum doctrinam deuitemus, hortatur & ait: Cauete à fermẽto pharisæorum & sadducæorum. Parum enim fermẽti, vt Apostolus inquit, totam massam corrumpit. Idem rursum ait: Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum, & multos seducẽt. Cum hæreticis igitur & bonarum mentium seductoribus, perniciosa est conuersatio. Si quos ergo diuinitati Christi derogare videris, eos non Christianos esse existima, sed Antichristos: nõ minus execrãdos illos, qui in domo Caiphæ in eum spuere, & faciem eius velare, quique caput ipsius & spinis compungere, & arundine ausi sunt verberare. Nã Christi caput deus, Christus autem caput nostrum est. Rursum, si quem circa humanitatem eius errare senseris, eum sic existima, quasi qui ipsum vestibus exuat, & nudum extentumq; affigere cruci non dubitet. Talis Manichæorum fuit impietas, qui Christum non ex virgine natum dicebant, sed tantummodo in phantasmate visum. Horum profectò & his similium fugiendum est consortium. Sunt enim in pellibus ouium lupi rapaces, dũ simulatione credulitatis fidelibus insidiantur. Sunt abominatio desolationis stans in loco sancto. Fingunt enim se cum ecclesia Christi sentire, & tamen malignę argumentationis machinis eam destruere & euertere conãtur, & sancta eius prophanare. Malè interpretantur scripturas, diuersisque sensus dogmata conscribũt, & se veritatis assertores esse prædicant, vt Iudam imitati osculo Christum prodant, & spongiam fellis calamo impositam ori eius offerant, illis ipsis qui olim hoc egerunt,

Margin notes: Idem. 16. (beside "reticorum doctrinam"); Matt. 14. (beside "nus execrãdos"); Hæretici. (beside "dum extentumq;").

egerunt, deteriores. Si quid eos petieris, porrigent tibi pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro ouo scorpionem, pro bono videlicet malum, pro veritate mendacium, pro antidoto venenum. Quo autem facilius illos declines, audi dominum dicentem: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Aut enim terrenarum rerum studiosi, cœlestia contemnũt, otiosique in foro negotiantur, & in vinea domini operari nolunt: aut voluptatibus & impudicitiæ seruiunt, porcis illis similes, qui receptis intra se immunditiæ spiritibus, in profundum maris præcipites iere, aut auaritiæ student, cum Iuda vendentes dominum, & cum custodibus accepta pecunia, negantes eius resurrectionem, aut de omnibus dubij atque animo suspensi, nihil affirmare audent, quibus dicitur: Quare timidi estis, necdum habetis fidẽ? aut procaces sunt, vt illi qui prætereuntes Christum in cruce pendentem blasphemabant, aut iniqui & in omne scelus proni, satanæ primogeniti, quibus dicere possis: Vos ex patre diabolo estis, aut prorsus in errore ita obdurati, vt nec ratione, nec authoritate, nec miraculis moueantur, facti lapides, in quibus semen verbi dei arescit, & spinæ, in quibus præfocatur, & via in qua cõculcatur, quibus dominus ait: Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrũ non accipitis. Hi sunt qui lapides cordis sui tollunt, vt his obstinationis telis Christum repellant, & ipse abscondit se, ne quando veritatem agnoscant, qui mendacio iam occalluerunt, quibus si ipse sua voce dixerit: Ego sum, retrorsum abibunt, & in eodem corruent luto vitiorum, quo tam nequiter infecti sunt. Et quoniam occæcauit eos ipsa animi malignitas, cum etiã ab aliquo fideli doctore quæ vera sunt audierint, non satis intelligunt, & tenebris repleti, lucis disciplinam suscipere nequeunt. In tenebris ergo & in vmbra mortis sedent, & diligunt magis tenebras quàm lucem, quibus ait dominus:

Matth. 7.
Matth. 8.
Marc. 4.
Iohan. 3.

Iohan.33. minus: Quęretis me, & non inuenietis. Quærētes quippe eum in scripturis, dum sanæ intelligentiæ sensum peruertunt, minimè ipsum inueniunt, terrenarúmque rerum impediti curis, cœlestia capere nequeunt, mundúmque magis quàm mundi dominum diligentes, non iam mundani, sed mundus appellantur, domino ita de illis ad patrem dicente: Pater, iustè mundus te non cognouit. Huius mundi dominus, diabolus est. Apostolus

Ephes.6. enim cum de diabolo loqueretur: Princeps mundi huius, inquit, & ne incertum esset de quo mundo diceret, addidit: Mundi tenebrarum harum. Ille itaque qui pertinaciter errat, & mundus tenebrarum est, & diaboli seruus. Dei creatura es ô homo, dei iuris es, cur auerteris ab eo cuius es, & illi te tradis cuius non es? Dictū est: Date deo, quæ dei sunt: & tu quæ dei sunt, porrigis diabolo. Quid tunc dicturus es, cum ipsum, cuius doctrinam contemnis, te iudicantem videris, tibíque dicentem videris, tibíque dicentem audieris, In pro-

Iohan.1. pria veni, & mei me non receperunt? Qua fronte, qua fiducia tunc rogabis vt ipse te recipiat, quem omnino negare nō poteris, abs te receptum non fuisse? Quid de illorum incredulitate dicam, qui ne miraculis quidem mouentur, quos tamen admonens dominus, ait: Si mihi

Iohan.10. non vultis credere, operibus credite, quæ si ab homine fieri nullo modo possūt, cur nō creditis in me aliquid esse supra hominem? Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt: & vos me hominē esse confitemini, deum negatis. Talia & ab hominibus facta sunt inquiunt: sed qui hoc fatentur, nónne verius dicerēt non ab hominibus, sed per homines facta fuisse, si considerare vellent, in cuius nomine, quo inuocato facta sint? Quod si hæc miracula, vt debent, facta esse à deo credunt, & per quos ea ipse fecerit, veraces & sanctos fuisse non negāt, dicant, quis vnquam illorum, se vel deum, vel dei filium esse confessus sit? Et si eum se

esse

esse Christus affirmauerit, cur eius verbis fidem non præstant, cum etiam ipsi homines, quibus talia agendi data fuit potestas, in nomine Christi ea se egisse nunquam dissimularint? Quibus certè si crederent, & in Christum, qui ab iisdem prædicatus est, crederēt. Porrò cum nec operibus volunt credere, audiant inclamātem: Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitētiam egissent. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quā vobis. Tyrus & Sidon ciuitates idololatræ erant, vitiísque deditæ: & tamen his acerbius punientur illi, qui cum per inuocationem Christi non pauca prodigia facta viderint, Christum non vt deum recipiunt, & minus aliquid patre affirmare non dubitant. Matth. 11.

In illos qui de miraculis, quæ scripta sunt, dubitant. Cap. V.

SVnt qui signa illa quidem facta fuisse legunt, sed an verè facta fuerint, animo suspensi sunt, ac simile aliquid suis ipsi oculis intueri, spectaréque affectant. Quibus respondens dominus, ait: Generatio praua & adultera signum quærit. Et quoniā qui dubitant, indigni sunt, vt tale aliquid cernant signū, inquit, non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Quæri potest, cur dictum sit: Et signum non dabitur ei, cum Iudæis incredulis multa signa data fuerint? Sed qui signo, id est, miraculo dominicæ resurrectionis, cuius typus Ionas fuit, non crediderunt, quod maximum erat, multo minus aliis non ita magnis credere poterant. Maius est enim semet à morte reuocare ad vitam, quàm alios ad vitam incorruptibilem atque immortalem, quàm ad corruptibilem atq; mortalem. Non est ergo eis datum signum efficacius ad credēdum Christo, quàm ipsa resurrectio

surrectio Christi, quam tamẽ subornatis per largitionem custodibus, denegare conati sunt. Eorũ perfidiam imitantur, qui miracula ipsi cernere quærunt, & de illis quæ in Euangelio recensentur, dubitant. Pharisæis quoque & sadducæis infidis comparandi, qui de cœlo signũ sibi ostendi petierunt, non satis habentes ea, quæ facta coram se in terra viderant. Iure igitur ac meritò talibus exprobrauit dominus, dicens: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Et si non credideritis, inquit, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Mori autem in peccato, vt suprà ostendimus, omni alia morte peius est. Qui dubitat, Christi aduersarius esse conuincitur, ipso dicente: Qui non est mecum, contra me est. Petrus dubitando cœpit mergi, discipuli non potuerunt eiicere dæmonium. Zacharias factus est mutus, & hi quidem quod dubitando amiserant, credendo recuperarunt. Tu quoque nisi dubitare desieris, non poteris euitare dæmonum dolos, nec loqui ea quæ tibi saluti esse possent, nec iam emergere de abysso inferni, si modo cum corde isto dubio tibi decedere cõtigerit. Quòd si cum Thoma hactenus dubitasti, iam & cum eodem credens Christum confitere, dicens: Dominus meus & deus meus. Alioqui ne illa quidem, quæ bene egeris, prodesse tibi poterũt ad salutem. Nisi enim firma petra, quæ est Christus, fundamentum tui ædificij fuerit, quicquid operis extructum erit, corruet. Vt autem operis tui labor non sit irritus, crede deo, non hominibus: apostolis, non philosophis: ecclesiæ dei, non diaboli synagogæ, cum filius dei dicat: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur, hoc est, omnis religio, omne dogma, quod alio præterquam deo authore inductum fuerit, diu stare non poterit.

Matth. 16. Iohan. 4. Idem. 8. Matth. 12.

De

De ecclesia fide fundata. Cap. VI.

PEr hanc ergo fidem diuinitus nobis reuelatã ædificata est ecclesia supra firmissimã petram Christum, dei filium, dominum nostrum. Si fideles simus ipsi sanctæ dei ecclesiæ, cuius caput est Christus, membra corporis Christi sumus. Qui autem non credit ecclesiæ, nec potestati eius subiicitur, ille abcisus & abiectus est, atque cum mortuis computatus, nisi forte pœnituerit eum erroris, ac rursum per fidem iunxerit se ecclesiæ, mandatáque eius perfecerit. Solo enim fidei glutino corporis huius membra ferruminãtur, spe firmantur, charitate perficiũtur. Igitur quicquid catholicæ apostolicæ'que ecclesiæ recepit authoritas, & te illud citra omnem cordis hęsitationem recipere oportet, & quicquid seruãdum constituit, obseruare: si cum Christo viuere mauis, quàm cum infidelibus interire. Ecclesia nauis illa apostolorũ est, quæ fluctibus & procellis multarum hæresum inquietabatur, sed dum fideles in remigando laborarent, hoc est, in tuenda defendendáque veritate fatigarentur, ope adiuti diuina, superiores euasere. Suscepto enim Iesu in naui, cessauit ventus: & turbines errorum dissipati sunt. Sed obserua quòd ad laborãtes venit Saluator, non ad desides & pigros, & à iustis operibus otiosos. Qui ergo quod per se facere potest, non omittit, facile impetrabit, vt etiam illa, quæ per se facere nequit, efficiat. Porrò prima ab initio ecclesia illa in euãgelio parabola est. Homo plãtauit vineam, id est: deus pater domum Israël: circundedit eam sepe, custodia muniuit angelorum: posuit in ea lacum siue torcular, id est, legem præceptis vitæ redundantem: ædificauit turrim, id est, templum. Turris quippe arx est vrbis, ita oratoria nobis munimenta sunt, ad quæ confugientes, carnis dæmonũmque impugnationes minus timemus, orationis armis accincti, &

Marc. 6. (margin, beside "Ecclesia nauis illa apostolorũ est")

Luc. 20. (margin, beside "initio ecclesia illa in euãgelio")

cœlestis cõtemplationis fide protecti. Sequitur, Et peregre profectus est, non discedendo, sed permittendo, vt in vtranque partem libera sit operandi facultas. Misit deinde seruos ad fructus vineæ colligendos. Misit enim prophetas, qui mandatorum dei obedientiam exigerent, sed agricolæ, id est, Iudæi proterui, & nullius bonæ disciplinæ patientes, nec dei sui nuntiis pepercerũt alium afficiendo verberibus, vt Micheam: alium vulnerando ac perimendo, vt Isaiam, Ieremiam, Zachariam, & alios non paucos prophetas, neminem prorsus vitiorum suorum reprehẽsorem æquo animo tolerantes. Post prophetas misit filium suum charissimum & vnigenitum, dicens: Reuerebuntur filium meum, non quia ignoraret quid facturi essent, sed innuens quid facere deberent. At illi, Hic est hæres, inquiunt, venite, occidamus eum. Occiderunt, & eiecerũt extra vineam, id est, extra Hierusalem. Extra ciuitatem enim crucifixerunt dominum Iesum, vel extra vineam, extra Iudæorum ecclesiam, vt ab ipsis eiectus, exciperetur colẽdus à nobis. Sequitur enim, Quid ergo faciet dominus vineæ? Malos malè perdet, & vineam locabit aliis, hoc est, omnibus in Christum credentibus, tam gentibus quàm Iudæis, veteribus noua copulans. Christus lapis angularis, illa implens, & ista inchoans. Veruntamen quantum intersit inter ecclesiã & synagogam, ipsa nominum interpretatio declarat. Synagoga Græcè, Latinè congregatio dicitur. Ecclesia autem conuocatio interpretatur. Hæc propria naturæ rationalis, illa etiam ad pecudes pertinet. Itaque ecclesiæ sicut magis singulare nomen, ita dignitas maior & gratia plenior. Hæc ergo ciuitas illa, in quam mittuntur apostoli, vt domi-
Marc. 14. no parent pascha, hoc est, cibum de quo ipse ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. In ecclesia quippe carni & sanguini domini cõmunicamus,
Luc. 19. accedentes ad cœnaculum grande stratum, id est, ad altare

ſtare nomini eius cõſecratum, vt non noſtro, quod exiguum eſt, ſed Chriſti meritò vitam cõſequamur æternam. In eccleſia deo preces offerimus, dicente domino: Domus mea, domus orationis eſt. In eccleſia per baptiſmum renouamur, & encęnia facimus, dum nouum hominem induimur, qui ſecundum Chriſtum natus eſt. In eccleſia peccatorum nobis vincula relaxantur. Hæc eſt enim ſtabulum illud, in quod homo à latronibus in via vulneratus, curandus infertur. In eccleſia laborātium, in cœlo requies eſt, quibus dicitur: Vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur ĩ gaudiũ. Eccleſia eſt ergo mulier parturiẽs, quæ (vt in euangelio ſcriptum eſt) triſtitiam habet, quia venit hora eius: cũ autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mũdum. Triſtitia quidem afficitur, dum perſecutiones tolerat, ſiue corporis, ſiue animi: ſed cũ ab imis ad ſuperna ſe transfert, tanto perfunditur gaudio, vt præcedentis anguſtiæ prorſus obliuiſcatur. Quia natus eſt homo in mundum, hoc eſt, quia filij eccleſię iam immortalitatis natiuitate lætantur, tranſlati de mundo iſto corruptibili ad mundum incorruptionis, & de terreno habitaculo ad cœleſte regnum. Cuius immenſam & ineffabilem gloriam nunc in eccleſia laboribus occupata conſtituti, cogitatione commíniſcimur, dum ſolennia ſacra celebramus. Mariam imitando, quæ ſedens ad pedes domini, ſermonum eius dulcedine paſcebatur, vt cum ipſa poſtea dicere poſſimus: Vidi dominum, & hæc dixit mihi.

Iohan. 10. Luc. 10. Iohan. 16. Luc. 10.

In eos, qui in eccleſia nequiter ſe habent. Cap. VII.

CAeterum meminiſſe debemus, illis in eccleſia non eſſe locum, qui terrenis intenti negotiis, corpus non animum in eam afferunt, nec tunc quidẽ va-

nis colloquiis & nugis inutilibus abstinentes, iocisque & risu, cum à sacerdote diuina peraguntur. Sciant eos minus fortasse culpabiles fuisse, qui domini flagello e-
Iohan.2. iecti fuere de templo, dicentis: Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. Illi verò eam latronum speluncam faciunt, qui ineffrenatæ libidinis ardore, nulla loci aut sacrificiorum habita ratione, pudicitiæ insidiantur alienæ, vel oris nutu, vel oculorum nictu, vel impudenti aliquo verborum prolatu. Melius cum iis ageretur, si nunquã domum dei adiissent, quàm vt ingressi, sic in ea, quasi in prostibulo, versari non dubitent. Deterius tamen adhuc peccant, qui ea mẽte illuc conueniunt, vt simpliciorum fidẽ perniciosis quæstionibus peruertant, zizania superiaciẽtes, vbi satum
Iohan.18. est triticum. Hi scindunt tunicam domini inconsutilem, ecclesiæ turbantes vnitatem, séque ipsos deprauato scripturarum sensu in errorem implicantes. Longè sese ab his faciat, qui matris ecclesiæ, cuius Christus sponsus est, filius esse desiderat.

De lege & Euangelio. Cap. VIII.

Luc.18. ECclesiæ vero sanctæ fortissimi parietes sunt Lex & Euangelium. Nihil enim (vt Apostolus ait) ad perfectum adduxit Lex. Ille qui Christo domino legis præcepta se custodisse dixerat, audit vnũ sibi adhuc deesse, vt bonis quæ habebat, in vsus pauperũ distractis, cœlestes diuitias parare sibi maturet. Hoc ergo legi deesse apparuit, vt terrenarum rerũ cura contem-
Luc.16. pta, cœlestibus tantum bonis comparandis inhiemus. Lex enim & prophetæ vsque ad Iohannem, quia illi præsentem tantummodo felicitatem obseruatoribus legis promittebant. Iohannes autem primus regnum
Matth.11. cœlorum cœpit euangelizare. Atque ideo dicitur: A diebus Iohannis vsque nunc regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Tunc enim primũ vim

intulimus

intulimus cœlesti regno, cũ pro nobis pugnante Christo, victus est ille, qui omnes ab Adam descendentes ob delictum vinctos tenuit. Disce tamen quòd violẽti rapiunt illud, non ignaui, nec qui à vitiis superantur, sed qui his repugnando victores euadunt. Nullibi autem certior vincendi spes, quàm in euangelio, in quo certantibus suffragatur gratia. Quia lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Hoc certè optimum vinum in fine conuiuij reseruauit nobis benignissimus sponsus, cui dicitur: Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc, id est, vsque ad sextam ætatem, quam sex hydriæ figurabãt. Prima enim ætas fuit ab Adam vsque ad Noë: secunda, à Noë ad Abraham: tertia, ab Abraham ad Dauid: quarta, à Dauid ad transmigrationem Babylonis: quinta, à trãsmigratione ad Iohannem: sexta, à Iohanne vsque in finem seculi. In hac igitur postrema ætate, in qua nos sumus, aquę versæ sunt in vinum, quia scripturarum literalis intelligentia, allegorici sensus recepit saporem. Iam de plenis hydriis haurimus Christi mysteria, quæ diu sub verborum velamento latuerant, & tunc quidem granum sinapis minimum erat, quod postea acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & factũ est in arborem magnam. In omnem enim terram sparsit se veri dei sonus, qui prius Iudææ tantum finibus arctabatur. Et volucres cœli, inquit, requieuerunt in ramis eius. Illis quippe in euangelio iucũda quies est, qui spem suam de terra tollentes, in cœlo collocant, neque quicquam de promissionibus Christi, dubitãtes, aiunt: Sermo tuus veritas est. Cauent itaque à fermento pharisæorum, quod est perniciosa hæreticorum doctrina, & ei fermento penitus inhærent, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, hoc est, ad illam intelligentiam doctorum tota credulitate accedunt: quam approbauit ecclesia, triplicique sensu distinxit, histo-

[Margin notes: Iohan. 1. — Idem. 2. — Aetas I. — II. — III. — IIII. — V. — VI. — Luc. 13. — Iohan. 7. — Luc. 13.]

rico, morali, spiritali: donec fermentetur totum, donec totum sane rectéque intelligatur, ita vt nullus errori supersit locus. Cæterùm licet præferamus euãgelium legi, vtriusque tamen vnum authorem deum cõfitemur, vtramque approbamus. Nec solui legem per euangelium dicimus, sed adimpleri: in illa figuras esse, in hoc veritatem: in illa promissionem, in hoc perfe-

Luc.16. ctionem. Facilius est, inquit, cœlum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere. Quicquid ergo ceremoniæ, sacrificia, prophetæ futurum nuntiabant: partim impletum est in primo Christi aduentu, partim in secundo implẽdum expectamus, ne quis frustra aliquid scriptum aut significatũ putet. Quicquid autem in lege ad vitæ, morum'que institutionem spectat, sicut veteribus, ita & nouis hominibus est obseruandum, & cum euangelio communicandum, ac de vtriusque scripturæ moralibus præceptis cum Psalmi-

Psal.118. sta dicendum: Eloquia domini eloquia casta, argentum

Ibidem. igne examinatum, probatum terræ, purgatũ septulum. Nihil est his preciosius, nihil suauius. Quod idem tibi testatur ad dominum, dicẽs: Bonum mihi lex oris tui, super milia auri & argenti. &, q̃ dulcia, faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Nihil ita sedat iracũdiam, moderat'que affectus, & in viam æqui honesti'q; animum dirigit. Pax multa, inquit, diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Multa quidem & ipsi sapientiæ professores philosophi ad componendos animi mores verè, rationabiliterque præceperunt, sed cum diuinis humana conferri nequeunt. Potentius ista influunt, si fideliter suscipiantur, efficacius mouẽt, tenacius hærent, fœcũdius fructificãt, felicius ad opta-

Luc.10. tum prouehũt finem, & cum incommutabili bono nos

Luc.22. coniungunt. Vetus igitur, noua'q; lex, duo denarij sunt stabulario dati, id est, ecclesiæ præsidi, vt his peccato-

rum

rum nostrorum vulnera curentur. Sunt etiam duo gladij, quos in medium proferentibus apostolis, satis esse dixit dominus, cum vtriusque testamenti doctrina satis, superque sit aduersus quasque repellendas diaboli insidias, ac prauas ab animo abscindendas cupidines. Vetus tamen testamentum fuit Agar ancilla in seruitute generans, & nouum Sara liberæ prolis mater, qua libertate donauit nos Christus. Ideóq; dominus quinque panes hordeaceos turbæ dedit seruili, veluti quinque libros Mosi. Nos autem pane qui de cœlo descendit, vescimur, vt cum eodem qui nos liberauit, ascendamus in cœlum. Deniq; legis pascha cum lactucis agrestibus, quæ amarissimæ sunt, comedebatur. At in euangelio pars piscis assi cum fauo mellis domino à mortuis resurgenti offertur, vnde Apostolus clamat, dicens: Si consurrexistis cũ Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Galat. 4. Luc. 24. Coloss. 3.

In contemptores legis uel Euangelij. Cap. IX.

Sed neque legis contemptoribus impune erit, cum diuinus sermo dicat. Qui declinat aures suas ne audiat legẽ, oratio eius erit execrabilis. Frustra enim deum precatur, qui dei iussa parui æstimat. Hoc idem per Ieremiam spiritussanctus affirmat, dicens. Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum eius, quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt. Posthæc denuntiat illis captiuitatem futuram, vt qui ad legis præscriptum sponte seruire deo neglexerunt, inuiti seruiant inimicis dei gentique infideli. Et si talia legis præuaricatoribus debẽtur, quanto magis aduersus euangelij sui irrisores indignatio desæuiet Christi? Horum autem qui euãgelium despicere videntur, tria genera sunt. Alij quippe ne audire quidem volunt diuinos, qui in ecclesia recitantur Prouerb. 28 Iere. 6.

 ser-

ſermones. Alij autem audiunt, ſed quæ præcipiũtur, ea exequi aſpernantur: alij verò magis temerario auſu ita audiunt, vt ea econtrario arguere præſumant: & veritatis verba, quæ non intelligũt, peruertere aliquo modo conantur. De primis conqueritur dominus, ad eoſdem dicens, Quare loquelam meam non cognoſcitis? quia non poteſtis audire ſermonem meum. Et, vt oſtenderet eos, qui audire diuina dedignantur, ex parte diaboli eſſe: Qui ex deo eſt (inquit) verba dei audit, propterea vos non auditis, quia ex deo non eſtis. Hi ergo & ſurdi ſunt & muti, cum nec aures accommodent eccleſiæ doctoribus, nec quicquam tale aliquando loquantur. Qui niſi cõuerſi poſtremò ſeſe offerãt Chriſto, ita vt ipſe digito tangat eorum aurem, & ſaliua palatum, nunquam ſanitatem conſequentur, ſemper ad ea quæ ſalutis ſunt, ſurdi & muti erunt: atque vt ita etiam ad malum ſicut ad bonum ſurdi & muti forent, ſed vt deterius peccẽt, & læuam aurem habent, qua ea, quæ carnis ſunt, auidiſſimè audiant: & ſiniſtram linguam, qua vel nugas garriãt, vel alios infament, vel proximo maledicant. Quod niſi tandẽ ad Chriſtum adduci ſe permiſerint, qui labefacta ſolo verbo inſtaurãt, quis eos curare poterit? De iſtis, vt reor, prophetauit Apoſtolus, cum diceret: Sanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabũt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertẽtur. Sunt quippe in his plurimi, qui pudendis gentilium poëtarũ cantibus tota die operam impendunt, & ne horam quidem diuinarum in eccleſia recitationum vacare auditionibus queunt. Tranſeamus ad eos, quos auditores tantũ & non factores verbi eſſe diximus: de quibus domini ſentẽtia eſt. Qui audit & non facit, ſimilis eſt homini ædificãti ſuper terram ſine fundamẽto, in quam illiſus eſt fluuius, & continuò cecidit, & facta eſt ruina domus eius magna. Audire

Iohan. 8.

Marc. 7.

2. Ti. 4.

Luc. 6.

dire enim & nolle facere, deficere est. Deficiens autem & se sibi non restituens, quotidie deterior fit, patétque omnibus diaboli insidiis, nulla circunspectę mētis virtute munitus: tantóque facilius supplantatur, quanto se putat magis tutum. Nam sicut arborem ventorum pulsatam procellis ruere necesse est, cuius radix vitiosa fuerit, ita illum labi quoties voluptatū illecebris prouocabitur necesse erit. Neque minus in istos qui facere nolunt, quàm in illos qui audire negligunt: exclamant prophetæ, apostoli, euāgelistæ, omnes catholici doctores. Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis. Quid enim aliud omnes diuinæ continent scripturæ, nisi virtutum laudem, vitiorúmq; detestationem atque querelam? Porrò istis etiam qui sacra eloquia vel audire renuūt, vel si audiant, secundum ea viuere nolunt, nequiores sunt, qui eadem audiendo coram arguere, atque iisdem petulāter obtrectare audent, & sophismatum strophis docere, ipsa dei præcepta vel impossibilia factu, vel inter se pugnantia, vel aliqua in parte minus rationi consentanea esse, quasi verò quicquam rationabilius, consultius, iustius homo possit indagare, quàm hominum opifex præcipere. Si quis tam prophana præsumptione ducitur, inter hæreticos erit habendus, & de fidelium cœtu repellēdus, ne sanum gregem morbida contaminet pecus. Adeunt ecclesiam, audiunt epistolas, audiunt euangelia, & sicut in Iohanne scriptum est, dicunt, Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Nihil credunt nisi quod naturæ consentaneum putant, & nesciunt omnium authorem supra naturam esse, & vt se talem probet, supernaturalia loqui operarique solere. Quibus qui nō adhibuerit fidem, necesse est vt dei omnipotentiam deneget, fateatúrq; quod naturaliter fieri nequit, id neq; diuinitus fieri posse. Qua in re naturam deum alterum constituere videntur, si nihil maius deo quàm naturæ

Matth. 11.

Iohan. 6.

tribuen-

tribuendum censent, quibus dei verbum respõdens, ait:
Iohan.8. Quęritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis, hoc est, quia non estis capaces à me prædicatæ veritatis, ideo in me diuinitatem natura potẽtiorem, & humani ingenii captu maiorẽ esse non creditis. Ego autem quod vidi apud patrem, hoc loquor. Ego enim & pater vnum sumus, vna substantia, eadem natura, licet non eadem persona, alia quippe persona est geniti, alia genitoris, & tamen vtriusque vna eadémque diuinitas, eadem vis & gloria cum sancto spiritu, quem ambo simul spirant, sibi æqualem, sibique consubstantialem. Quod sanctæ trinitatis mysterium in vna deitate, nisi fides teneat, lingua non explicat. Ob hoc quidam, quia comprehendere nequeunt, retrocedunt, cum potius persuadere sibi deberẽt, tanto ea magis deo tribuenda esse, quanto minus à nobis, qui homines nõ dij sum⁹, possint intelligi. Alioquin fateri oporteret, quod nemo vnquam ausus est dicere, aut deum non esse homine maiorem, aut hominem deo esse æqualem, si ad omnia quæ dei sunt, humani vis intellectus posset penetrare. Sunt tamen nonnulli, qui in peruersitatis suæ proposito ita obdurãt, vt credulitatem nostram etiam irridere non dubitent, atque hi ferè sunt, qui gẽtilium philosophorum argutias secuti, nihil credendum putant, quod ipsa hominis ratione queat inuestigari, & suorum ambagibus argumentorum vsi, quicquid non satis intelligunt, id verum esse denegant. A quibus euangelicæ veritatis assertores auersi, ne in tam duro solo frustra verbi semen iaciant, nullam frugem facturũ, dicunt.
Act.13. Quia repellitis verbum dei, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Quæ videlicet & audiunt euangelij prædicationes, & quod audiunt, credunt: & quod credunt, opere complere pro viribus nitũtur. Vos verò increduli memẽtote ab ipsa
Luc.9. veritate, id est, à dei filio dictum: Qui me erubuerit, &

meos

meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & patris, & sanctorum angelorum. Huius autem hominis infelicitati, quem Christus erubescet, nulla vitæ præsentis infelicitas potest comparari. Nam qui receptus à deo non fuerit in gratiam, à diabolo recipietur in damnationem suppliciúmque sempiternum.

De conuersis ad deum. Cap. X.

VT autem alterum ex his euitemus, alterũ sequamur, sarcina peccatorũ deposita, quę nos in abyssum deprimit inferni, ad illa conuertamur, quæ de terra erigunt pauperem, & in cœlo collocant. Imitemur Simonem leprosum, vt flagitiorum lepra curati, mereamur hospitem habere Christum. Neque nos prioris vitæ pudor impediat, aut horror in desperationem trahat. Benignissimus est, qui ad cœnam inuitari iubet pauperes, debiles, cæcos, & claudos, id est, omni scelerum genere inquinatos, & neminem prorsus repudiat ad se cum peccatorum pœnitudine accedentem. Hic est qui prodigum filium, cum bona paterna peregre profectus dilapidasset, ad se reuersum osculo excepit, amplexibus fouit, & lætatus est, quod ille, qui perierat inuentus esset, & qui mortuus fuerat, reuixisset. Diu multũmq; in nequitiæ cœno immersus iacuisti, expergiscere tandem & erige te, vt munderis. Mulier quæ XII. annos profluuio sanguinis laborauerat, cum Christi fimbriam tetigisset, sana discessit. Altera, duodeuiginti annos morbi vi inclinata, domino manũ ei imponente curatur, & cœlum aspicere incipit, quæ tanto tempore pecudum more terram tantum spectauerat. Plus dicam, octo & triginta annorum lãguorem sustinuit. Ille, quem ad probaticã piscinam sanum surgere iussit dominus, ita, vt qui tam diu fracto, debilitatóq; corpore immobilis in lectulo decubuerat, illum

Marc. 14. Luc. 14. Luc. 15. Marc. 5. Luc. 13. Iohan. 5.

ipsum

ipsum lectulum quo ferebatur, ipse humeris suis referret, domúmque rediret, non solum sanitati, verũetiam vigori viribúsque restitutus. His autem curationibus tam diutina tabe marcescentium corporum, significauit tibi dominus, quod ipse medicus animorũ sit, quãuis ad multam ætatem in peccatis versati fuerint, tantum vt curari cupiant & rogent. Non enim sanat ille nisi volentem. Nam & hunc prius interrogasse dicitur, an vellet sanus fieri, atque vt velle audiuit, nõ distulit, quin statim sanum redderet. Nemo ergo desperet: quandiu viuimus, misericordiæ locus est: tunc iudicamur, cum morimur, & si ante impetratæ veniæ priuilegium nobiscum deferimus hinc decedentes, in electorum numero ascribimur. Sin verò sine illo vitã obimus, ad mortem nunquam intermorituram descendimus, ad tenebras exteriores, vbi est fletus & stridor dẽtium, & pœnarum finis omnino nullus. Beati igitur illi, quorum antequam iudicabuntur, erunt praua in directa & aspera in vias planas, qui priusquam opera ipsorum iustitiæ libra examinabuntur, luporum feritatem quam induerunt, cum agnorũ mansuetudine commutabunt. Nunc ergo tempus acceptabile, nunc dies salutis, nunc accessus ad eum datur, à quo dictũ est: Qui venit ad me, non eiiciam foras. Non aliter ad eum venitur, nisi desinendo à malis, & quod bonum est operando. Itaque non solum iniqui, sed etiam otio indulgentes, ab eo qui saluare potest, procul sunt. Ficum illam, quæ foliorum tantum luxuria exuberans, fructu carebat, maledicẽdo dominus ariditate damnauit. Sub qua cum lateret Nathanaël Israëlita, licèt dolo carẽs, non poterat loqui cum Iesu, egressus autem & magis alacris animi affectu saluatoris quærens conspectum, eum ipsum quem scribę & pharisæi cognoscere nequiuerũt, confiteri cœpit, dicẽs, Rabbi, tu es filius dei, tu es rex Israel. Veruntamẽ si sensus quoque non satis sanos habeas,

Luc. 16.

Iohan. 6.

Marc. 11.

Iohan. 1.

habeas, quicquid illis blanditur, mortiferum puta, & illa quæ deo placent, iis indulge. Si visus te ad peccandum solicitat, cæcus es, cum Barthimæo perge inuocare Iesum, & petere vt videas, tunc ipso imperante discedent ab oculis tenebræ illæ, in quibus spectãdarum mulierum concupiscẽtia habitabat, vel delectatio aliquam vanitatem videndi versabatur, cœlúmq; ac sydera contueri incipies, & per ea quæ videntur ipsa dei inuisibilia contemplari. Quòd si te auditus & loquendi intemperies in malum præcipitant, surdus & mutus es, quia dum te audire vel loqui ea quę mundi sunt, nimium delectat, ab his quæ dei sunt, & aures auertis ne audias, & os comprimis ne loquaris. Cum surdo igitur & muto à domino posce remedium. Ille huiusmodi hominis aures digito tetigit, & saliua linguam, atque is, qui vtroque malo affectus fuerat, vtroque liberatus abiit. Statim enim (vt Marcus ait) apertę sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Postremò quibuscunque vitiis corruptus viuis, ita vt mortuus sis cum viuas, quãtum potes ad illum qui viuificat mortuos, te verte. Nam & mortui audient vocem filij dei, & qui audierint, viuent: modo ne tardes tibi iam in morte posito quærere salutem, dum inueniri potest. Fugit tempus, dies aduentat extremus, atque hic fortasse crastinus est aut hodiernus, & tu tibi tutum putas differre turpis vitę correctionem: noli iuuentæ confidere, omni ætati communis est mors. Nec prosperæ valetudini crede. Quidam dum rident, dum iocantur, dum cum aliis colloquuntur, repente concidêre. Pelle igitur moras omnes, & prauas cupidines de pectore proiicere festina, atque de spelunca latronum fac domum orationis, in qua habitare dignetur Christus. Hoc pacto qui nunc nouissimus es apud deum, iam inter primos computaberis. In nouissimis erant Matthæus, Zachæus, latro, sed conuersi ad dominum, primi

Marc. 10.

Iohan. 5.

facti

facti sunt. Matthæus reliquit teloneũ, & fit apostolus. Zachæus auaritiam largitate mutauit, & salus facta est domui eius, cum Christum suscepisset hospitio. Latronem aliena per vim rapuisse pœnituit, & saluatori se commẽdans, meruit de cruce transferri ad paradisum. Audi Christum clamantem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Hinc tu tandem ad vocantem conuersus, dic. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Tunc ille occurrens tibi, protinus te omni fasce liberabit, & expeditum ad se trahere incipiet, vt qui flagitiis coopertus mergebaris in profundum, iam his omnibus emundatus ascendas in cœlum.

Matth. 11.

Psal. 37.

De auersis à deo. Cap. XI.

ET cum tãta felicitas sit eorum, qui ad deum conuersi mores suos corrigunt, non ambigimus æquè grandem esse miseriam illorum qui obdurantur. Prædica, argue, obsecra, increpa opportunè, importunè. Nihil proficis, cum in spinis, quæ sementem verbi dei præfocant, seminas, vel super lapide, vbi semen radices agere non valens arescit, vel in via, vbi conculcatur & atteritur. Corã praua assuetudine corruptis hominibus quoties de deo, de sanctis, de vitę honestate incidit sermo, corrugant nares, contrahunt frontem, os distorquent, vultum auertũt, & taciti etiam dicere videntur. Durus est hic sermo. Quis potest eum audire? Tales erant pharisæi illi ac legis periti, quorum scelera cum argueret dominus, cœperunt (vt Lucas ait) grauiter insistere, & os eius opprimere. De quibus in Iohanne conqueritur Saluator, & ait: Non potestis audire sermonem meum. Dextera igitur aure caret, ne honesta audiantur, veluti Malchus ille, cum à Petro vulnus accepisset. Is tamen adduci ad Iesum vt curaretur sustinuit. Isti verò peruicacius auditum obturasse videntur,

Iohan. 6.

Luc. 11.

Iohan. 8.

dentur, vt aspis, ne intelligant vocem sapienter incantantis. Quòd si vltrà eis præcepta salutis ingerere perseueraueris, indignantur, & iam in contumeliam prorumpunt. Totus in peccatis natus es, inquiunt, & doces nos? Vnde autem fit, quòd tam obstinato proposito cœlestem aspernentur disciplinam, parabola euangelij de nuptiis recitata docet. Ad quas inuitati quoniam venire noluerunt, alius (inquit) abiit in villam suam, alius ad negotiationem suam. Deliciæ quippe huius seculi, & ipsa terrenarum opum cupiditas, auertunt animum à cœlestium contemplatione, & caduca bona æternis præferre compellunt, quia hæc futura expectantur, illa verò præsenti voluptati deliniunt. ita, vt quæ nondum habētur, iam vel non esse omnino, vel haberi non posse credantur. Illi ergo qui tam impiè subuersi sunt, nec fidei certæ, nec firmæ spei sunt. Alij luxuriæ, alij auaritiæ studēt, & cùm sensuum suorum affectibus seruiant, virtutibus vacui & ad vitia proni efficiūtur. Recedente enim domino de templo cordis eorū, non relinquitur lapis super lapidem, qui non destruatur. Vsque adeo Barrabā, id est, diabolū sibi dimitti gaudent, vt eūdem Christo domino, qui pro ipsis crucifixus est, anteferre non dubitent. Attendant tamen si nondum penitus obsurduerunt, & cognoscant ad se quidem omnia illa pertinere, quæ salutarem doctrinam nolentibus admittere, minatus est Christus dominus: ad illos enim quos iustitiæ suæ doctores constituit, & ad prędicandum gentibus destinauit, dixit. Quicunque non receperint vos, neque audierint sermones vestros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerē de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Sodoma enim & Gomorra ante euangelium subuersæ sunt, at isti vltro oblatum respuunt ac repellunt, dum præceptis eius contraria operātur. O miram

Psal. 57.

Iohan. 9.

Matth. 22.

Matth. 10.

mentis

mentis peruersæ cæcitatẽ. Non vident quàm labile bonum sit mũdanæ luxuriæ voluptas cui adhærent, quàm firmum & stabile cœleste regnum quod contemnunt, quàm graue, perpetuúmque malum infernalis cruciatus, quem mox subire cogũtur. Sed iam istos in damnationis interitum tam pertinaciter currentes relinquamus, cum etiam ab ipso omniũ domino relicti esse videantur: & illis pro tempore consulamus, qui ad capessendas accedunt virtutes, vt in eo bono, quod semel sibi proposuerint, constanter perseuerẽt. Sicut enim in vitiis obdurare perniciosissimum est, ita in bene viuendĩ cura minus esse constantem, turpe, indecorúmque habetur.

De animi constantia. Cap. XII.

FIrmum ac stabilem esse oportet dei seruum, nec iniuria lacessitum irasci, nec laudatum insolenter efferri. Vtrunque præstitit mulier illa Chananæa.
Matth. 15. Cum enim canibus compararetur, quibus nõ erat concedendus panis filiorum, non est indignata, sed magis semet submisit, dicens: quòd etiam catelli micas panis comedant, quæ de mensa cadunt dominorum. Rursum cum responsum domini accepisset: Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, nequaquam tantæ commendationis gloria sese extulit, sed potius eandem humilitatem, quam contempta non deseruerat, egregiè deinde probata conseruauit, fidei suę magnitudinem magis ad diuinæ largitatis gratiam referens, quàm ad arbitrij sui libertatem. Quod si quicquam ex eo sibi iactanter arrogasset, filiam pro qua supplicauerat, sanam non recepisset. Et nos igitur si ab iis, quæ nequiter commisimus, purgari cupimus, modis omnibus caueamus, ne in eodẽ relabamur luto, alioqui per inconstãtiæ vitiũ, nec satis creduli esse argueremur, nec ipsa quæ intra nos est, sanari filia poterit. Est autem constantis animi repugnare

pugnare

pugnare cupiditatibus, à bono instituto nunquam deflecti, & cum semel ad colendam æqui, honestique virtutem conuersus fueris, nusquam ab ea discedere velle. profectò qui sic sibi constiterit, intrepidus vitæ finem expectabit, spe certissima firmatus de morte se transitum ad immortalitatem & illam beatitudinem, quam nec fando exprimere, nec cogitando possumus complecti. Nos ergo tantæ mercedis cupiditate flagrãtes, cum sanctius viuendi domum ædificare cœperimus, fundamentum eius supra petram stabiliamus: & ipsam virtutum structuram nec malignorum spirituũ venti cõcutere poterunt, nec præsentium aduersitatum flumina obruere, immobilis, inuictáque perstabit, donec ad culmen vsque perducatur summæ, perpetuǽque integritatis. Frustra autem Christum in cordis nostri monumento condimus, si constantiæ lapidem ad ostium monumẽti non admouemus, vt eo aditũ inimicis Christi quantũ in nobis est, prohibeamus. Qui sunt isti inimici procul, longéque abigendi, nisi vitia ipsa quæ salutaribus vitæ monitis reluctantur atque obsistunt, & quicquid probè, laudabiliterq; ædificatum fuerit, destruere festinant? Ab his quidem quicunque se illæsum, incontaminatúmque custodierit, hic verè Christi discipulus erit, cui idem dominus iure ac meritò dicere poterit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meã. Ille enim verè petra est supra petram, qui dum Christi vestigiis innititur, in his in finem vsque fixus perseueret, & in domino confidẽs, sicut mons Sion non mouetur in æternum. Vt autem ista constantiæ virtus, quãta sit magis patescat, instabilitatis quoque vitiũ quam execrandum habeatur, consideremus.

Luc. 6.

Matth. 16.

De animi inconstantia. Cap. XIII.

QVemadmodum firmum & constantem animum supra petræ soliditatem ædificare diximus,

ximus, & id quod ab eo fabricatum fuerit, contra dæmonum præualere certamina, quam aduersus malorũ, quæ mortalibus contingunt, acerbitatem: Ita econtrario debilem, & in proposito minus persistẽtem, domui illi comparandum esse arbitramur, quàm moli arenæ
Luc. 6. impositam & ventorũ concutit flatus, & impetus subruit fluuiorum, atque ad solum vsque concidere compellit. Is enim, qui inconstans fuerit, facilè quidem & fraudibus diaboli cedet, & violẽtiæ persecutionum, & fastui ambitionis & cumulandarũ opum cupidini. Seruabit fortasse fidem, quandiu nemo aduersabitur, sed si qua fœdæ voluptatis appetitione cor titillare serpẽtis antiqui calliditas cœperit, si tyrannus minari necem, si collati magistratus dignitas efferre, si animum habendi auiditas inquietare, adulterio inquinabitur, vt Herodes: metu ad negãdum subuertetur, vt Petrus. Optimum quenque contemnet, vt pontifices & scribæ Christum, dum lucra sectatur, vt Iudas, nec furtis abstinebit, nec sacrilegio. Quàm autem turpissimum sit, cũ bene cœperis malè desinere, & nunc hoc, nunc aliud velle, aliæ quoque in euangelio similitudines indicio
Matth. 11. sunt. Inconstantis quippe hominis volubilitas comparatur arundini vento agitatæ, dum Iohannes Baptista talis non esse asseritur. Adde quòd arundo ipsa & fragile lignum sit, & infructuosum, vacuumque intus, ac nodis quidem plurimis intersectum. Ita vir sibi minus constans, tentationibus succumbit, bonarum actionum sterilis est, vanitatibus affluit, & multorũ vinculis innodatur peccatorum. Eundem lunatico illi conferre possumus, quem nunc in ignem, nunc in aquam cadere
Ecclef. 27. solere dixerunt. Inconstans igitur, vt luna mutatur: & cum iam penè plenus bonorum creditur, tunc deficere incipit: cumq; alternis motibus agitetur, & nunc igne charitatis incalescat, nũc aqua malitiæ frigeat, promptius tamen ad id quod malum est rapitur, & ad peccata

cata declinat. Quàm autẽ difficulter, ne in scelere perseueret, effici queat, disce. Lunaticum hunc apostoli curare non potuerunt, à Christo sanatus est, qui ipsis mirantibus, quare sibi id non licuerit, dixit: Hoc dæmoniorum genus non posse eiici, nisi per orationem & ieiunium, ostendens grauissimã quidem esse animi ægritudinem inconstantiam. Hanc præterea rotarum instabilitati cõparat scriptura: Præcordia fatui, inquit, quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatus illius. Eccle. 33.
Et quoniam rota ista nõ solum instabilis est, sed etiam dũ tracto curru vertitur, magnos edit stridores, & crebra reuolutione atteritur ac deperit. Sic hominis inconstantis leuitas, quicquid bene fecerit, ipse suas laudationes iactabundus garrit: & facinus illud, quò meritum aliquod apud deum consequi sibi potuisset, euacuat inanis gloriæ cupiditate: deinde hanc ipsam gloriam prauis operibus, ad quæ semper pronior est, destruit: & in suimet infamiam turpiter conuertit. Nam quamuis aliquando etiam non improbi ingenij esse videantur, nunquam tamen non maiore sui parte malus est. De quo Iacobus apostolus: Vir, inquit, duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Quippe qui nũc hoc, nunc illud appetit, cui quod modo placuit, modo displicet: & rursum quod displicebat, placet. Qui si quando boni aliquid agere aggreditur, semper antequam perficiat, cessat, atque idem nec sedere, nec stare diu potest. Multiplex, varius, discors est, secum pugnãs, sibiquemet cõtrarius, nec in verbis, nec in factis idem. Profectò qui talis est, nunquam aliquo honestioris vitę studio proficere poterit, imò cum in seculi huius pelago vela faciens, frequenter naufragetur, mergendum tandem in profundo inferni facilè coniici potest. Nunquam enim sic resipiscit, vt nõ cras deterior quàm hodie sit. Nos ergo ne quãdo ad eius tam damnosam animi mobilitatem, tam periculi plenam declinemus, di-

ſcamus, poſt conſtantiam etiam fortes eſſe. Et iam de ipſa fortitudinis virtute, prout nobis diu.. us euangelij ſermo ſuggerit, diſſeramus.

De animi fortitudine. Cap. XIIII.

FOrtis animo is eſt, qui nulli rerum fragilium cupidini ſuccumbit, & neque aduerſitatibus frangitur, neq; proſperitatibus inſoleſcit: cœleſtibus tantummodo bonis adipiſcendis inhiat, cætera cõtemnit. Fortis eſt igitur, qui vincit auaritiam, & audit dominum dicentem: Cauete ab omni auaritia, quia non in abundãtia cuiuſquam vita eius ex iis quæ poſſidet. Superata autem auaritia, ad munificentiam, liberalitatémque ſe confert: & ea quæ habet, indigẽtibus dilargitur, dum ad perfectioris vitæ ſublimitatem aſcẽdere feſtinat, iuxta illud ſaluatoris dictum: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me. Non erat perfectio contemnere diuitias, niſi addidiſſet dominus, veni ſequere me. Omnibus abundare virtutibus quærit, qui Chriſtum imitari decernit. Chriſti enim imitator quàm primum veterẽ exuit hominem, & induit nouum, ſuperbiam mutat humilitate, iracundiam lenitate, incontinentiam caſtitate, & breuiter vitium virtute. Atq; ita malarum paſſionum victor efficitur, cum ad diuerſas ab his actiones animũ conuertere cœperit. In his deinde confirmatus omnes præſentiũ tribulationum ictus excipit clypeo patientiæ, de omnibus deo gratias agens, minúſque ſe pati confitẽs, quàm peccata ſua mereãtur. Hoc eſt illud quod præcipit dominus, & ait: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucẽ ſuam, & ſequatur me. Ac ne quis crucis nomine, quod dura, aſperáque ſignificat, turbetur, diſcipulos ſuos conſolatus eſt, dicens: In mũdo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum, quaſi diceret:

Luc. 12.

Matth. 19.

Matth. 17.

Iohan. 16.

diceret: Sicut ego propria virtute calcaui mundi huius ærumnas, ita & vobis vincēdi facultatem conferam, vt per me mala omnia magno animo perferendo, illis omnibus fortiores, potentioresque sitis, tantū non in vobis, sed in me spem, fiduciamque habeatis. Hunc præterea fortis animi virum, Christique domini sectatorem, quemadmodum aduersa non deiiciunt, ita nec secunda arroganter erigūt. Frustra enim in aduersis vinceret, si in prosperis per inanis gloriæ appetentiam superaretur. Itaq; in dignitate constitutus non sibi blāditur, sed aliis prodesse affectat, nec tam præpositum se esse meminit, quàm eorum, quibus præest, ministrum, à domino admonitus, dicente: Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus: sicut filius hominis nō venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Præstantis autem ac strenui animi est, dominandi cupidinem, quæ sæpe robustissimos vicit, superare, ipsamq; regū pompam & principum luxuriam pro nihilo ducere, atque in omnibus cū Christo humiliari. Quid enim esse potest maius Christo? qui eiuscemodi humilitatem sic in se commēdauit, vt dei filius non dedignaretur esse hominis filius, & formam serui assumere, cū esset omniū dominus. Denique fugisse dicitur in euangelio, cū eum regem facere vellent. Et non est regnum meum de hoc mūdo, inquit, vt suo exemplo non in terra regnare, sed in cœlo desideremus. Vnde & mercedem humilitatis, & non humilitatis pœnam proposuit, dicēs: Qui se humiliat, exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur. Ad hanc animi fortitudinem pertinet, ipsam etiam, quam præcipuè vulgus formidat, mortem contemnere, nec vllo supplicij genere sic terreri, vt à bono, honestóque discedas. Nolite timere eos, inquit, qui occidūt corpus, animam autem nō possunt occidere: sed potius eum ti-

Matth. 10.

Iohan. 18.

Matth. 10.

mete qui potest corpus & animam perdere in gehennam. Si ergo casus inciderit, vt aut moriendum sit, aut peccandũ, eligatur potius mors corporis quàm animæ: mors enim animæ peccatum est. Quod si metu mortis perculsus, vitæ fragili, & velis & nolis citò perituræ nunc peperceris, illam stabilem & immortalem, qua sancti fruuntur, amittes. Ait enim: Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Nam si quis peccare mauult quàm mori, hic sibi viuet, & deo morietur. Deo autem mori, est in inferni barathrum ruere, & nullum cum iis, qui verè viuunt, habere cõsortium. Sequitur: Et qui perdiderit animã suam propter me, inueniet eam. Sed ne fortè dubius & incertus quæras, quo locorũ inueniet eam? ait: Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Quid autem illo homine felicius, qui merebitur esse socius Christi? Sed si cum illo simul viuere volumus, mundo moriamur nullũ recusantes, quò deo gratificari possimus laborem, nulli cedẽtes aduersantium persecutioni. Nam dum tyrãnus minatur necem, Christus aperit paradisum: dũ homo impius tormentis cruciat, clemens deus refrigerij sempiterni sedem constanter tolerãtibus parat, præmii'que magnitudine tanto ampliat magis, quanto grauius pro amore suo affligimur, si tamen vindictam in eos qui affligunt, non appetimus, sed econtrario bene illis facimus, beneque optamus, à quibus malè accipimur, dicente domino: Diligite inimicos vestros, & bene facite iis qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos. Hoc prior præstitit ipse qui præcepit, deinde serui eius, qui suis persecutoribus monstrabant viam salutis, & à quibus tormenta patiebantur, eis ignosci orabant. Proprium itaque Christianæ fortitudinis est seipsum vincere, & affectibus contra rationem nitentibus imperare, nec carni, sed spiritui obedire, ipsum'q; dominum pro viribus imitari, ei'que sese quàm simillimum reddere.

Iohan. 12.

Matth. 5.

reddere. Sed iam fortitudine contrariam pusilli animi imbecillitatem in medium proferamus. Fit enim vt magis elucescat virtus ex comparatione vitiorum.

De animi imbecillitate. Cap. XV.

SI eum fortem esse cõstituimus, qui cupiditatibus dominatur, quis erit imbecillus & infirmus, nisi qui sese his in seruitutem dederit? Hæc autẽ seruitus multo turpior atque fœdior est, quàm illa quam fecit captiuitas, aut quam nascendi attulit conditio. Neutra enim istarum officit, quinetiam in ipsis magis liberi dominis nostris esse possumus. Maior quippe libertas est, non esse subiectũ vitiis, quàm non esse hominis mancipium. Verè igitur imbecillus est, quem superat auaritia, vel fraudulentia, vel simulatio, vel arrogantia, vel vanagloria, vel ira, vel gula, vel luxuria, vel libido, vel inconstantia, vel timor, vel otiositas, vel eorum quæ ab ecclesia recepta sunt, incredulitas, cæteráque id genus: quoniam rationi naturæque repugnant, quisquis illis seruierit, non iam inter homines computandus, sed inter pecudes erit numerandus. Ratio enim propria hominis est, bestiarũ autem natura id tantum sequi quod suggerit appetitus, nullúmque boni ac mali discrimẽ habere in his quæ appetuntur. Imbecillus es igitur, si iugo premeris auaritiæ, cui seruiendo non poteris seruire deo. Non potestis (inquit) deo seruire & mãmonæ, hoc est, deo & diuitiis. Syri enim diuitias mammonam appellant. Qui autem diuitias præferunt Christo, & nihil egeno porrigunt, ipso dei filio in fine iudicante audituri sunt: Esuriui & non dedistis mihi manducare. Cuius criminis conuictus diues ille, qui se tantum pascebat, in inferno sepelitur, vt semper miser sit, quem miserorum non tetigit pietas, dum sua cupidè retinet, & pecuniã magis quàm Christũ diligit. Imbecillus item es, quan- Matth. 6.

do alterũ dolo ſeducere contendis, ab iniuſtitiæ enim vitio ſuperaris, quoties alios fraude aliqua ſupplantare moliris. Non poterit in eo pectore habitare Chriſtus, in quo domicilium ſibi fecit dolus. Nam ipſe de
Matth.8. eiuſmodi homine dixit: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi reclinet caput ſuum. Nõ habet Chriſtus ibi requiem, vbi ſtabulantur vulpinæ fraudes, & volucrum inſtar altè ſe erigentis hominis elatio. Fraudulentiæ autem comes eſt ſimulatio. Semper enim ſimulationibus vtitur fraudulentus, aliud facilè præferens, aliud in corde occultans. Qui licet homines fallat, deum non poteſt decipere. Si modeſtum, ſi pium, ſi caſtum, ſi deniq; iuſtum ſe eſſe finxerit, cum longè alius ſit, nónne cum
Matth.23. illis damnabitur, quibus dictum eſt: Væ vobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis, intus autem pleni eſtis rapina & immunditia. Væ vobis, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum & ſpurcitia. Quanto igitur melius id eſſe quod apparere vis, quàm quòd non es videri velle? Imbecillis quoque es, ſi committis vt te ſibi ſubiiciat ſuperbia, téque arroganter incedere cogat. Ea ſuperatus, aliis præferri cõcupiſces, & plus honoris quàm quòd mereris, tibi exhiberi poſtulabis. Quam rem ſcribis & phariſæis exprobrans
Ibidem. dominus, ait: Omnia opera ſua faciunt, vt videãtur ab hominibus, dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias: amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi. Ergo & inanis gloriæ cupido arrogantibus dominatur, de quibus in eu-
Iohan.12. angelio Iohannis dicitur: Dilexerunt gloriam homi-
Luc.4. num magis, quàm gloriam dei. Statuit ergo eos diabolus ſupra elatæ iactantiæ pinnaculum, vt quò altius

aſcend

ascenderint, grauius elidantur, cum ceciderint. Vis nosse quàm infirmi sint, qui sic corruunt? non vi coacti, sed verbis deliniti sua sponte labuntur. Diabolus enim, nisi imbecillior homine esset, non ei quem supra templũ posuerat, dixisset, mitte te deorsum, sed ipsemet eum præcipitem dare tẽtasset. Quis ergo corruit, nisi qui imbecillis inimici callidæ suggestioni paret? vt non inuitus, sed volens subuertatur & cadat. A quo quidem casu eo difficilius exurgũt ambitiosi, quò magis adulantium sibi palpatione delectãtur. Ideo in euangelio dictum est: Væ vobis, cum benedixerint vobis omnes homines. Et per prophetam dominus: Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipãt. Væ ergo illis, qui per adulationem ita hallucinantur, vt se peccatores esse non agnoscant cum laudantur. Cares præterea mentis fortitudine, si te iracundia occupat, & furere compellit. Talis fuit sacerdotum ille princeps, qui cum audisset Iesum confitentem se à dextris dei sedere, in rabiem concitatus vestimẽta scidit, & in clamorem prorupit, blasphemum eum vocans, qui assertor erat veritatis. Neque enim potuit quod verum erat intelligere, ira præpeditus, aut quod rectum est iudicare. Vsqueadeò excæcari solent, qui supra modum irascuntur. Sed neque ille fortis est habendus, qui ventri seruit, & omne suum studium in cibo, potúque delicatius, quàm ratio postulat, comparãdo ponit. Vt autem cognoscas quàm perniciosa gulæ seruitus sit, de manducante & bibente cum ebriosis in euangelio est scriptum, quòd diuidet eum dominus, partémque eius ponet cum hypocritis, vt videlicet ibi ficta crucietur abstinentia, vbi simulata torquetur sanctitas. Illic, inquit, erit fletus & stridor dentium, vt miserabiliter lugeant, qui in conuiuiis immoderatè lætati sunt, & esuriendo siccis crepitent dentibus, quos esculentis, poculentisque resper-

Luc. 6. Isaiæ. 3. Matth. 26. Matth. 24.

serant

Luc.6. ferant crapulando. Atque ideo alibi dicitur: Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Qui autem gulę atque ventri sese in seruitutem dedit idem luxuriæ, libidinisque vitio facilè cedet. Ventris enim repletione venas inflari, intumescereque necesse est, & inde pudēda ipsa in Venerem cōc tari, & in turpem pruritum exardescere. Quam autem malè cum illo agitur, qui his

Luc.15. affectibus est addictus, prodigi filij in euangelio miserabilis testatur euentus. Deuorasse dicitur substātiam suam cū meretricibus, & ad inopiam redactus pauisse porcos. Etenim substantiam nostram deuoramus, cum per peccatum diuinæ gratiæ lumen in nobis consumimus, atque ita porcos pascimus, rem gratam faciendo immundis spiritibus, qui nos ad impudicitiam stimulant, & si peccato inquinatos viderint, gaudent. Peccare autem non tantum opere libidinoso, fœdóque, verumetiam turpi cogitatione possumus, dicente domi-

Matth.5. no: Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eā in corde suo. Hoc autē quod viris dicitur, etiam mulieres respicit, quia caput mulieris vir est. Ita fit, vt quod capiti vetitum est, nec corpori licere intelligatur, præterea imbecillis animi certissimum argumentum est, voluntas incerta, nunc hoc aliud placet, proposito semper labenti & instabili. Quod si ille qui bene institutus perseuerat vsque in finem, saluus erit: nónne is qui in via vitæ multiplex ac varius est, procul erit à salute? Profectò nihil prodest corrigi, vbi contingit repentè deprauari. Sed cætera percurramus, cum de isto inconstantiæ vitio abūdè dictum est suprà. Igitur neque ille fortis erit, qui timore perterritus delinquit, & dum vel rerum suarum, vel corporis detrimentum, vel vitę periculum cauet, deum offendere nō veretur. Timuit Pilatus Cæsarem, quando Christum damnauit, quem confessus erat esse inno-

Luc.23. centem. Timuerunt apostoli, cum comprehendi vidis-

sent

ſent Ieſum, & dum fragili vitæ metuunt, veram deſerendo fugerunt. Timuit Petrus, quando dominum ſe noſſe negauit, pro quo poſtea ſpiritu ſancto confirmatus, mori non timuit. Infirmi etiam atque abiecti animi indiciũ eſt ocioſitas. Nonnulli quippe virtutis operibus ideo exerceri nolunt, quia verẽtur ne labori ſuccumbãt, maluntque ignauo otio torpeſcere, quàm vllam religioſæ vitæ fatigationẽ ſubire. Hi ſunt palmites illi infructuoſi, à vera vite abſcindendi, & cum nullum ſanctæ actionis humorem habentes exaruerint, mittendi in ignem, vt ardeant. Tempus enim ad bene agendum datum, nihil agendo conſumpſerunt, defoderuntque in terra talentum, à domino ideo commodatum, vt rediens exigat illud cum fœnore. Et ſi hac lege talentum iſtud accipimus, quomodo reſtituemus, ſi lucri nihil fecerimus? Poſtremò, qui animo imbecillo eſt, ne fidelis quidem eſſe poterit. Semper enim dubius pendet, & dum errare metuit, errat, diuerſarum gentium diuerſas conſiderat ſectas, & cui earum adhærendum ſit, incertus fluctuat. Cum nulla verior, credibiliórq; religio ſit, quàm quæ deo authore tradita eſt hominibus. Iſtos verò qui adhuc in ambiguo verſantes, nihil affirmare audent, puſilli animi eſſe declarat ipſe dominus, qui diſcipulis tempeſtatem formidantibus. Quid, inquit, timidi eſtis, necdũ habetis fidem? De talibus alibi ait: Ad tempus credũt, & in tempore tentationis recedũt. Ac ne plura enumerãdo longius protrahatur oratio, cuicunque vitia dominantur imbecillis & infirmus eſt. Fortis autẽ inuictus, cui adeſt virtus, quem non deſerit ratio, qua ipſe ſuam voluntatem à ſeculi voluptatibus auerſam, ad ea, quæ cœlo digna ſunt, dirigit, & ad æterna properans, ea quæ temporalia ſunt, conſtanti atque erecto animo contemnit.

Marc. 14.

Iohan. 15.

Marc. 4.

De contemptu

De contemptu gloriæ. Cap. XVI.

Quod si in fortibus censeri cupimus, præter iam dicta, hominũ rumusculos, & famæ mundanæ blandimẽta ne aucupemur. Si quid benefeceris, notum esse ei sat est, qui fidelium hominum benefacta, æternæ beatitudinis mercede compẽsat. Inanem autem gloriam semper fugiendam esse saluator
Matth. 8. noster & exemplo monstrauit, & pręceptis docuit. Des-
Luc. 5. scendens de monte, leproso mundato iniũxit ne cui diceret, in hoc instruens oportere nos quidem beneficos esse erga proximum, & tamen laudationes hominum non quærere. Duobus quoque cæcis, cum redintegratis oculis visum eis contulisset, comminatus dicitur, vt cauerent ne quis sciat, quamuis euangelista subiungens,
Marc. 9. dicat: Illi autem exeuntes (in domo enim sanati fuerãt) diffamauerunt eum in tota terra illa. Ex quo discimus, beneficia quæ contulimus, tacere quidem, quæ autem recepimus, prædicare: vt in altero ostentatio, in altero vitetur ingratitudo. Idcirco cæci isti post acceptam sanitatem, ne iussi quidem silentium tenere potuerunt, neque tamen ob hoc reprehẽduntur, quia & dominus ideo iussit vt doceret humilitatem, & illi ideo nõ obedierunt, ne magis ingratitudine offenderent. Iterũ gloriam hominũ minimè appetendam esse ostendens, cum multos aduersa valetudine, variisque morbis oppressos pristinæ sanitati restituisset, præcepit eis, vt Mat-
Matth. 12. thæus ait, ne manifestum se facerent. Quanquam enim non possumus non esse manifesti, quoties erga plurimos pietate, liberalitateq; vtimur, nulli tamen alij, nisi soli deo, hoc quod pro eius amore præstamus, notum fieri cupere debemus. Quemadmodum in eis, qui graui morbo liberati sunt, sanitas latêre non poterat, & tamen ipse, qui eam induxit, medicus, quasi latêre posset, ne vulgaretur imperauit, testatus bona quidem omni

loco,

loco, omni tēpore facienda esse, non tamen ideo, vt alij sciant, sed vt obsequiū præstetur deo, qui ea fieri præcipit, ad suam, non ad hominum gloriam, vt eam mercedem, quam nemo alius præstare potest, ab ipso recipere mereamur. Nullo modo celari potest illius vita, quem mortuum fuisse omnibus manifestum est, & tamen dominus filia archisynagogi suscitata, non solum præcepisse dicitur, sed vehemēter præcepisse, vt nemo id sciret. Quorsum ergo spectat, quod ita pręcipiat, nisi ne per bonū quod agimus, vulgi voculas requiramus? Qui enim id captant, mercedē à domino promissam, non merentur. Sed quæri potest, cum toties opera sua præceptor humilitatis celari iusserit, cur apud Gergezæos dæmoniaco sanato, dixit: Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit deus, quare hic nūtiari mandat, quod in supradictis tegi silentio præcipit? Respōdeamus, quia alibi de se tanquam de homine silentium imponendo, iactantiam vitandam docuit. Hic autem quasi de deo narrare oportere non dissimulauit, vt & nos quicquid bene agimus, non ad nostram, sed ad dei laudem referamus. Itaque non dixit, quanta ego, sed quanta tibi fecit deus. Illud quoque qualiter accipi debeat, nunc indagandum occurrit, quod in Marco scriptum legimus: Et ingressus domum, neminē voluit scire, & non potuit latêre. Sed hoc apud gentiles in finibus Tyri & Sydonis gestum esse meminisse debemus, quibus non antequam Iudæis prędicandum erat euangelium. Quia ergo vulgandi gentibus euangelij nondum tempus erat, dominus Iesus noluit tunc illis nuntiari per apostolos, sed tantum agnosci per miracula, his duntaxat, qui vltrò ad fidem venturi erant. Nō ergo voluit aliquid quod non potuit, sed & quomodo voluit, latuit: & quomodo noluit, latêre non potuit, rogatusque à muliere Syrophœnissa, filiam eius à dæmonis vexatione liberauit, vt dum verbi prædicatio subtrahitur,

Marc. 5.

Luc. 8.

Marc. 7.

Ibidem.

hitur, mirabilium operatio credere volẽtes inuitaret. Neq; enim repudiari debent, qui non vocati ad Christum veniunt, si etiam vocati, cum venerint, saluentur. Cæterum, quia gloriæ contemptorem etiam inuitum
Marc.7. ac nolentem sequitur gloria, apud eundẽ euangelistam habemus, quòd saluator noster his, qui surdum & mutum hominem ad se adduxerant, & sicut rogarunt, sanum receperant, præceperit ne cui dicerent: sed quanto magis præcipiebat vt tacerent, tanto plus prædicabant, & eo amplius admirarentur, dicẽtes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui. Præcipiebat sanè vt tacerẽt, sed tamen prædicantes non increpuit. Quo etiam nos opera nostra, & ad laudẽ nostram latere velimus, & ad profectũ aliorum non latere. Sciebat enim ille, cui etiã futura præsentia sunt, quia magis prædicaturi erant, quod multis profuturum esset, & nequaquam ex hac causa silentium imperabat, sed ex ea, qua inanem gloriam non admittebat. Alioquin superuacaneum foret iubere aliquid eis, quos contrarium facturos non ignorabat. In omnibus igitur iustitiæ, pietatisque operibus quærendæ propriæ laudis absit intentio, sed alienę vtilitatis causa, vt innotescamus non desit charitas, & id quoties videbitur opportunũ, hoc est, cum non sit periculum, vt vel auditor iactantię crimẽ imputet, vel doctor committat. Quod quoniam frequenter contingit, semper tutius existima, nihil de te prædicare, nihil quod deo teste agis, ab aliis inspici velle. Gloriæ quippe mundanæ cupiditate duci omnino nefas esse etiam tunc monstrauit dominus, cum diceret: Ego non quæro gloriam meam. Qui illum verè
Iohan.8. imitari desiderat, non quærat gloriam suam, sed gloriam dei, monente Apostolo ac dicente: Siue manduca-
1.Cor.10. tis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam dei facite. Illi omnia in gloriam dei faciũt, qui nihil ex iis, quæ bene laudabiliterque agunt, sibi arrogant: sed cuncta

cuncta ad gratiam dei, qua semper indigemus, referũt. Latere volunt, ne ipsi laudentur: latere nolunt, vt laudetur deus, obseruantes præceptum dicentis: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrũ qui in cœlis est. Neque hoc repugnare putemus alteri sententiæ postea dictæ. Attẽdite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Per hoc enim quod subiunxit: Vt videamini ab eis, ostẽtationem facti prohibet, non spectaculum. Eadem ratione & eleemosynam fieri iubet in occulto, & orationem in abscondito, vt totum optimi cuiusque studium sit, non suam laudem, sed dei quærere. Huiuscemodi occultationem, & parabola illa nobis insinuat. Simile est regnum cœlorũ thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, abscondit. Thesaurum in agro, vitam perfectiorem in ecclesia intellige. Hanc cum inueneris, ita abscondere debes, vt quod per gratiam spiritus sancti adeptus es, per tuam inanem iactantiam non amittas. Et quoniã hoc cœleste donum comparari non potest, nisi contemnantur terrena. Vadit, inquit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Renũtiat enim omnibus carnis voluptatibus qui perfectus est, vt voluptate spiritus quæ in deo habetur, frui possit. Quanto tamen perfectior fuerit, tanto minus latere poterit. Nõ potest abscondi ciuitas in monte posita, neque lucerna super candelabrum lucens. Quamuis in solitudine & in montibus ferarũ petat cubilia ac humano cultu semotus, deo tamẽ volente, proditur, vt alij suo exemplo ad calcandam mundi gloriam, cœlestium amore accendantur. Solus ergo in domino gloriari poterit, qui vanitatis humanæ pompam honorésque contempserit. Sic enim & Apostolus gloriatus est, dicens: Ab sit mihi gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mũdo. Et si humilitas ista

Matth. 5.

Matth. 13.

Galat. 6.

sanctos deceat, profectò non sancti sed stulti sunt, qui terrenæ laudis honore delectantur. Horum nunc dementia veri assertione ostendẽda est, ne quis errore lapsus vitium amplectatur pro virtute: & dum honorari ab hominibus appetit, à deo reprobari mereatur.

De gloriæ appetitione. Cap. XVII.

Matth. 23. SCribas & pharisæos inanis gloriæ arguebat dominus, cum de illis diceret: Omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias, amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & vocari ab hominibus Rabbi. Igitur qui gloriã hominum appetit, non Christum, sed Christi aduersarios, scribas & pharisæos imitatur: quantóque magis humano ore laudari concupiscit, tanto grauius iudicio condemnatur diuino. Multos quidem vanæ gloriæ cupiditas à Christi religione dissidere, & contra veritatem stare compellit. Dum enim cęteris ingenio & eruditione præstare videri volunt, scripturæ sensus ab ecclesia receptos atque approbatos impugnare nituntur, nec ad hæreticorum prauitatem declinare timent, vt aliquid se acutius inuestigasse rudi plebeculæ persuadeant, & apud indoctos doctorum laudem sibi comparent. Quamobrem talibus est dictum: Quomodo vos Iohan. 5. potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo deo est, non quæritis? Plerique autem eodem appetendæ gloriæ vitio superati, tametsi fideles sint, si tamen ab infidelibus honorantur, cauent ore confiteri, quod corde credũt, & humanam laudem fide ipsa potiorem habẽt. Siquidem tales illi erant, de Iohan. 12. quibus Iohannes memorat, dicẽs: Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter pharisæos non confitebantur, ne de synagoga eiicerẽtur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam dei. Quàm ergo

ergo perniciosum vitium est inanis gloria, quæ alios ita infatuat, vt Christum confiteri non audeant, alios etiam vt negare non vereantur. Verum esse quòd dicimus, nostræ quoque ætatis exempla probant. Vidimus non paucos ex Christianis transisse ad Machumetanos & præfecturæ sibi collatæ honore illectos, eorum ritus legésq; subisse, maluisséque sine Christo, quàm sine potestate viuere. Cæterum ne illi quidem, quamuis cum fidelibus censeantur, virtutum suarum fructũ aliquem referre poterunt, qui in his non ad laudem dei, sed ad plebis plausum exercentur. Humilitatem præ se ferũt, & in postremo conuiuij loco discumbũt, non quia humiles sint, sed vt esse videantur. Vel sicut in euangelió dicitur. Exterminant facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes, eleemosynas faciunt, & tubis insonãt ostentationis, vt misericordiæ sibi laudem vendicent, atque ita bonum opus malo fine corrumpunt. Cũmque ab ipso bonarum actionum remuneratore deo mercedem recipere potuissent æternam, fragilẽ & caducam malunt, fucum videlicet istum volatilem auræ popularis. Huius tam peruersæ sanctimoniæ & illi erãt, qui saluatorem nostrum interrogauerunt, dicentes. Quare nos & pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Quæ autem vtilitas est, vacuum cibo gerere ventrem, & gloriæ cupiditate repleri? Hac tamen & pharisæus ille refertus erat, quam certè nec coram deo puduit arrogantius quàm decebat sese efferre. Deus, gratias ago tibi, inquit, quia nõ sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, veluti etiã hic publicanus; ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Gratias quidẽ deo agere debuit, sed aliis detrahere, séque tam improba iactatione efferre non debuit. Sic reliquos depressit, quasi sibi æquandus esset nemo, sic semetipsum commẽdauit quasi ad ea quæ faciebat, nihil vltra addi oporteret, cum ieiunare adiu-

Matth. 6.

Marc. 2.

Luc. 18.

mentũ potius virtutis quàm virtus sit, & decimas dare, æs alienum soluere, nõ aliquid sua sponte offerre. Tantum autẽ hac ostẽtatione profecit, vt publicano, quem procaciter taxauerat, minus iustus de templo discederet, documentoque esset, peccatorem, qui se humiliat, magis esse deo charum, quàm innocentem, qui sese aliis præferendum iactat. Non possumus tamen, quin tangamur aliquando gloriæ palpatione, sed statim aduocanda ratio est, vt quod caro blanditur, iustis iudicio protinus repellatur. Nam & apostolos Zebedæi filios honoris tentauit ambitio, cum alter ad dexterã, alter ad sinistram domini, quem mox in terra regnaturum putabant, sedere concupiscent. Et quoniam terrenis adhuc affectibus ducebantur, responsum est eis: Nescitis quid petatis. Quod si nescit quid petat, qui præferri cæteris appetit, nónne cæcos & improuidos homines facit ipsa humanæ laudis affectatio? Etenim dum laudari cupiunt, ad vulgi opinionem viuant necesse est, & magis placeant simulatione quàm veritate. Necesse est etiam vt offensi irascantur, ne timidi & abiecti reputentur: vt inuideant, ne aliis minoris æstimationis habeantur, vt reliqua huiusmodi perpetrent, quæ vulgus fieri amat, quamuis ea boni & æqui ratio nõ admittat. Ideo sanè apostoli præceptum est. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Cum igitur plurimum mali ex laudis humanæ captatione soleat oriri, & nihil solidi boni nasci, quinimò cœlestis merces, quæ nobis à domino promissa est, tolli: quandoquidem illi, qui sic afficiuntur, mercedem dicuntur accepisse, contempta huiusce vanitatis cura, Apostolum audiamus monentem: Qui gloriatur, in domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem deus commendat. Audiamus & dominum præcipientem: Cum omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, fecimus

mus enim quod facere debuimus. Ad hæc semper peccatores nos esse meminerimus. Si enim dixerimus quia peccatum non habemus nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Denique nihil boni vel in nobis, vel extra nos esse, de quo quasi de nostro gloriari possum⁹, dicente Apostolo: Quid habes quod non accepisti? & si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Cum ergo cuncta quæ agimus aut dicimus laude digna, ad deũ referenda sint, vt ad bonorum omnium authorem atque largitorem, profectò aliquid ex his nostræ virtuti ascribere velle, summæ ingratitudinis crimen est, arrogantiæque non ferendæ. Facilè autem gloriam præsentem contẽnet, qui semper fragilitatis humanæ memor erit, quàm in primis mortis nostræ testatur conditio, de qua peropportunè quidem nunc tractabitur. 1. Cor. 4.

De mortis conditione. Cap. XVIII.

NOn est ibi stabilis gloria, vbi non est vita diuturna. Nobilem ignobili, liberum seruo, diuitẽ pauperi, strenuum ignauo, doctum indocto, sapiẽtem stulto, regem denique priuato æquat mors. Et si fama superstes viuat, quid ad te? quam voluptatem ex eo capies, si non audis quid de te post te dictitent homines? Solẽt illi quidem qui per adulationem viuo laudes dixerant, de mortuo nonnihil obloqui, quippe cuius iam neque beneuolentiam captent, neque vim formident. Sed esto vt lauderis, & in ore viuas multorũ, & hoc insuper abs te illi, qui ad inferos descendunt, perferant, nunquid nuncio isto illa tibi leuare cruciatus poterũt, & non magis grauare, si ideo te noueris fuisse damnatum, quia nõ virtuti laborasti dum viueres, sed gloriæ, & hominibus magis placere quàm deo solicitus fuisti? Quàm igitur imprudẽter, imò quàm stultè inanis gloria quæritur, quæ etiam in infamiam verti potest, & si non vertatur, vel ignorata nihil iuuat, vel cognita plus

 do-

Luc.16. doloris ei cuius est, affert q̃ consolationis. Quid profuit diuiti in euangelio quotidie splédidè epulari, purpura byssóq; indutum in publicũ procedere, à plurimis honorari? aut quid nocuit Lazaro mendico canibus tantũ qui hulcera eius lingebãt, esse notũ? Si hic defunctus ab angelis in sinu Abrahæ collocatur, si ille in inferno sepelitur, & in igne ardet, & gutta aquę indiget, & nullũ supplicij finem sperat? Vtriusq; exitũ cõsidera, & iam magis optabis inglorius & ignotus deo seruire, q̃ quærendæ laudis gratia, vrbibus ac prouinciis imperare. Nunc reliqua, quæ ad mortẽ hominis pertineant, euãgelij loca præcurrendo, more holitoris inter salubres herbas, eam tantũ, quę ad pręsentem vsum facit decerpentes inquiramus. Naturale est omnibus animantibus mortẽ timere. In his tamen quæ ratione vtũtur, id est, in hominibus, timorem istum à natura insitũ, vitæ immortalis cupiditas superat ac vincit. Vtrunq; de saluatore nostro euãgelistæ nobis prodidere. Sic enĩ in Matthæo legimus. Cœpit Iesus cõtristari & mœstus esse, tũc
Matth.26. ait illis, Tristis est anima mea vsq; ad mortẽ. Quamuis alij mœstitiæ huius causam assignent non timori mortis, sed ei dolori quẽ capiebat ex proditione Iudæ proditoris, aliorúmque in se credere nolentium, posset hoc tamen, quod propinqua iam passione est dictum, & ad metum mortis referri, non tam quia timuit, quàm vt hac etiam in re, sicut in cæteris in se hominis naturam ostẽderet. Separari autem à corpore nemo est qui vellet, nisi idem per separationem istam ad æternam beatitudinem se transiturum speraret. Paulus apostolus nunquam dixisset. Cupio dissolui, nisi cupitæ dissolutionis causa potior subesset, quàm in corpore viuere, quam ipse ostendit continuò subiungens. Et esse cum Christo. Christus autem postquam cœpit contristari, vel, vt alius euangelista ait, tædere & pauere, ex natura passibili & infirma, ex eadem paulò pòst dixit. Pater

mi, si

mi, si possibile est, trãseat à me calix iste. Sed quoniam ratio ipsa in nobis vincere debet naturalẽ carnis motum, nihil moratus intulit. Verũtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Vt semper dei volũtas preferatur hominis voluntati. Vis non timere mortem? crede in illum qui ait, Ego sum via, veritas, & vita. Hic est enim via morum, veritas fidei, vita retributionis. Propterea quidem etiam hortatur nos dicens. Amen, amen dico vobis, quia qui verbũ meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium nõ venit, sed transit à morte in vitam. Quòd si in Adam morimur, & in Christo reuiuiscimus, si de morte nobis trãsitus est ad vitam, nõ est cur mortalitatem exui timeamus, mox immortalitatem induendi, tantóque minus cum etiam corpus nostrum rursum assumpturi simus, non quale deponimus, tetrum, tardum, graue, ignobile, terrenum, fragile, mortale, sed lucidum, agile, leue, gloriosum, omni pristina fece carens, nullis casibus obnoxium, beatitudinis capax, mortis expers, dicente Apostolo: Nostra conuersatio in cœlis est, vnde & saluatorẽ expectamus dominũ nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ cõformatum corpori claritatis suæ. Nos hac tanta spe confirmati non solum mortem non timere, sed etiã nullum mortis genus debemus exhorrescere. Ideo dominus noster cum asperrimam tum ignominiosissimã elegit crucis mortem. Quem secuti sancti martyres omnes tyrannorum minas contempsere, omnia vicere tormenta, magis timentes deum offendere, quàm quæcunq; extrema perpeti. Quid quod etiam multi ante persecutionem, imò ante Christum, cum nondũ paradisi ianua pateret, mori optarint? Ingemiscens Dauid ait, Hei mihi quia incolatus meus prolõgatus est. & Elias, Sufficit mihi domine, tolle animam meam, & Iob. Quare non in vulua mortuus sum? egressus ex vtero non statim perij? & Io-

Iohan. 14.
Iohan. 5.
Phil. 3.
Psal. 119.
3. Reg. 19.
Iob. 3.

Ionas.4. nas. Domine tolle quæso animam meam à me: quia melior est mihi mors quàm vita. Quod si hi quibus adhuc clausus erat aditus regni cœlestis, hinc decedere optarunt, nos timebimus quibus per Christum à maledicto iam liberatis patet paradisus? quosque corpore isto exutos protinus excipit cœlestis claritatis habitaculum sempiternum? Ob hoc ergo probatæ vitæ homines mori non formidant, quia preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius. Ob hoc autem impij & iniqui terrētur, quia mors peccatorum pessima. Itaque non dolore vehementi, neque immodico fletu prosequi debemus eorum funera, qui fide virtutéque satis præditi vixerūt. Beati enim sunt mortui qui in domino moriuntur, amodò dicit spiritus, vt requiescāt à laboribus suis. Vnde non immerito felicem talium obitum scriptura sæpenumero dormitionem appellat, vt quiete eos & vita simul frui significet. Puellam suscitaturus dominus. Non est mortua (inquit) sed dormit. Et de Lazaro, Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum. Paulus quoque cum de mortuis loqueretur: Fratres, inquit, nolo vos ignorare de dormientibus. Et in psalmo habetur: Cum dederit dilectis suis somnum. Honestiore igitur quàm mortis vocabulo mors notata est iustorum, qui in domino viuūt. Vnde Christus iudex nuncupatus est viuorum & mortuorū. Plura quippe mortis genera sunt. Et propriè mors corporis recedente anima quæ viuificat illud: est per metaphoram mors animæ cum propter peccatū à deo deseritur: est mors reorū pœna in iferno, hęc in Apocalypsi secunda mors appellatur. Quamuis enim anima etiam peccatrix immortalis sit, mortua tamen est, tum quando in corpore non deo viuit sed peccato, tū quando in inferno pœnas luit æternas. Nam cum mors primorum hominum in pœnam peccati data sit, ipsa pœna quæ pro peccatis infertur, mortis interdum nomine designa-

Psal.115. Psal.33. Apoc.14. Luc.8. Iohan.11. 1.Thess.4. Psal.125.

designatur. Atque ideo sanè nec ipsam corporis mortem bonam esse dicimus, quia stipendium peccati est, quia sine dolore est, sed tamen vt malis perniciosam, ita bonis vtilem. Alteri enim moriūtur vt in æternum viuant, alteri vt in æternum crucientur: fugienda ista, expetenda illa, etiam cum tormentis & suppliciis pro tempore toleranda. Si enim tolerabimus & conregnabimus. Magis excoctum aurū purius nitet, & terra per se ferax, si aratro aut ligone versata fuerit, fructus huberiores reddet. Mortis tempore nō est iustitiæ nostræ operibúsque confidendum, sed in misericordia dei sperandum, cum sanctus Apostolus dicat: Non ex operibus quæ fecimus nos, sed secundum magnā misericordiam suam saluos nos fecit. Animam igitur à corpore decedentem soli illi qui saluare potest, commēdemus. Qui vt hoc nobis insinuaret, iā morti propinquus, iam spiritum traditurus. Pater, inquit, in manus tuas commēdo spiritum meum, & hæc dicens expirauit. Et nos ergo commendando animam deo, misericordiámq; eius implorando, ac precibus insistendo vitam istam finiamus, & tūc sequetur quod paulò antè diximus: Preciosa in conspectu domini mors sanctorū eius, & beati mortui qui in domino moriuntur. Cæterum, sicut nō timere mortem ad seruos dei pertinet, ita econtrario eam formidare ad seruos mūdi. Quod vt clarius constet, de vana præsentis vitæ cupiditate aliquid dicamus. Tit. 3.

De vitæ cupiditate. Cap. XIX.

SI diu viuendi vel vota vel confidentiam hominum rectè perpenderimus, plurimos quidem, qui ita afficiuntur, vanitatis imprudentiæque arguemus. Diu viuere sperabat diues ille in euāgelio, qui frugum hubertate lætatus dilatare cogitabat horrea, cellariáque ampliare, & his quæ vna æstas attulerat, per annos multos frui. Tantos autem cogitatus abscidit nāquam Luc. 12.

satis prouisa mors, atq; nocte illa qua ipse sibi longiora feliciora'que vitæ spatia promittebat, coactus est decedere, & cũcta quæ collegerat, aliis relinquere possidenda. Frustra igitur aliquid diuturnum fore speratur, quod statim potest deficere. Sed aliud est sperare, dices, aliud cupere, licet non idem sint, alterum tamen ab altero pendet, & ex desiderio spes, ex spe oritur desiderium. Alioqui quid stultius esse potest, quàm cupere aliquid quod te assecuturũ non speras? Sed cupis diu viuere, simul & speras, veruntamen times ne te spes ista fallat, atque ita inter spem metúmque dubius fluctuas. Et cum ita sit, quæro abs te, cũ voti compos fueris, cum ad decrepitam vsque ætatem perueneris, quàm diu vixisti? annos centum aut plures fortasse, si toto hoc tempore deo vixisti, præclarè quidem tecum agitur: mox enim in æternum viuere incipies: at si tibi tãtum, malè profectò rebus tuis cõsuluisti. Voluptas quippe omnis quæ cum ætate præteriit pro nihilo est, peccata autem manent & perdurant, quibus grauatus animus ad inferos ruit, ibi pro breuibus deliciis pœnas luiturus sempiternas. Quid quod omnium hominũ breuissima vita est super terram: at que (vt Iacobus apostolus ait) vapor ad modicum parẽs. Quæ res cum neminem lateat, quid quæso tantopere cupimus, quod velimus nolimus, citò pertransiturum non ignoramus? Diu vixit Adam, diu Mathusalem, aliique nõnulli ex patribus. Diuturnitas tamen ista senescente mundo defecit. Quis enim nostra memoria centesimum vitæ attigit annum? cum præsertim Psalmista dicat: Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, si autem in potẽtatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor. Quare si quem inuenire potes octogenarium senem sanum, neminem certè reperies cui vel aures non obsurduerint, vel visus non hebetauerit, vel pedes non titubent, manus non tremant, dorsum non curuetur, dẽtes, si qui reliqui

Iacobi. 4.

Psal. 89.

liqui sunt, non fluitent, & tota corporis deformata facies non penitus alia sit quàm fuerat. Adde tussim, apoplexiam, paralysim, stomachi cruditatẽ, ventris tormina, inguinum tumorem, spirãdi difficultatem, mingendi stranguriam, aliáque huiusmodi multa, quæ annositas ipsa secum apportat, nec corpus modo, verumetiam mentem infestans. Videas enim plerósque delirare per ætatem, & qui paulò antè sapientes habiti erant, iam ridiculos esse. Cúmque tot mala vna senectus afferat, nónne satis apparet eum, qui diu viuere appetit, non vitam appetere, vt putat, sed morbos? Si quibus autem contingat, quod rarissimum est, vt etiam in senecta integris sensibus, vegetóque corpore & mente illæsa sint, hoc donum dei est, cœlestísque gratiæ fauor, non longæuæ ætatis, quæ cũcta corrumpere consueuit, beneficium. Quod Ecclesiasticus testatur, dicẽs: Dedit dominus ipsi Caleph fortitudinem, & vsq; in senectutem permansit illi virtus. In Iob etiam legimus: Sperabam quòd ætas prolixior loqueretur, & annorũ multitudo doceret sapientiam, sed, vt video, spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligẽtiam. Denique in euangelio dominus: Dabo vobis, inquit, os & sapientiam. Hanc vero sapientiam & iuuenes expetere & senes debent. Quam si adepti fuerint, dabunt certè operam non vt diu, sed vt bene viuant, neque vt ætate, sed moribus graues sint. Nam diu viuere hoc quoq; malè habet, quod necesse sit, vt qui diu vixerit, mortes videat multorũ, lugeat liberorum orbitatem, ingemiscat coniugis, fratrum, cognatorúmq; funera, & frequenter exitu tristetur amicorum. Quinetiam vel sua vel aliorum adhuc viuẽtium infortunia deploret, quandoquidẽ crebrius mala quàm bona contingere mortalibus solent. Quas ob res vnam tantum habemus (vt equidem reor) vitæ diuturnioris concupiscendæ causam, vt videlicet quo plus vixerimus, huberiores

Eccles. 46.

Iob. 32.

Luc. 12.

beriores pœnitudinis nostræ fructus colligere possimus, tantoq; maius promereri apud deum præmium, quanto prolixioris temporis laborem eidem seruiẽdo sustinuerimus, dum & aliis prodesse optamus, & pro nobismetipsis cupimus facere satis. Alioqui lõgam vitam desiderare, non dei, sed sęculi amatorum est, qui nullo præsentium voluptatum haustu satiantur: qui semper viuere vellent, vt semper peccare possent. Et tamen malè cupita senectus in eo illis bene consulit si venerit, quod lasciuiendi vires obscœnósque amputet affectus, & ad continentiam cogat vel inuitos. Cæterũ, quoniam fidei integritati congruit, nõ solum quæ iussa sunt obseruare, sed etiam quę consulta perficere, opportunè nunc occurrit, de perfectæ religionis professione facere sermonem.

De perfectione vitæ. Cap. XX.

Matth. 22. PErfectioris vitæ conuiuiũ est, ad quod inuitat nos dominus: multos quidem vocat, sed nõ omnes qui vocati sunt veniunt: alium retinet corporis voluptas, alium cumulandarũ opum cupiditas impedit. De quibus dicitur, Illi autẽ neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam. His grauati venire omnino nequeunt. Deponendum est ergo onus, si altiora cupis ascendere, & de paucorum esse numero electorum. Tũc te verè à deo electum esse noueris, cum magno animo illa quæ multorum sunt, contemnere cœperis, & omnem prorsus affectum ad solum Christum conuerteris, solũ imitari statueris: Ait enim, Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus, qui amat filium aut filiam super me, nõ est me dignus. Ita tuos ama, vt deũ non offendas, alioquin plus te illos diligere argueris, quorum causa peccare non timueris, quandoquidem etiam propria mors magis est eligenda, quàm crimen cõmittendum. Ideo subditur.

ditur. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Etenim quemadmodum ipse crucifigi voluit, vt nos redimeret, ita tu crucis mortem timere non debes, dum tuum confiteris redemptorem. Tunc autem verè viuere incipis, cum pro eius nomine occideris. Qui perdiderit animam suam (inquit) propter me, inueniet eam. Transit enim de morte ad vitam, de terreno habitaculo ad cœleste regnum semper beatus futurus, qui mori innocens maluit quàm nocẽs viuere. Solent autem parentes cognatíque qui mundana sapiũt, modis omnibus iter impedire ad perfectionem tendentium, conqueruntur se derelictos, omni solatio destitutos. Qua in re cauendũ est, ne nostra erga parentes pietas, impietas fiat in deum. Contemnẽdi quippe sunt, quoties à dei seruitio auertere nos moliuntur, & quasi odio habendi, ne nos odio simus deo, si vocationes eius atque inuitamẽta crebrò cordibus nostris infusa neglexerimus, cũ præsertim ipse dominus noster dicat, Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Denique ait, Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Non potest toto pietatis affectu inhærere Christo, cui⁹ animus aliqua terrenarũ rerum cura in diuersum distrahitur, in eo enim deficiat necesse est, in quo adhuc aliqua carnali cupiditate inclinatur, propterea quidem vocati apostoli, quoniam aliter sequi Christũ non poterant, & retia & patrem reliquerunt. Non poterãt effici Christi discipuli, nisi per omnia ei se conformari studuissent, æmularentúrque eius paupertatem, humilitatem, castitatem, docendi studiũ, omnes iuuandi curam, omnia sustinendi patientiam. Si quis vult, inquit, post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suã, & sequatur me. Abnegat semetipsum, qui non iam carni

Luc. 14.

Matth. 4.

Luc. 16.

carni paret, sed spiritui: non iam mũdo, sed mundi domino seruit, vt longè alius sit, quàm qui hactenus fuerat. Tollit autem crucem suam, qui pro veritate asserenda nec supplicia deuitat, nec mortem horret, atque ita Christum sequitur. Ille enim cũ dominus esset, formam serui accepit: & qui in se impassibilis erat, in homine assumpto crucem passus est, ne id nos pro nomine eius subire timerem⁹, quod ille pro amore nostro perferre voluit. Ne autem paupertatem timeas. Quærite, inquit, primum regnum dei, & hæc omnia, quæ videlicet vitæ necessaria sunt, adiicientur vobis. Ne etiam mortem exhorrescas, ait: Qui credit in me, nõ morietur in æternum. Ne denique suppliciis terrearis: Mundus, inquit, gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra conuertetur in gaudiũ. Tu interea si perfectæ consummatæque religionis laboribus implicari durum putas, promissæ mercedis magnitudinem considera. Ait enim: Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suę, sedebitis & vos super sedes XII. iudicantes XII. tribus Israël. Perfectis ergo suam communicaturus est dignitatem, qui cum ipso communicare non dubitarunt laborum angustiarúmque patientiam. Duodecim autem sunt qui iudicant, & totidem qui iudicantur: quia illi filij lucis sunt, tanquã duodecim horæ diei: hi verò filij tenebrarum sub eodem nocturnarum horarũ numero cõprehensi. Quamuis enim non omnes damnandi sunt, minus tamen illis clari, quos perfectionis opera commendant. Sequitur: Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxores, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit, hoc est, sublimiorem beatitudinis obtinebit gradum, vitáque perenni perfruetur. Exquisitæ enim sanctitatis viri, licet vitæ æternitate aliis in paradiso sanctis pa-

Matth. 19.

res erunt, beatitudinis tamen magnitudine atque gloriæ illis præstabunt, dicēte Apostolo: Stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum. 1. Cor. 15.
Quanto quis plenius in se Christi similitudinem expresserit eum hîc imitãdo, tanto illi proximior est futurus in cœlesti regno. Hoc certè ipse pollicetur, dicēs: Iohan. 12.
Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Hæc talia si rectè perpenderis, profectò iam nihil tibi aut factu difficile videbitur, aut toleratu durum. Iam tibi sedebit animo vendere vniuersa quæ habes, diuitias, voluptates, concupiscentias, & emere thesaurum illum præ omnibus mundi thesauris concupiscendũ: nunc quidem in ænigmate absconditum, tunc autem manifestum futurum, cum videbimus illum sicuti est. Hoc idem enim est & pretiosa margarita, qua cōparata nihil erit vltrà desiderandum, cum omnis plenitudo gratiæ in Christo sit: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. In ipso enim inhabitat (vt Apostolus ait) omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Libēter igitur eliges esse cum Christo pauper, vt in deo diues sis: optabis Coloss. 2.
cum illo emori mundo, vt viuas deo: terrena denique omnia sordere tibi incipient, cum in cordis tui hospitiolo susceperis Christum. Nihil illo est dulcius, nihil suauius. Iure suo dixit, cum ad sui seruitium fideles inuitaret, Iugum meum suaue est, & onus meũ leue. Hoc Matth. 2.
diuinus psalmista sensit, dicens: Gustate & videte, quoniam suauis est dominus. Hac certè dulcedine affecti Psal. 33.
erant apostoli, cum inter flagella gauderent, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Et cum sæuissimi tyranni tormenta proponerent, necem minarentur, ne Iesum euangelizarent, tacere omnino non poterãt: tanto illis nomen domini sui iucundius fuit, quàm vitæ præsentis vsus, aut doloris per supplicia

plicia infligendi cumsio. Tales itaq; esse debent, qui volunt montem excelsum conscēdere cum Petro, & operarii fieri vineę domini, & abiecta seculi huius sarcina, per foramen acus transire, percalcatísque mūdi angustiis, ad beatam illam regni cœlestis amplitudinē peruenire. Tu igitur qui relicta sindone nudus impiorum manus effugisti, ne reuertaris tollere tunicā tuam, nec aratrū tenens respicias retrò, vt aliquando imprudenter cōcupiscere incipias, quod propter Christum prudenter reliquisti. Multo melius est, nō nouisse viā perfęctionis, quàm postquam noueris regredi velle, & cum Anania Sapphiráque spirituisancto mentiri audere.

De vita solitaria. Cap. XXI.

HVic excellentissimæ professioni accommodatissima solitudo est. Da igitur operam, vt in cœnobio cella, in deserto locus ab humano cultu vacuus, legendi, scribendi, orandi, & ea quæ æterna sunt contemplandi opportunitatē tibi præstent. Nulla horum libera meditatio habetur in frequentia cœtúque multorum. Vulgi clamor, vrbani tumultus, amicorum interpellatio, mulierum conspectus, cognatorum mortes, mentem deo intentam conturbant, nec in illo conquiescere ipsam pro voto sinunt. In solitudine autem concupiscentiæ quoque magna pars tollitur, dum illa quæ malè cōcupiscuntur, nostris aspectibus procul submota latent, cum multo magis visa moueant animum, quàm cogitata: & quod rarius cernitur, facilius obliteretur, quantum præterea viro religioni dedito conferat ipsa solitudo, ex euangelio discitur. Principis filia
Matth. 9. vita defuncta, non antea à morte suscitatur, quàm tibicines & tumultuantium turba excluderetur. Solitudo itaq; præcipuè quærenda est, vt anima in peccatis mortua, per pœnitentiam ad gratiam viuificātem reuocetur. Quoniam vt modo diximus, & pessimæ animi cupidines

pidines minus in secessu virium habent: & mens terrenarum rerum curis expedita, ad contemplanda diuina magis attollitur, dicente ad discipulos domino: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillũ. Multa quidem vbique pugna, sed tamen in deserto requies aliqua, quamuis pusilla. Certior autem ibi vincẽdi spes est, vbi post laborem ad vires resocillandas, nonnulla quietis conceditur mora. Quod nobis innuere volens dominus, in deserto tentatus, à diabolo collatis signis victoria potitur: fuso denique fugatóque hoste triumphans, angelorum vtitur ministerio. Scriptũ est enim: Tunc reliquit eum diabolus, & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei. Idem eos, qui in Iudæa sunt, vt ad montes fugiant, hortatur. Iudæa, confessio & glorificatio interpretatur: vt is qui Christum confitetur, & ad celsiorem beatitatis gloriam aspirat, frequentiam fugiat, solitudinéque delectetur. Quod si docendi officio fungitur, & vicos vrbésque peragrare necesse est, tantisper in publicum prodeat, donec populo saluti congrua per sermonem insinuet: Erat enim Iesus, vt Lucas ait, diebus docens in templo: noctibus verò exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliueti, vt nobis ostenderet & tempus & locum orationi contemplationíque aptum. Commodissimè enim tunc oratur, cum cuncta silent. Inter orandum autem in montem ascendere iuberis, vt sicut montium fastigia cœlo proximant, ita tu ad cœlestia cõtemplanda animo subleueris. Hoc ipsum Marcus quoque testatus est, dicens: Et cũ dimisisset eos, quos videlicet docuerat, abiit in mõtem orare. Dominus ergo noster, quod verbis docuit, hoc exemplo monstrauit, in ipso orationis tempore secedendũ esse à turba, & in loco secretiore orandum. Vnde iterum Lucas. Ipse autem secedebat, inquit, in desertũ, & orabat. Desertum istud mons Oliueti erat, mons autem contemplationis altitudinem designat. Sed ad hanc altitudinem

Marc. 6.

Matth. 4.

Luc. 21.

Idem. 21.

Marc. 6.

Luc. 5.

nem aſcendere nequimus, niſi hominum frequentiam fugerimus. Zachæus præ turba non poterat videre Ie-
Luc.19. ſum. Difficile eſt enim in medio plebis verſari, & mẽtem in deo fixam firmámque habere. Aſcẽdit ergo arborem ſycomorum vt videret Ieſum, altiúſque ſeſe cęteris erexit, non ſuperbia, ſed cogitatione, extra turbã quærens, quod in turba inuenire non poterat. Iohannes quoq; Baptiſta in matris aluo ſanctificatus, vt ſanctior fieret, deſertum incoluit, ibi manens Chriſtũ baptizare meruit, & de illo prophetare, & ab illo teſti-
Luc.7. monium accipere, dicente. Inter natos mulierum non ſurrexit maior Iohanne Baptiſta, atque húnc eundem, quem homines vt prophetam honorabant, ipſe plus q̃ prophetam eſſe aſſeruit. Poſtremò ipſe dominus Petro, Iacobo, Iohanni diuinitatis ſuæ claritatẽ oſtẽſurus non ſolum in montem, ſed in montem excelſum duxiſſe eos dicitur, tanta viſione non poterãt eſſe digni, niſi à turba ſecederent, & humana tranſgreſſi, ſublimitate con-
Marc.9. templationis cœleſtibus insererentur. Ex his quæ dicta ſunt, diſcere poſſumus, vt ille perquam rarò cõuerſetur cum hominibus, qui ſæpe cũ deo eſſe deſiderat. Nũc his qui ſacerdotalibus initiari ſacramentis volunt, oſtendemus quibus rebus & bonus conſtet ſacerdos, & malus efficiatur, vt diſcant quæ ſibi expetenda, quæque fugienda ſint, vt bonorum potius gloriam conſequantur, quàm in ſortem concedant malorum.

De bono ſacerdote. Cap. XXII.

TAnta ac talis dignitas ſacerdotalis eſt, vt nulla maior homini conferri poſſit. Et quoniam angelicæ ſublimitati exęquatur, ſacerdos ipſe aliquã-
Malac.2. do in ſcripturis angelus eſt appellatus. Vt illud Malachiæ: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus eſt domini exerci-
Apoc.2. tuum. Iohannes etiam in Apocalypſi, ſeptem angelis, à

ſeptem

ſeptem in Aſia eccleſiarum epiſcopis ſcribere iubetur, hoc eſt, Epheſi, Smyrnæ, Pergami, Thiatyræ, Sardis, Philadelphiæ, & Laodiciæ. In his ſingulis ſinguli epiſcopi erant, & officij ſacerdotalis meritò angeli nominantur. Hoc tamen minus mirabimur, ſi meminerimus ipſum dei filium Ieſum Chriſtum ſacerdotem factum, deo patre ad eum dicente: Tu es ſacerdos in æternũ ſecundum ordinem Melchiſedech. Nihil iſto ſacerdote maius, nihil mirabilius excogitari poteſt: ita nec ſacerdotij honore quicquam præſtantius haberi. Cæterum, iuxta domini ſententiam: Cui multum datum eſt, multum petent ab eo. Omnibus ergo virtutibus excultum atque exornatum oportet eſſe ſacerdotẽ. Vt igitur verè ſacerdos ſit, neceſſaria eſt illi ſobrietas, caſtitas, fides, charitas, iuſtitia, prudentia, ſcientia, terrenarúmq; rerum contemptus, & cœleſtium deſiderium atq; amor. Vt ſit ſobrius, dominum audiat in Ezechiele præcipientem: Vinum non bibet omnis ſacerdos, quando ingreſſurus eſt atrium interius, quod antè in Leuitico ad Aaron dictum eſt: Vinum & omne quod inebriari poteſt, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonij, ne moriamini. Nec aliter nouus pontifex noſter Chriſtus monuiſſe ſuos diſcipulos videtur, cum diceret: Attẽdite ne forte grauentur corda veſtra in ebrietate & crapula, & in curis huius ſeculi. Caſtum quoque oportere eſſe ſacerdotem, & carnalis copulæ abſtinentem idem dominus docuit, apoſtolis imperans vt præcingant lumbos ſuos, & lucernas ardentes in manibus habeant. Lucernæ in manibus opera iuſtitiæ ſunt, quorum fundamentum caſtitatem eſſe voluit, dum lumbos prius, in quibus generandi vis eſt, reſtringi iubet baltheo caſtitatis. Veteri verò lege ideò conceſſum ſacerdotibus fuit matrimonium, quia ſola tribus Leui & domus Aarõ ſacerdotalis erat, nec aliis licebat hoc fungi officio. Ne igitur Leuita-

Luc. 12.
Ezec. 44.
Leuitici. 10
Luc. 12.
Ibidem.

E



rum genus in paucis conclusum deficeret, reparãdum per connubia erat. At nunc non carnis quæritur successio, sed spiritus, translato'q; sacerdotio ad tribum Iuda, id est, ad Christum, quicunque Christianus est, nisi vxori alligatus fuerit, potest eligi in sacerdotem. Omnes tamen qui Christo in sacerdotio succedunt, castos esse decet, sicut & ipse castus fuit, vt noui sacerdotij tanto purior successio sit quàm veteris, quanto & sacerdos noster Christus omnibus qui ante illum hoc munere vsi sunt, noscitur esse præstantior. Neq; enim arietum vt olim, aut vitulorum sanguine nunc sacrificatur, sed ipse Christus verus deus & verus homo, vnus & immortalis, licet aliena specie velatus, offertur.

Isaiæ 52. Quòd si etiam priscis dictum sit: Mundamini qui fertis vasa domini, quanto magis nostris conuenit omnis mundicies, quibus non solùm ferre vasa domini, sed etiam ipsum dominum quotidie & contrectare manibus & ore sumere mos est? Tam igitur mente quàm corpore mundus castus'q; sit, qui ad eiusmodi ministerium se nouerit esse electum. In primis tamen fidelem esse conuenit. Quid enim castitas aut aliqua alia virtus ei prodesse poterit, si qua orthodoxæ fidei pars in illo labascere cœperit? Fide igitur opus est, vt reliqua

Matt. 24. rectè prospere'que succedant. Quis est, inquit, fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Familiæ dei sacerdotes præpositi sunt, vt verbi exempli'q; cibo eam pascãt, qui si fideles ac prudentes fuerint, beatitudinis quoque magnitudine cæteris præferentur. Sequitur enim: Quem sic agentem inuenerit dominus, super omnia bona sua constituet eum, vt qui multos fideliter docuit, prudenter'que rexit, multis inter sanctos honorabilior magnificentior'que habeatur. Charitatem etiam præcipuè amplecti debet sacerdos, vt cui vni commissa cura animarum est pro earum salu-

te, si

te, si ita casus inciderit, nec supplicia recuset, nec mortem metuat. Bonus enim pastor ponit animam suam pro ouibus suis. Idem præterea iustitiam omnẽ, quàm alios docet, prior impleat, ne quod verbis ædificat, si aliter ac præcipit, vixerit, exemplo destruat atq; dissipet. Nisi abundauerit iustitia vestra (inquit dominus) plus quàm scribarum & pharisæorum, nõ intrabitis in regnum cœlorum. Prudentia quoque opus est sacerdoti, ad noxia quæque cauenda dolosque diaboli declinandos. Insidiis facilè patebit, nisi perquã cautè incesserit. Estote prudentes (ait saluator) sicut serpentes. Callidissimus omnium serpens diabolus est. Qui ergo non minus prudens erit ad cauendum, quàm diabolus astutus ad nocendum, neque blanditiis eius capietur, neque vim formidabit. Vt autem cautus & circumspectus fiat sacerdos, necessariam sibi esse scripturarum scientiam nouerit intelligentiamque mysteriorum, sine qua neque se ab aduersario se tueri commodè poterit, neque alios vitę doctrinis rectè instituere, aut ad virtutẽ aptè exhortari, in Aggæo scriptum est: Interroga sacerdotes legem, & in Ezechiele de sacerdotibus loquens dominus: Populum meum docebunt, inquit, quid sit inter sanctum & pollutum, inter mundum & immundum ostendens eis, & cùm fuerit controuersia, stabunt in iudiciis meis & iudicabunt. Exigitur ergo à sacerdote vt eruditus in lege sit, & quicquid in sacris literis continetur, pro viribus ediscat, alioqui sacerdotio indignus existimabitur, dicẽte domino per Osee prophetam: Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. Postremo loco diximus, præsentium contemptorem esse sacerdotem. Nam si Christi minister fuerit, paruo erit contentus, dum summa sperat, & vt dominum suum imitetur, paupertate gaudebit, diuitias contemnet. Neque enim potest esse talis magistri discipulus, nisi

Iohan. 10.
Matth. 5.
Aggæi 2.
Ezec. 44.
Osee 4.

renunciet omnibus quę posſidet, vt caduca reſpuens dignus euadat, cui tribuantur æterna. Sed ne in veteri quidem lege Leuitis data eſt poſſeſsio in tribubus vt ſcirent non in terra, ſed in cœlo ſibi poſſeſsionem eſſe

Num.18. quærendam dicente domino Aaron: In terra eorum nihil posſidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſraël. Decimis igitur & eleemoſynis, quæ altari offeruntur, viuat qui ſeruit altari. Quod autem neceſſario victui ſupereſt, indigentibus tribuat, diſpenſatorem'que ſe eſſe agnoſcat bonorum eccleſiæ, non poſſeſſorem: Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus præceptum eſſe meminerit:

Matth.10. Nolite posſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris. Quid tibi cum diuitiis, ſi illius domini ſeruus es, qui nō habuit in terra vbi caput reclinaret ſuum, neque didrachmam qua pro ſe & diſcipulo ſolueret portorium? domini, inquam, in ſtabulo geniti, in præſepio poſiti, in cruce nudi, in ſepulchro conditi alieno, nihil denique in hoc ſeculo quaſi ſuum posſidentis, non quia non liceret ei frui omnibus ſi vellet, cùm eſſet dominus omnium, ſed vt doceret non eſſe ei opus terrenis diuitiis, qui ad cœleſtes theſauros aſpiraret, difficile'q; eſſe duobus dominis ſeruire, deo & mammonæ, difficillimum verò vt quis auri argenti'que pondere grauatus, ad ætherea regna poſſit conſcendere. Ex his igitur quæ dicta ſunt, eum ſacerdotij honore dignum cenſebimus, qui ſobriè, pudicè, fideliter, piè, iuſte'que vixerit, qui in cauendo prudens, in erudiendo doctus, in concupiſcendo modicus, & in obſequendo ei cui ſe dedicauit, fuerit aſsiduus. Quiſquis

Matth.5. autem ſeſe talem in ſacerdotio exhibuerit, hic verè erit ſal terræ, cuius doctrinis cæterorum corda ne in peccatis putreſcant, condientur, erit lux mundi, ciuitas ſupra montem poſita, lucerna ſuper candelabrum lucens, vt omnibus conſpicuus, omnes qui ſanctè innocenter'q;

centerq́; volent viuere, ſuo illuminet exemplo, ſuæ famæ gloria concitet ad virtutem. Hic demum de terris ad cœlum tranſlatus illorum perpetuo fruetur conſortio, illorum perennis beatitatis erit particeps, quibus in Pſalmo ſpiritus ſanctus loquitur, dicens: Sacerdotes eius induam ſalutari, & ſancti eius exultatione exultabunt. Chriſtum enim induent, eiq́ue feliciter adhærebunt qui in eccleſia vices Chriſti, ſicut oportuit, gerere ſtuduerunt. Pſal. 131.

De malo ſacerdote. Cap. XXIII.

PОrrò ſicut lux tenebris collata luculentior videri conſueuit, ita appetibilior fit virtus, quoties contrarij vitij malignitas monſtratur. Cùm igitur de bono ſacerdote ſatis dictum ſit, operæpretium eſt, quemadmodum propoſuimus, vt aliquid etiam de malo dicamus. Malus eſt ſacerdos, qui non poteſt dicere cum propheta: Portio mea dominus, cum terrenis opibus inhiet, & non ſolùm his quæ poſſidet non renunciet, ſed etiam ea quæ nondum adeptus eſt, cupidè affectet. Sunt quos negotiari in domo dei non pudet, imò nec fœnerari, eccleſiaſticaſq́ue dignitates ambitione atque largitionibus comparare, quas cùm acquiſierint, cuncta eccleſiæ bona, quæ pauperibus diſtribuenda erant, in ſuos vſus cõuertunt. Hi ſunt quos vendentes & ementes de templo ſuo eiicit dominus, dicens: Domus mea domus orationis eſt, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. Meritò igitur talium cathedras euertit, & cum principibus populi ſui in cœleſtibus conſidere prohibet, vtpote quibus non cœleſtis boni adipiſcendi, ſed terreni abutendi cura ſemper ac ſtudium fuit. Nihil penſi habuerunt prodeſſe commiſſæ ſibi plebi, delinquentes corripere, bonos fouere, afflictos conſolari, dubiis conſulere, ſed ignauiæ atque otio deditis magis ventrem ſuum quàm gregem domini- Pſal. 118. Matth. 21.

eum pascere soliciti fuere. Malus item est sacerdos, qui vidit lupum venientem, id est, hæreticum aliquē peruersa doctrina fideli gregi insidiantem, & illius dolo alios rapi, alios dispergi, alios mactari, nec tamen it obuiā perfidiæ, sed auersus fugit, ita vt fugiendo ostendat se pastoris nomine indignum. Vnde dicitur: Mercenarius fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Non quia non pertineat ad eum, sed quia sic agat, tanquam si nihil omnino ad eum pertineat, quandoquidem non animarum lucrum, sed pecuniæ quæritet, terrenam'que mercedem cœlestibus præferat diuitiis. Talium auaritiam per Malachiam prophetam redarguit dominus, dicens: Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? Et quoniam qui eiuscemodi vitio laborant, à deo reprobati sunt, sequitur. Non est mihi voluntas in vobis dicit dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Per Ezechielem verò etiam comminatur, dum ait: Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, nônne greges à pastoribus pascūtur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis, quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abiectum est non reduxistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia, & dispersæ sunt oues meæ, eò quòd non esset pastor. Quo pacto enim est pastor qui nec religiosæ vitæ exemplis, nec sanæ doctrinę monitis gregem sibi creditum alere curat? Quo autem magis deliciis luxuriæ'que indulget, eo grauius in inferno supplicium feret per Amos prophetam dicente domino: Væ vobis qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum ingredientes pompaticè domum Israël. Quicquid de pastoribus dicitur, & de presbyteris dictum intelligas.

Ioan. 10. Malac. 1. Ezech. 4. Amos 6.

gas. Cui enim sacramenta vitæ quis ministrat, eius & pastor esse debet, quantum officio suo conuenit, monendo, corripiendo, & quicquid commodis eius cui preficitur, salutique opportunum putabit, exequendo. Episcopi tamen proprium est & peculiare, publicos edere ad populum sermones, vitia reprehendere, ad capessendas exhortari virtutes, transgressores legis apostolica authoritate castigare, ad pœnitentiam conuersos recipere. Quibus in rebus defecerit, vel per ignorantiam si nesciat, vel per negligentiam si nolit, vel pusillanimitatem si metuat, de fidelium cœtu excludetur, & canibus mutis per contumeliam comparabitur. Cur enim episcopus est, si docere nescit? aut cur scit si non vult? aut quid velle prodest, si non audet quod debet implere? Sed neque presbyter assumat curam animarum, si modò se ad eam rem ineptum nouerit. Malè subitur onus, quod imbecillæ vires ferre nequeunt. In eos ergo, qui doctoris ecclesiastici sibi munus vendicant, & nequaquam docent, siue ignoratione confusi, siue negligentia corrupti, per Isaiam exclamat dominus & ait: Speculatores eius cęci omnes nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare. Et iterum: Ipsi pastores, inquit, ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam suam declinauerũt, vnusquisque ad auaritiam suam, à summo vsque ad nouissimum. Perditos autem plebis mores vulgique licentiam illorum qui præsunt incuriæ ascribi, in Ezechiele vel verbis domini discimus: Si dicente me, inquit, ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Impius ergo peribit quia peccauit. Sacerdos qui eius tuendæ saluti præpositus est quia tacuit, quia peccantem non increpauit, quia errãtem in viam seducere non curauit. Atque tanti periculi non igna-

Isaiæ 6.

Ezech. 3.

2.Tim.4. rus Apostolus Timotheum discipulum obnixè, solicitè, vrgẽter adiurat, dicens: Testificor coram deo & Iesu Christo, qui iudex est viuorum & mortuorum, per aduentum ipsius & regnum eius, prædica verbum, insta, opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Et paulò post: Tu verò vigila, inquit, in omnibus labora, opus fac euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Porrò illi quorum ignauia populus corruptus extra iustitiæ limites aberrat, & per abrupta delabitur vitiorũ, quàm damnabiles existant Ieremias testatur, dicens: Væ pastoribus qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ dicit dominus. Quę nam vel dispersio perniciosior, vel crudelior dilaceratio, quàm eos qui tibi cõmissi sunt, pereuntes videre & negligere? à diabolo superari, & succurrere nolle? imò etiã tergiuersari & fugere? dum vereris ne quis tuis increpationibus offensus tibi aduersetur, tibi detrahat, tibi aliquo detrimẽto sit. Sed meminisse debes, quemadmodum dominus miserit apostolos inter gentes sicut agnos inter lupos, & illi profecti cum fiducia euangelizabant dei verbum, nec supplicia nec mortem expauescentes, dum obsequiũ præstarent deo. Nihil ita metuere debemus, vt dei iudicium. Temporale est quod ab hominibus times: quod autem à deo maximè timere debes, æternum est. Perdere corpus tantummodo possunt homines, deus verò & corpus & animam mittere in gehennam potest. Hoc quoque mali habet negligentia sacerdotis, quod dum contemnit, contemnitur: dum timet, à nemine timetur. Sal quippe infatuatum ad nihilum valet vltra, nisi vt proiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Leue tamen & minimum quiddam est, mortalium pati iniuriam, nisi etiam dei iudicio damnarentur. Sed

Iere.23. (margin)

Psal.108. in psalmis de iniquo sacerdote dicitur: Cùm iudicatur, exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum,

tum, Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter. & alia multa, quæ licet ad Iudam domini sui proditorem referantur, nihilominus ad sui quoque similes redundant. Sui autem similes sunt, qui ad apostolatum electi, potentioribus ita blandiuntur, vt eorum scelera dissimulent, & sic dominum osculo prodant. Eundem etiam vendunt, dum nihil ita cupidè vt lucra sectantur, sed cùm hi tam immani ingentique supplicio destinati sint, illi qui vt debent, officio suo funguntur, dici non potest, quàm grandi mercede remunerabuntur. De his nempe Apostolus ad Timotheum scribens, ait: Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Duplici honore dignus est, cui & reuerentia exhiberi debet, & victus necessarius suppeditari, cùm scriptum sit: Non alligabis os bouis triturantis. Et: Dignus est operarius mercede sua. Tunc tamen melius duplici honore digni erunt, cùm animæ simul & corporis beatitudine perfruentur & aliquot felicitatis gradus cæteris eminentiores apparebunt. Satis hæc de sacerdote, nunc de sanctarum lectionum studio, fideli animæ admodum necessariò tractabimus. Nihil enim rectè discitur, quod de ipso veritatis fonte non hauritur.

1. Tim. 5.

Deut. 25. Matt. 10.

De studio lectionis. Cap. XXIIII.

IGitur ad scripturæ diuinæ studium omnes qui perfectionis iter ingredi cupiunt, conuocamus cum Iohanne in Apocalypsi: Qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. Beati sunt, qui sitiunt & esuriunt iustitiam, sed nisi scripturarum lectioni operam impendant, iustitiæ præceptis nequaquam saturari poterunt. Sicut autem sitientibus dulcis est potus, ita discere cupientibus diuina sapit lectio.

Apoc. 22.

Illi duntaxat ad cœlestem cibum nauseant, & manna fastidiunt, qui Aegyptiorum iurulentiis repleti, id est, inani gentilium poëtarum eloquio deliniti, magis fabularum fictione quàm veritatis doctrina delectātur. Hi sunt qui (vt Apostolus inquit) elegerunt sibi magistros prurientes auribus, & ad fabulas conuersi, auditum à veritate auertunt. Nos contempta istorum stultitia, in quibus nulla solida sapientia est, illis tantummodo lectionibus incumbamus, quæ nobis iter, quoad immortalitatem peruenitur, ostendunt. Alioquin aquam istam vitæ, ad quam nos Iohannes apostolus inuitat, haurire non poterimus. Veteris igitur nouique instrumenti literas assiduè perscrutemur. In his plenissimè discitur, quid facere, quid vitare, quid credere, quid amare, quid sperare nos oporteat, vt cœlo digni simus cùm terram reliquerimus. In his deum patrem à quo omnia, in his filium, per quem omnia: in his spiritum sanctum, in quo omnia facta sunt, inuenies: & hæc tria vnum deum, vnam hypostasim esse melius credendo intelliges, quàm intelligendo credes. Magnum quippe mysterium est sancta trinitas, humanæ sapientiæ altitudinem excedit, fide percipitur, sine qua ad beatorum æternitatem nemo transfertur. Audiamus autem in Euangelio dominum Iesum patri suo loquentem ac dicentem: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Vt igitur fide ac virtutibus proficere possimus, abeamus cum Iesu per scripturarum sata, vellicantes veteris nouæque legis spicas: & vt triticum sub paleis latens comedere valeamus, confricemus eas manibus intelligentiæ spiritalis, promentes in lucē, quicquid sub figurarum ambage condi credimus, nihil erit menti deo dicatæ iucundius, quàm nosse sensum domini, & verba aliud quàm sonant significantia intelligere. Et quoniam hanc spicarum confricationem

2.Tim.6.

Scribit more antiquorum.

Iohan.17.

sabba-

sabbato ab apostolis factam legimus, hoc admonet nos ea quæ mystica sunt, cõmodè perpendi considerarique non posse, nisi cum secularibus curis liberi & expediti, sabbatum, id est, quietem agimus. Terrenarum enim rerum solicitudo legentem implicat, & ipsa in diuersum mentem distrahens cogitatio, quæ leguntur, quæque audiuntur, non satis intelligere permittit. Intentione animi opus est, vt lecta percipias, & percepta ediscas, teneásque memoriter. Postquam autem mysticos sensus literæ tegumento velatos deprehenderis, & eos vel ad ecclesiæ nouitatem, vel ad animæ vtilitatem transtuleris, adhuc altius tibi erit insurgendum, vt etiam cœlestia perscruteris, & de visibilibus gradum ad inuisibilia facias. In montem excelsum ascendentibus discipulis apparuit dominus Iesus: non qua solebat specie, sed longè elegantiori. Resplenduit enim facies eius vt sol, vestimenta eius alba facta sunt vt nix. Hunc montem ipse si mente conscenderis, videbis primùm cum Christo loquentes Moysen & Eliam, atque intelliges legis ceremonias oraculáque prophetarũ in Christo esse completa, ingentemque capies voluptatem, cùm talia cognoscere cœperis. Vnde etiam Petrus tam valde huiusmodi visione cœpit delectari, vt ibi figere tabernacula cuperet, cœlestium oblitus. Sed neque ipse de his humilioribus oblectamentis egredi poteris, vt in sublime raptus nudam contempleris diuinitatem, nisi & te sicut apostolos lucida spiritus sancti nubes obumbrauerit, dei patris vox roborauerit, & filij eius gratia illuminauerit. Totius autem trinitatis fauore supra humanæ naturæ conditionem erectus, nec Moysen amplius, nec Eliam conspicies, sed Iesum solum. Cessant enim & figurarum vmbræ, & futura prædicentium vox, cùm veritatis lux oritur, & quæ ventura erant, eueniunt. Non est ergo nostrarũ virium, sed opis diuinæ, vt quis legendo mysteria intelligat: quãto minus

Matth. 4.

nus

nus vt etiam supercœlestis contemplationis dulcedine mens in deum eleuata perfundatur. Hoc tamen illis frequentius conceditur, qui libros diuinos ita legunt, vt à sanctorum interpretatione non discedant: à peruersis sensibus, qui cum ecclesia non concordant penitus abhorrentes. Quære igitur in sancta lectione bonas margaritas, vt scias quid lex præcipiat, quid nuncient prophetæ. Sed inuenta deinde preciosa margarita, quæ est Euangelium Christi omnibus aliis præferendum scripturis, eam amplectere, eam exosculare, eam pro viatico habe cùm ambulas, pro cibo cùm recumbis, pro puluillo cùm dormis, pro speculo cùm vigilas, nunquam Euangelicus codex vel de manibus tuis discedat, vel de memoria exeat. In eo si assiduus fueris, cœlestium desiderio terrena contemnes, & hoc quidem erit, vendere omnia quæ in præsenti vita possidentur, & ipsam emere margaritam, quæ Christi conuersatione fulget, & humanæ redemptionis precio taxatur. Quicquid autem nouum continet instrumentum, ad Euangelium pertinere censemus. Itaque cum Euangelio & Pauli epistolæ & aliorum apostolorum, & Lucæ Actus, & Iohannis Apocalypsis, & eruditorum hominum approbati de religione tractatus, frequenter in manibus habendi legendi'que tibi erunt, vt fide stabiliaris, vt virtutibus præstes, & in Christo domini meditatione perseuerans, in deo tandem conquiescas. Nihil ita innocentiam conseruat, & cordis puritatem custodit, vt scripturarum, quas diuini homines sancto dictante spiritu ediderunt, quotidiana lectio. Non est vt imperitiam excuses. Lege multa: & si solido cibo nondum vesci potes, lactis poculum ne spernas. Denique sume quod potes, fragmenta verò quæ supersunt, in doctiorum cophinos colligenda dimitte. Homines & iumenta pascit dominus, doctos & indoctos admittit, neminem repellit. In monte apo-

stolos

ſtolos docuit: de monte verò deſcendens, prædicauit plebi. Habes in Euangelio & vias planas, per quas incedere cum ſimplicibus iuuat. Habes & montes excelſos, quorum altitudinem ſi adire nequiueris, mirari proderit. Medicamenta quibus rebus compoſita ſunt, licet ignoret ægrotus, proſunt tamen ei, eleuant'que languorem. Ita diuina verba ſi legantur, etiam non intellecta vim habent ad animæ ſanitatem conferendam. Te nunc appello, qui diu multum'que in gentilium libris verſatus es, dum te comptus delectat ſermo, & muſici poëtarum cantus deliniunt, quantum inde tibi emolumenti contraxeris parumper cogita, & cùm nihil iſta tibi ad ſalutem profuiſſe cognoueris, ad Ieſum tandem quæſo conuerſus, dic cum Petro: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc (inquit euangeliſta) feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Luc. 5.
Quòd ſi demum in ſcripturæ ſacræ pelago piſcari te delectabit, tu quoque implebis pectoris tui nauiculam ſaluberrimorum præceptorum copia, quibus & ipſe viuere, & alios docendò poteris ſuſtentare. Tanta eſt enim diuinorum virtus verborum, vt fideliter & incorruptè & contentè legentibus intellectum illuminet, animum exhilaret, atque illa quæ præcipiuntur, perficiendi facultatem ſuppeditet. Quòd ſi tacta fimbria veſtimenti domini, virtus de illo exibat & ſanabat omnes, quomodo ſermo eius ex intimis effuſus præcordiis, dum legitur, dum auditur, animi malè affecti morbos non curabit, & à periculis perditionis non eruet? Ergo quoties aliquo ſeculi huius turbine agitaris, quoties carnis pugnam ſpiritus patitur, & pedibus laquei dæmonum inuidia tenduntur, ad euangelicas lectiones te conuerte, dormientem'que in puppi ſaluatorem ſtrepentibus

inter

inter legendum vel orandum voculis excita, statim illo imperante, omni tentationum æstus concidet, & concupita redibit trãquillitas. Tũc etenim diuina te lectio docebit in aduersis patientiam, in prosperis modestiam, in deum pietatem, in proximos charitatem: præstabit'que in dubijs consilium, in periculis opem, in tentationum certamine victoriam. Quis hoc tibi Tullius, quis Demosthenes, quis Socrates, quis Aristoteles, aut si ad poëtas respicis, quis Homerus vel Vergilius conferre poterit? Quandoquidem nec sibiipsis quicquam prodesse potuerunt, veritatis nobis diuinitus reuelatæ penitus ignari. Porrò cùm experiri cœperis voluptatem atque fructum, quem tibi lectio suggeret diuina, protinus cum Psalmista cõcines: Eloquia domini eloquia casta, argentũ igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. &, quàm dulcia faucibus meis eloquia tua domine super mel & fauum ori meo. Dulcia sanè in cortice eloquia domini, sed multò dulciora in medulla. Sacros codices piè indubitantérque legenti adsistit Christus, applaudunt angeli, congratulantur sancti, & cœlestium verborum sono maligni exterrentur spiritus ac fugiunt: denique nihil ita aut virtutes animi conseruat, aut vitia repellit, vt frequens diuinas literas legendi vel audiendi cura. Quo autem rarius his vacabis, eo citius cades, exurges'que difficilius.

Psal. 11.
Psal. 118.

De auditionis cura. Cap. XXV.

Audire quoque quæ in ecclesia leguntur, vel eos qui absque lectione in pulpitis declamãt, auscultare plurimum expedit. Plus etiam eruditi hominis ore prolata verba mouere solét, quàm si eadem ipse conscripta legeris. Nuda in libris verba iacent, quæ si ab oratore aliquo aptè disertéque recitentur. Ipse gestus, ipse aspectus, ipsa'que pronunciatio multum ora-

orationi addet ornamenti efficaciæq; ad suadendum atque dissuadendũ. Delectet te igitur cùm legere quæ sancta sunt, tum quoties ab alio leguntur vel prædicantur audire. Discipulum docilẽ te esse volo. Is enim docilis est, qui docentem attentè audit. Ad huiuscemodi studium te hortatur Ecclesiasticus, dicens: Esto mansuetus ad audiendum verbum dei, vt intelligas & cum sapientia proferes responsum verum. Quasi dicat, disce prius, & postea docebis. Et iterum: Si, inquit, dilexeris audire, sapiens eris. Idem nobis præcipit Iacobus apostolus, cùm ait: Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Temerarius enim magister est, qui nõdum ipse discipuli partes impleuit, & iam alios instruere præsumit. Vt autem tacitè contentéque auscultes, & non aliò aures, aliò mentem diuidas, in mansuetudine, inquit, suscipite insitum verbũ, quod potest saluare animas vestras. Inseri enim verbum non potest, nisi in molli corde & totis viribus ad audiendum intento. Verbum, inquit, quod potest saluare animas vestras. Frustrà quippe verbis illis præbemus auditum, quorum suauiloquentia aures tantum demulcentur, & nulla comparatur animo vtilitas. Rectè itaque his duntaxat intendendum præcipit, quæ ad consequendam æternam salutem nos erudiunt. Sed nec audire profectò multũ prodest, nisi audita memoriter retineantur: nec memoriter retinere, nisi quod memoriæ mandatum est, opere compleatur. Audis castitatis, patientiæ, mansuetudinis, charitatis præcepta: ne sinas illa per incuriam effluere, sed corde complexus foue, vt cum Psalmista dicere possis: In corde meo abscondi eloquia tua domine, vt non peccem tibi. Memento præterea de ipsa dei genitrice scriptum esse in Euangelio: Maria autẽ conseruabat omnia verba hęc in corde suo, ita & tu quicquid ab ecclesiæ sanctæ doctoribus prædicari audieris,

Eccl. 5.
Iacobi 1.
Psal. 118.
Lucæ 2.

ris,in intima cordis aure reconde,veluti preciosum vnguētum in pixide,quo postea opportunè vtaris ad tuã aliorum'que salutem. Quòd si terra bona fueris,non petrosa,non spinis obsita, susceptum verbi semen huberem tibi fructum faciet: & sicut didiceris,ita & operari incipias,ac secundum legis euangelicæ præcepta reliquum vitæ cursum dirigere studebis. Alioquin neque legere,neque audire proderit si ab iis quæ præcipiuntur,morum conditio discors erit. Et si nosse desideras quantũ ignauus auditor & impiger inter se differant,audi in Euangelio dominum dicentem: Omnis qui venit ad me,& audit sermones meos, & facit eos, ostendam vobis cui similis sit: Similis est homini ædificanti domum qui fodit in altum,& posuit fundamentum supra petram,inundatione autem facta,illisum est flumen domui illi,& non potuit eam mouere,fundata enim erat supra petram. Qui autem audit & nõ facit, similis est homini ædificanti domum suam supra terram sine fundamento,in quam illisus est fluuius,& continuò cecidit,& facta est ruina domus illius magna. Sicut ergo infirmus & imbecillus est,qui non facit opera,ita ad omnem malignæ tentationis impetum constans est & stabilis,qui assiduè in bonis operibus exercetur. Quamobrem solicitè nos admonet Iacobus apostolus,& ait: Estote factores verbi & non auditores tantum,fallentes vosmetipsos,quia si quis auditor est verbi & non factor,hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se & abiit,& statim oblitus est qualis fuerit: qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis,& permanserit in ea,nõ auditor obliuiosus factus,sed factor operis,hic beatus in facto suo erit. Ideo quidẽ & dominus in Euãgelio: Beati,inquit,qui audiunt verbum dei & custodiunt illud. Hanc itaque beatitudinem opere magis quàm auditione constare ostendit,dum subiungit: Et

Lucæ 6.

Lucæ 12.

custo-

custodiunt illud. Custodiunt autem illud, qui bene beateq; viuendi rationem edocti, peccatis in quibus hactenus fuisse se recognoscunt, finem statuunt, & ab his per pœnitentiam resilientes ad capessendas virtutes disponuntur, magnamque capiunt voluptatem vel legendo diuina vel audiendo. In quo Mariam ad pedes domini sedentem diligẽter obserua, tantaque perfusa in sermonis eius dulcedine, vt nulla sororis Marthæ interpellatione inde mota sit: & quoniam toto corde cœlestis magistri amplectebatur disciplinam, optimam partem dicitur elegisse, quæ non auferetur ab ea. Christum enim elegerat, in cuius vnius contemplatione tam suauiter requiescebat. Quotus autem quisque est, qui sic in ecclesia sacris prædicationibus interesse nititur, vt præcepta vitæ absque operatione non elabi sinat? alius nullo amoris affectu illa suscipit, alius tametsi donec audit aliquantulum compungitur, mox tamen inde discedens ad consuetas nequitiæ sordes reuertitur, tanto nequior factus, quãto inexcusabilior. Talibus dicit dominus: Qui ex deo est, verba dei audit, propterea vos non auditis, quia ex deo non estis. Non ergo omnes, qui in auditorio sunt, audiunt verbum dei, sed is qui illud quod audit, opere perficere contendit, & hic quidem ex deo est: illi verò non ex deo, sed potius ex diabolo sunt, qui diaboli obstinationem duritiamque imitantur, nec omnino à vitiis resipiscere quicquam pensi habent. Itidem tibi diuini prædicatores cum Iohanne apostolo respondebunt, si eorum monita contempleris, dicentes: Nos ex deo sumus, qui nouit deũ, audit nos, qui non est ex deo, non audit nos: Omnes natura ex deo sumus, vitio autem nostro fit vt ex deo non simus. Porrò dici non potest, quàm pessimè cum homine illo agitur, qui cùm dei creatura sit, iam non dei, sed aliorum esse conuincitur.

Idem 10.

Iohan. 8.

1. Ioh. 14.

De contemplatione. Cap. XXVI.

QVoniam autem in scripturis alia ad actionem pertinent, alia ad contemplationẽ, tempestiuum videtur, vt ista quæ sub fidei titulo explicauimus, contemplandi ratione claudamus. Igitur ad consideranda dei opera puritate mentis opus est, vt authoris dulcedinem fidelis considerator valeat

Psal. 23. degustare. Quis enim ascẽdet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto eius, nisi innocens manibus & mundo corde? Illos ergo magis ad hanc rem idoneos esse certum est, qui vitæ probitate perfectioni Euangelicę propius accedũt. Hinc apostolis ipsis datur nosse mysterium regni dei. Hinc Paulus ad tertium vsque rapitur cœlum. Hinc Iohanni futura, quibus referta est Apocalypsis, reuelantur, & vnica sanctæ trinitatis diuinitas in principio sui Euangelij declarata plenissimè innotescit. Idcirco saluator noster illum, quẽ à dæ-

Marci 5. monio liberauerat, continuò volentem sibi adhærere non permisit, sed prius vt se exerceret, iussit: alijs prædicãdo dei beneficium quod acceperat. Necesse autem est vt sanctis actionibus quàm sæpissimè copuletur, & penè assidua comes sit pia cõtemplatio, si in his vt debemus, perseuerare atque proficere cupimus. Sic enim bene operando acquiritur vt rectè contemplemur, ita contemplando, vt sanctius officiosiúsque operemur. Nihil quippe ita mouet atque allicit animum ad colendum omnium authorem deum, vt opera eius cogitatione percurrendo beneficiáque perpendendo, quæ omnem taxationem supereminent & excedunt, immensa atque infinita, eóque magis optanda ac desideranda, quo minus humano ingenio explicari comprehendíque possint. Ad illa ergo cõsurgat animus terrenis negotijs expeditus, & non solùm ea quę oculis cernimus, sed etiam quæ intellectu percipiuntur cogitet.

Verun-

Veruntamen ab his quæ vidētur incipiat, vt quasi per gradus ascendendo ad ea quæ non videntur queat peruenire. Primum itaque cum propheta ad deum cōuersus dic: Meditabor in operibus tuis. Quæ nam sunt opera ista: terra, mare, cœlum, quorū ille admiratione captus in eam tandem prorupit vocem: Quàm magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti. In medio enim firmasti terram sua mole libratā, partim aridam, partim aquis circunfusam, collocasti tam varia in mari piscium genera, q̄ in sicco quadrupedum pedibusq́; carentium reptilium, & supra terram aëra permeātium volucrū, produxisti de terra tot frugum species, tot arborum, tot lapidum, tot metallorum, & qui his vteretur, præstantissimum inter animātia hominem. Tuum opus sunt cœlestia, sol, luna, stellæ, quarum cursus, naturas, formam, decoremq́; oculis intuemur, & tamen qua materia constent, dicere nequimus. Tu cœlum quo omnia ista circundantur, extendisti, quod statutis initio reuolutionibus, perpetuò moueri ac circumferri videmus, quemadmodū cætera omnia, & nos soli (proh nefas) legem tuā toties præterimus. Miramur præterea nubes pendere, ventos concitari, micare ignes, fulmina ruere, pluuias, grādines, niuesq́; defluere, & tellurem ab iis irrigari, quę singula si dignè considerentur, tantum admirationis habent, vt non solùm dei sapientiam, à quo facta sunt testentur, sed eiusdem potentiam, qua nihil potētius, & bonitatem, qua nihil melius, possit excogitari. Ille homines corporeos, ille incorporeos angelos fecit, vtrosque ad fruendam cœlestis regni beatitudinem benignissimè constituens. Ex his tamen non parua pars per arbitrij libertatē suo aduersata est creatori. Inter quos angeli cùm peccassent, à tanto bono diuina largitate sibi collato excidêre. Itaque protinus de cœlo pręcipitati, & in intima corruentes irreuocabili damnatione puniti sunt.

Psal. 70.

Psal. 10.

Homini autem quandiu in corpore viueret, quia ignoratione magis quàm malitia peccauerat, datus est poenitentiæ locus, vt quod seductus malè appetendo commisit, dolendo emendaret. Sed tamen pristinæ gratiæ statum recuperare de radice corrupta geniti nequiuimus, donec ille qui non per copulam carnis, sed de virgine intacta per spiritum sanctum est natus, in mundum veniret, & nos corporis sui sacrificio expiatos deo patri reconciliaret. Exinde credentibus atque poenitentibus coelum patere coepit. Quòd si quis à malo, quod deinceps commisit, nō se correxerit, atque ita obierit, ipse quoque cum reprobis spiritibus poenis mancipabitur sempiternis. Tunc enim quisque ratam iudicis in se sententiam accipit, cùm de corpore egreditur, iterum postea cum corpore simul iudicandus, cùm mortui resurgent viui, & canente tuba throni positi erunt, vt quisque illud quod viuendo meruit præmium consequatur. Hinc demum neque beatorum gloriæ vllus vnquam erit finis, neque supplicij iniquorū. Atque hæc sanè sunt nouissima illa quorum nos memores esse iubet Salomon ne peccemus. Nihil enim vel peccandi appetitum magis frenat, quàm futuræ damnationis metus, vel ad virtutem magis excitat, quàm mercedis promissæ spes: vt igitur probè innocenterq́; viuas, imitare prophetam dicentem: Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Antiqui sunt dies, qui prætereunt, & ad præsentis vitæ breuitatem pertinent, anni verò æterni ad vitæ futuræ infinitatem spectant: & si finiti ad infinitum nulla est comparatio, cur quæso pro breuibus deliciis amittimus æternas, & non potius cum breui labore transimus ad quietem gaudij perennis? Conscij igitur fragilitatis nostræ, nec per se bonum quod cupimus, valentes perficere, leuemus oculos ad montes cum Psalmista, & mente coeli culmina penetremus. Inde veniet nobis auxilium

Psal. 76.

à do-

à domino, qui fecit cœlum & terram & omnia. Non possumus rectè de illo aliquid speculati, nisi ab ipso adiuti, qui'que nobis relicti retrò labimur, dei ac domini nostri ope subleuati vsque ad thronum maiestatis eius perueniemus. Ad contemplandam itaque diuinitatis altitudinem, dic cum propheta: Ad te domine leuaui animam meam, deus meus in te confido, & tunc fiet quod in alio psalmo dicitur: Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur deus. Quanquam tam altè accedere, vel tam profundè de deo cogitare nequimus, quin ille semper omni meditatione nostra in immensum maior sit: exaltatur tamen in nobis, quoties quæ vera sunt de ipso sentimus, & quemadmodum sentimus, ita nec palam confiteri metuimus. Deum autem sicut decet contemplantibus multa interdum infunditur spiritus sancti suauitudo, qua delectatus propheta orabat, dicens: Lætifica animam serui tui, quia ad te domine animam meam leuaui, quia tu domine suauis & mitis, & multum misericors omnibus inuocantibus te. Hac ipsa cœlestium meditationum iucunditate temperari calamitatum suarum mœrorem humilis Iob optabat, cùm diceret: Quis mihi tribuat vt cognoscam & inueniam illum, & veniam vsque ad solium eius? Tutissimum sibi refugium ratus in miseriis celsitudinis diuinæ contemplationem. Qui enim cœlestis æternitatis bonum mente complectitur, caduca omnia facilè contemnit. Quosdam talis meditatio intantum occupat, vt abstracti à sensibus toto corpore obstupescant, mortuis'que simillimi appareant, cùm per dies multos nihil de necessitatibus corporis curantes immoti muti'que perdurent. Id Græci extasim, nostri stuporē appellant. Hunc passus Paulus transcendit cœlos & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui: nescire'que se fatetur, vtrum cum corpore an extra corpus raptus fuerit, cùm id sibi contigisset. Iohannes quoque

Psal. 24.

Psal. 85.

Iob 13.

2. Cor. 11.

Apocal. 1. in Apocalypsi se in spiritu non in corpore fuisse ait cùm dominum vidit: Et cùm vidissem eum, inquit, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus. Sed quo viso per se stare non poterat, ab eo erectus mirabili mysteriorum visione perfrui cœpit. Diuus quoq; Hieronymus noster hanc se gratiam à domino quandoque accepisse gloriatur, vt secessu quodam mentis & angelorũ choris interesset, & nescio quibus oculis in vno deo vidisset trinitatem, ac per hebdomadam vel plurium dierum spacium de corporeis nihil curaret, sibíque tandem redditus, eorum quæ viderat desiderio recordationeque afficeretur & fleret. Nouit ergo dominus eis quos elegit, etiam ante mortem suæ dulcedinis mella delibanda porrigere, quæ tunc plenis poculis propinaturus est, cùm illos omni prorsus terrenæ labis fece detersa ad se sursum iusserit venire, & sanctorum ciues ac suos domesticos fieri beatos in æternum futuros.

De loco & tempore contemplationis. Cap. XVII.

CAeterum & locum aptum, & tempus huic rei congruum obseruare debemus. Tunc enim mens liberius intentiusque contemplationi suæ inhæret, cùm à turba secedimus, & nemine interpellante soli in solo loco sedemus nihil aliud agentes, nihil curantes, eis tantum rebus intenti, quas animo voluimus menteque versamus. Ob hoc plerique relictis vrbibus deserta & solitudines incolunt, existimantes non posse se commodè cum deo simul & hominibus esse, colloquiis enim eorum cœlestis contemplationis ardorem interceptum frigescere, in se-

cessu

ceſſu verò in dies magis accendi ſolere. Tempus præterea nocturnum maximè accommodum videtur. Tunc ſiquidem omnia animantia quieſcunt, neque hominum, neque pecudum vox auditur, neç auicularum garritus auribus obſtrepit, nihil'que ſentitur, quod mentem cœli ſecreta rimantem grauet, aut quicquam moleſtet. Hoc tibi affirmat Pſalmiſta, dicens: Meditatus ſum in nocte cum corde meo, & ſcopebam ſpiritum meum. Summum etiam mane, dum adhuc nox dubia & dies incertus, quod crepuſculum appellant, non minus erit opportunum quàm nox ipſa. Nam tunc quoque nocturnum ſilentium adhuc perdurat, & quod plus eſt, diſcuſſo iam ſopore ciboque digeſto ſyncerior animus ad quæque conſideranda viuacior'que conſurgit. Vnde idem propheta in alio Pſalmo ait: Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. Sed interim neque nos fortaſſe quicquam muſsitare oportet dum contemplamur. Loquentis enim meditatio, oratio nuncupatur, ſicut & legentis lectio, & audientis auditio. Nam licet etiam orando, legendo, audiendo penſemus æſtimemus'que ea quæ dicuntur, propriè tamen contemplatio ipſa eſt, quæ cum ſilentio, & neque ſenſuum, neque corporis, ſed ſola mentis agitatione perficitur. De huiuſmodi contemplatione in Ieremia ſcriptum eſt: Sedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſe ſupra ſe. Veruntamen præ omnibus quæ piis animis recolenda & contemplanda ſunt, expediens erit redemptionis noſtræ ruminare myſteria, & eadem quàm ſæpiſſimè ad memoriam reuocare. Quanto enim maius beneficium fuerit, tanto illud rememorando magis erga benefactorem amore accendimur. Primorum parentum præuaricatio, de paradiſi deli-

Pſal. 76.

Pſal. 118.

Threṇ. 3.

cija

ciis omnem ipsorum expulerat posteritatem, eadem'q; damnationis lege simul omnes pręmebamur. Misertus autem deus filium suum misit vnigenitum, qui vt pro nobis satisfaceret, carnem suscepit serui, cùm esset omnium dominus: viam veritatis demonstrauit, cùm totus terrarum orbis præter Iudæam, impiæ religionis erroribus plenus foret. Morti æternæ obnoxij eramus, ille vltrò se morti crucis obtulit, vt nos à morte liberatos ad felicia vitæ promissa reuocaret. Mortuus & sepultus resurrexit, cœlum'que cum homine assumpto ascendit, vt homines de terræ puluere tandē surrecturos monstraret, & cum corpore iam neque mortalitatī neque corruptioni subiecto, sicut nec ille subiectus est, cœlum petituros, si modò ipsum sequi fide opere'que voluerint. Igitur tāti ac talis beneficij magnitudinem animo metiendo, quis adeò ingratus erit, vt potius eligat illa, quæ caro appetit, quæ mundus blanditur, quæ suadet diabolus, quàm quæ omnium creator deus, omnium redemptor ac saluator Christus iubet: cùm præsertim per ista mundati ad cœleste regnum perducamur, per illa autem æterni ignis cruciatibus mācipandi simus. O stupendam obstinatorum cæcitatē. In tanta temporis breuitate nolunt carere voluptatibus, per quas certissimum est ad inferos præcipitium, & laborem tam modici temporis defugiunt, per quem aditus ad supernam beatitudinem verissimè comparatur fine sine fruendam.

De prauis cogitationibus cauendis. Cap. XXVIII.

QVantum autem ad bene beate'q; viuendum conferre solet diuinarum rerum contemplatio, tantum ad malè agendum alliciunt cogitationes prauæ. Quæ cùm etiam inuitis nobis & nolentibus

tibus frequenter obrepant, quanto violentiores putas fore, si quando victus manum dederis, qui nunc repugnas? Mihi crede, nisi semper bellũ cum illis quàm pacem malueris, per sensuum tuorum ianuas ad animam vsque ingredientur, & per blandimenta eã subuertent, subuersam interiment. Anima enim mala cogitatione fœcunda, parit peccatum: peccatũ verò cùm perpetratum fuerit, generat mortem. Igitur tametsi aduersarius hic noster, id est, perniciosus cogitatus, non potest sic penitus repelli & in fugam conuerti, quin rursum aliquando collectis viribus in prælium redeat, mentisque nostræ arcem oppugnet, portis instet: donec tamen intus non irruerit, ac dominari cœperit, tuti sumus: nec verendum est ne fortè per vim irrumpat, neminem vincit nisi volentem. De illis duntaxat, qui se in potestatẽ eius non inuitè dedunt, triumphare consueuit, & eos ad interitum vsq; perducere. Nihil itaq; aliud est, impuræ cogitationi totum animi assensum præbere, quàm ab hoste nobis infensissimo sanguinisq; nostri in primis cupido superari velle. Manifesta autem stultitia est, ei spontè cedere, à quo nil nisi necem speres. Hoc tibi testatur Salomon, dicens: Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur. Ac ne fortè de furioso, cuius error excusatur, dictum putares, continuò intulit: Cogitatio stulti peccatum est. Stultus ergo, nec tamen excusabilis peccator erit, qui quicquid appetitio suggesserit, illud protinus curabit sequi: & carni magis quàm spiritui seruire decernet. Quæris quonã pacto non solùm in factis aut dictis, verumetiam in ipsa cogitatione possit esse peccatum? Rem alienam iniustè concupiscis, bonum alterius inuides, læsus vindictã appetis, visæ mulieris venereo amore turpiter exardescis, & quodcunque malum ita cogitas, vt si posses, perficere velles, ab illo qui etiam occultorũ iudex est, pro facto tibi imputabitur. Alter enim deus, alter homo indi-

Iacobi 1.

Prouer. 24.

iudicat, deus quem nihil latet, in omnibus voluntatis affectum pensat: homo verò, quia cordis alieni secreta rimari nequit, cõmissum tantummodo crimen examinat, nec quærit, prudens an imprudens feceris aliquid mali, sed semper tanquam voluntarium punit. Deniq; apud deum qui odit fratrem suum, homicida est, apud homines verò non habetur pro homicida, nisi qui cõficit hominem. Apud deum qui viderit mulierem ad concupiscendã, iam mœchatus est eam in corde suo: apud homines nisi cõmissi adulterij conuictus fuerit, pro concupiscentia quæ cordis crimen est, plecti non debet. Sed quid prodest, pro cogitato flagitio humanę legis mulctam non subire, cùm propter illud iudicio dãneris diuino, & æterni reus habearis supplicij? Lex diuina vxorẽ proximi, bouẽ, ancillam, & quicquid illius est, concupiscere prohibet, si concupieris tantùm, legẽ dei præuaricatus es, qui autẽ sic peccat, nisi eũ pœnituerit, nõ pœnam temporariã meretur, sed æternã.

Sapient. 1. Ideo in sacris literis est scriptũ: Peruersæ cogitationes

Prouer. 11. separãt à deo. Et iterũ: Abominabile domino cor prauum. Quòd si beati sunt mundo corde, quia deũ videbunt, profectò qui immũdæ cogitationes fœditate inquinantur, deũ videre non poterunt. Quis autẽ dicere queat, quãta sit infelicitas illius desperare conspectũ, in quo vno videndo omnis nostra beatitudo consistat? Quamobrẽ totis viribus est cauendũ, ne cũ tanto animæ nostrę dispendio, illicitę cogitationis laqueis irretiamur, & dominus, cui nihil est abscõditũ, sicut olim

Matth. 9. Iudæis, ita etiam nobis exprobret, dicens: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Primò suggestioni lasciuientium cogitationũ erit resistendũ, ne placeant, deinde si quicq̃ delectauerint, ne eatenus gratę sint, vt vsq; ad cõsensum facti animũ inclinent. Quòd si euenerit, iam certè cõmisisti scelus illud, quod cogitasti vt cõmitteres, si adesset facultas, dareturq; occasio. Quo-

tie

ties enim iniquæ actionis implendæ potestas tollitur, volũtas peccãdi pro facto habetur. Cùm ergo se nobis noxij perniciosíque ingerent cogitatus, præteruolare præter'q; labi sinãtur. Non habebunt in corde nostro vllum remorandi locũ, si contraria illis cœperimus cogitare, & vitij virtutis'q; finẽ taciti perpẽdere. Breuis est vitiorum voluptas, sed æternũ suppliciũ. Breuis est virtutis exercẽdæ labor, sed inęstimabile & infinitum præmiũ. Facessat igitur malignæ cogitationis mortifera delectatio, quæ incautos in barathrum præcipitat inferni. Maneat autẽ diuinorũ operum diuinarum'q; legum meditatio salubris, quæ nos ad cœleste regnum transmittat, & sanctorũ angelorũ faciat esse cõsortes. Verũtamen si ad puræ contẽplationis domũ cupimus peruenire, nõ solùm scelestæ cogitationis vitãdę erũt, sed etiam futiles ac vanæ. Vana cogitatio est circa ea quæ fluxa atq; fragilia sunt, nec quicquam in se solidæ vtilitatis habent. Imprudentis est igitur de bonis corporis aut externis cogitare, quæ permanere nullo modo queunt, & æterni ac stabilis boni, ad quod fruendũ creati ac nati sumus, non satis recordari: cùm præsertim hoc haberi nõ possit, nisi illa contemnantur: neq; liberè & expeditè de hoc aliquid considerari, nisi illa fermè obliuiscãtur. Quandoquidem omnia relinquere & se solùm sequi iubet eos dominus, qui inter ipsius discipulos censeri desiderant. Sola itaq; de deo cõgitatio vana esse nõ potest. Ideo Salomonis te sapiẽtia hortatur, & ait: In omnibus viis tuis cogita dominum, & ipse diriget gressus tuos. Aliud verò cogitantes, vanitatis arguimur, dicente propheta: Dominus scit cogitationes hominũ quoniã vanæ sunt. Confecta est prima propositi operis pars, quã titulo Fidei applicandã censuimus: nũc de Spe, & quæ illi magis arbitrabimur conuenire, spiritu sancto instruente differemus.

Prouer. 3.
Psal. 93.

LIBRI I. FINIS.

EVAN-

EVANGELISTARII MARCI MARVLI LIber II. de spe & aliis virtutibus ac vitiis, quæ vel spem consequuntur, vel ei aduersantur.

De spe veniæ. Cap. I.



PES EST SVMMI BONI Deo miserante potiundi expectatio. Peccauimus domino, legi iussisq; eius non vt oportuit parendo, agamus pœnitentiam, & speremus veniam, & miserebitur nostri deus noster. Pœnitentiam, inquit, agite, & appropinquabit regnum cœlorum. Sed de pœnitentia postea suo loco tractabitur, modò autem quàm misericors est dominus, quàm facilè iis, quos delicti pœnitet, ignoscat, videamus: vt & ipsi nobis remissurum delicta confidentius speremus, cùm aliis quoque multis eum remisisse ex Euangelio didicerimus. Remisit Matthæo teloneum, Zachæo fraudes, mulieri deprehensæ adulterium, latroni rapinas & homicidia, apostolo negationem. Igitur si mercaturæ negotiationiq; operam impendis, desine vsuris rem quærere, atque hactenus quæsisse dole, sicut fecit Matthæus, quicquid dolo, fraudibúsve interuersum est, restitue, & tantum vitæ necessariis contentus esto, sicut fecit Zachæus, ac tum demum poteris esse discipulus Christi, cùm desieris esse mãmonæ seruus. Porrò si venereæ voluptatis obscœnitatibus es pollutus, & tua te accusat conscientia, ingemisce compunctus, ora vt mundêris, mundata autem conscientia per confessionis, pœnitentiæque sacramentum, dicet tibi dominus, quod antè

Matth. 4.

Lucæ 5.

Idem 19.

antè dixit adulteræ: Vbi sunt qui te accusabant? nemo te condemnauit? nec ego te condemnabo. Vade, & noli amplius peccare, præterea si fortè odio habes fratrem tuum, si rapuisti, si percussisti, si occidisti, confitere crimen, dic te dignum supplicio, sed tamen vt misereatur tui dominus instanter postula. Vis nosse quantum hoc tibi profuturum sit? Ille qui sic peccauerat, sic pœnituerat, de cruce ascendit ad paradisum, angelorumq́ue fit socius, qui fuerat latronum. Cæterum si etiam omnium maximum scelus commisisti, hoc est, si Christo renunciasti, & vel Iudaica vel Machumetana, vel aliqua alia impietate subuersus es, cogita quò excideris, quantum mali perpetraueris: & ad mentem sanam rediens amaris fidei fletibus, Petri exemplo, laua perfidiæ sordes, & mereberis rursum fieri membrum ecclesiæ, à cuius corpore auulsus fueras, & iam cum mortuis computatus. Hæc tecum meditare, hæc mente reuolue. Nunquam veniam desperabis ô peccator, si & istorum quos modò commemorauimus crimina, & domini erga ipsos benignitatem atq; misericordiam rectè mensus fueris. Sed fortasse dices, non solùm grauia & horrenda sunt peccata mea, verumetiam plurima, vixq́ue vllo calculi numero comprehensibilia. Igitur ne multitudo criminum spei tuæ detrimentum faciat, respice mulierem illam, cui quotidiana delicta peccatricis cognomentum indiderant. Videns onere tot flagitiorũ se infeliciter premi, accessit ad Iesum, lachrymis pedes eius lauit, capillis detersit, vnguento perfudit, & statim mortifero fasce leuatur, dimittunturq́ue ei peccata multa, quia dilexit multum. Vtrum de Maria Magdalena dictum, an de quadam alia, incertũ est, & tamen de Maria quoque septẽ dæmonia eiecta fuisse Marcus testatur, per quæ vitiis quibus inquinata fuerat, purgatam designat. Et ipsa igitur perpetua diaboli serua fuit, sed cùm finem iniquitatibus fecisset, meruit

Lucæ 23.

Lucæ 7.

Marc. 16.

ruit fieri discipula Christi. Remissorem autem vt ma
Iohan. 11. gnorum ita & multorum peccaminum se esse ostendere volens dominus, mulierem duodeuiginti annos inclinatam erexit, Lazarum post quadridui sepulturā iam fœtentem ad vitam reuocauit. Quãuis ergo diu te satanas alligatum tenuerit, quamuis longo peccandi vsu iam obduraueris, & toto tempore in scelerum tuorum monumento iacens contabueris, exolue tandem vincula, rumpe laqueos omnes: & diutinam mortem detestatus, ad illum cõuertere qui suscitat mortuos, & qui sepultos tumulatosq́ue facit reuiuiscere, & excusso de pedibus puluere mũdatos exire, qui dimitti iubet peccanti non tantùm septies, sed etiam septuagies septies. Semper itaque spera in domino, & ora cum propheta
Psal. 50. & dic: Miserere mei deus secundem magnã misericordiam tuam, & secũdum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meã: vt & misericordiæ magnitudo magnitudinem, & miserationum multitudo multitudinem tollat delictorũ. Postremò ita tibi persuadeas velim, nullum esse omnino vitiorũ genus, nullum numerum, quin vtrunque clementia ignoscat diuina his quos peccasse pœnitet, & misericordiam implorare nõ piget, à peccatis quibus deus offenditur pro viribus abstinendo, quibus placatur iustitiæ operibus sese exercendo. Solis impœnitẽtibus & desperatis non est veniæ locus, nequius tamen peccant qui desperant, quàm qui præsumunt, de vtrorumq́ue nunc vitio cùm de spe veniæ satis hactenus dictum sit, breuiter explicemus.

De desperatione. *Cap. 2.*

QVi præsumunt, quoniam in peccatis perseuerando se saluari sperant, dei iustitiæ derogant. Qui verò desperant, quia sibi ignosci posse diffidunt, dei misericordiam denegant. Præsumptione

ptione vſus eſt latro à ſiniſtris dominicæ crucis pendens, cùm dixit: Si tu es Chriſtus, ſaluum fac teipſum & nos. Lucæ 23. Non eum erroris pœnitet dubitando de Chriſto, non criminis, rapinas quas fecerat ſilentio prætermittendo, & tamen arroganter petit vt ſaluetur. Sed licet ille de pœna, quam tunc patiebatur, liberari poſtularit, ei tamen illi ſimillimi ſunt, qui corrigi nolunt, & pœna quã in inferno luituri ſunt, ſe liberos fore ſperant, deum quidem miſericordem eſſe confitentes, iuſtum autem negantes. His contrarij ſunt qui deſperãt. Grauitatem enim delictorum ſuorum conſiderant, & magnitudinem diuinæ miſerationis non perpendunt. Deſperauit Cain, cùm fratre interempto diceret: Maior eſt iniquitas mea, quâm vt veniam merear. Gene. 4. Si de dei clementia rectè ſenſiſſet, profectò etiã id quod non merebatur, ab eo ſeſe impetraturum pœnitendo ſperaſſet. Nemo quippe veniã accipit, quia ipſe meretur, ſed quia benignus eſt ille, qui eam largitur, Deſperauit & Iudas domini ſui proditor: Peccaui, inquit, tradens Matt. 28. ſanguinem iuſtum, reſtituitque argenteos, quos iniquè acceperat. Sed nec pœnitentia illi profuit, nec ſatisfactio, quia dolore ſuperatus ad laqueum confugit, non ad dei miſericordiam. Dolere quidem debuit de peccato, ſed non ita vt ſpem quæ in deo eſt, de manibus dimitteret. Nos igitur qui deum in multis offendimus, & dolendo de culpa veniam ſperemus, & ſperando veniam de culpa, doleamus. Vtrunque neceſſarium eſt ei, qui & pœnas cupit euitare, & beatitudinem conſequi ſempiternam. De ſpe autem temerè præſumentium dicitur: Spes impiorum peribit. Prouer. 10. Et de errore deſperantium: Si deſperaueris, inquit, lapſus in die anguſtię, imminuetur fortitudo tua. Prouer. 24. Dies anguſtiæ, dies iudicij eſt. Cuius autem tunc fortitudo imminuta fuerit, hic dæmonum accuſationibus grauatus, damnationi ſuccumbet.

De

De decem præceptis. Cap. 3.

ILlius autem spes nunquam fallitur, qui dei præcepta quàm potest studiosè obseruat, dicente domino in Euangelio: Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Mandata vocat quæ decalogo continentur: Non habebis deos alienos, deus enim vester vnus est. Qui somniis & sortilegiis & maleficorum diuinationibus fidem præstant, deos alienos colunt. Cùm enim solius diuinæ sapientiæ sit, futura nosse: hoc quod dei est, aliis tribuere præsumunt. Non facies sculptile, eo videlicet animo, vt adores illud, ac pro deo habeas. Non est sceleris huius expers, qui pecuniam seculíque diuitias magis quàm æquum bonumq́ue diligit. Apostoli authoritate hoc probamus, qui Colossensibus scribens, auaritiam simulachrorum seruitutem appellat. Neq; tamen per hoc mandatum ars reprobata est sculptorum vel pictorum. Non pingere aut fingere simulachra vetantur, sed adorare, ideo sequitur: Non adorabis ea neque coles: ego enim sum dominus deus tuus. Quòd autem nos quoque Christi sanctorumq́ue imagines adoremus, non ad ipsas imagines, ne idololatriæ arguamur, sed ad eos quorum ipsæ imagines apparent, adorationem dirigimus. Idcirco autem eiusmodi simulachra publicè proponi solent, vt quoties conspecta fuerint, ad memoriam res gestas eorũ quibus dicata sunt, reuocent: & ad imitandum fidelium mentes accẽdant. Non assumes nomen domini dei tui in vanum, ne contemnere videare, quod præcipuè oportet the revereri. Memento vt diẽ sabbati sanctifices. Nos verò sabbati obseruationem ad diem dominicùm trãstulimus, ne cum Iudæis in Christum non credentibus videamur sentire, qui eum in sepulchro mortuũ sabbato quieuisse fatentur quidem, sed postea viuum resurrexisse negant. Itaque ob resurrectionis reuerentiam, eò quo facta est

Exodi 20.
Preceptũ I.
II.
III.

die

die ab operibus vacamus, nec tamen ita superstitiosè, vt Iudæi sabbato. Nam & mensas paramus, & calices abluimus, & multa huiusmodi agimus. Etenim seruilia opera quæ vetantur, peccata potissimè, quibus deus offenditur intelligimus, à quibus certè tunc magis est abstinendum, cũ diuino cultui opera impenditur. Neque aliam ob rem festo die cessare debẽt manuum exercitia, nisi vt quisque cæteris omnibus curis expeditus diuina tantùm tractet, templa visitet, precationibus incumbat, missalibus sacrificiis intersit, prædicationes audiat, & totum tempus illud in dei laudẽ cultum'que expendat. Cùm ergo dominicis feriatis'q; ab ecclesia institutis diebus maximè à scelere abstinendũ sit, cur vos infrenis ac petulans iuuentus tunc præcipuè in ganeis crapulamini? in choreis lasciuitis? in iocis & ludis defluitis? alearum tesserarum'que lusionibus tempus diuino honori dedicatum impiè cõsumitis? In quo quidem lusu nec amissæ pecuniæ damnũ sine infamia, nec lucrum sine restitutionis debito, nec vsus est sine peccato, nisi fortè periurare, & dolos intẽdere, & aliena iniquè concupiscere, & inter se idẽtidem rixari atque in contumeliam prorumpere fas esse dixerimus, omitto quod interdum nec manibus temperatur, & vsque ad vulnera cædes'que peruenitur. Quanto ergo leuius crimen ab his diuertere, & alicuius honestæ artis laboribus diem illum conterere, quàm per otiũ ad tam nefanda flagitia conuerti? Profectò minus offenderitis, nullum omnino diem festum agere, quàm hunc quem agitis tot vitiorum obscœnitatibus profanare. Concessus fuit olim Iudæis repudij libellus, ne in vxores quæ displicuissent veneno sæuirent, sed potius viuas dimitterent. Agè iam permittatur & vobis, vt omnes dies profesti sint, nullus festus, vt potius manuũ labore occupetur animus, quàm nihil agendo malè agere assuescat. Nullus igitur sit vobis dominicus dies, ne ip-

ſum qui dominicus eſt,in diabolicum cõuertatis,dum eo toto tempore, quo ab operibus vacui eſtis,non tã domino quàm diabolo ſeruitis.Itaq; non quidem ad vos pertinere arbitror hoc quod dicitur:Meměto vt diem ſabbati ſanctifices,cùm nequaquam ſanctificetis eum, ſed polluatis.Vt autem & ad vos pertineat,redite iam ad mentem & intelligite,ideo feſtis diebus à ſecularibus negotiis feriandum præcipi,vt exerceamur in diuinis,& non vt hauriendis luxuriis, voluptatibuſque incumbamus. Et hæc ſanè præcepta ſunt, quæ ad dei duntaxat cultum ſpectant , reliqua vèrò circa cha-

IIII. ritatem,quam proximis debemus,verſantur: Honora, inquit,patrem tuum,& matrem tuam,vt ſis longæuus ſuper terram,quam dominus deus tuus dabit tibi.Natura ipſa nos prouocat, gratis parentes noſtros colere & amare,quãto magis hoc facere debemus,cùm etiam præmium proponatur longæuitatis? Neque ſi quoſdam in primis parentum ſtudioſos parum diu vixiſſe noueris,de promiſsione diffidas.Ideo terrenũ & tẽporale bonũ interdum citò ſubducitur,vt cœleſte & ęter-

V. nũ gradu beatitatis celſiore cumuletur.Non occides. Cùm neminem tibi lædere liceat,multò minus interimere.Ne iudici quidem aliquem capitis reum ex odio fas eſt interficere,ſed ex lege. Quamobrem non tibi, ſed illi,qui exequendis legibus præficitur, dictum eſt:

Exodi 28. Maleficos ne patiaris viuere. Priuato autem hominĩ ne iniuriam quidem quam accepit, vlciſci permitti-

Rom.18. tur,dicente domino : Mihi vindictam & ego retri-

VI. buam. Non mœchaberis. Omnis coitus hoc mandato prohibetur,extra matrimonij copulam . Si continere non potes, cur ſine vxore es? Sin potes, cur monachum non profiteris? Illud,ne damneris:hoc,vt mer-

VII. cedis plus capias voto ſuſcepto caſtitatis.Non furtum facias.Furti actio eſt in eum,qui contrectat rem alienam inuito domino. Igitur contra hoc præceptum

peregit,

peregit, non solùm, qui aliquid furto sustulit, sed
etiam qui per vim rapuit, vel per fraudem elicuit,
vel casu inuentum restituere noluit. Non loqueris VIII.
contra proximum tuum falsum testimonium. Cùm
enim Christus dei filius veritas sit, quicquid aduer-
sus veritatem dicitur, deum offendit. Non tamen om-
ne mendacium ita graue crimen est, sed illud tantùm,
quod aduersatur charitati, & cum alicuius detrimen-
to perficitur. Fingere autem & mentiri quod nemi-
ni noceat, leuis est culpa. Interdum ne culpa quidem,
sed potius meritum, vt cùm finguntur parabolæ siue
apologi ad præcepta virtutis. Nemo quippe igno-
rat ea conficta esse, non vt mendacium dicatur, sed
vt veritas disciplinæ salutaris iucundius exprimatur,
gratius acceptetur, tenaciusque menti discentis in-
sideat. Hoc me fecisse nullo modo pœnitet edito illo
quinquaginta tabularum libello, dum prodesse plu-
rimis cupio, non commento, sed veritate. De perni-
cioso autem mendacij genere scriptum est: Os quod
mentitur, occidit animam. De hoc verò quod excusa-
mus ac defendimus, abundè in parte eius libri, quem
de religiosè viuendi institutione inscripsimus, est tra-
ctatum, vbi sanctorum exemplis probatur, non so-
lùm fingere quandoque licere, sed etiam esse necessa-
rium, quoties consultum iri volumus, vel nostræ vel
aliorum saluti. Non concupisces domum proximi tui. IX.
Non desiderabis vxorem eius. His postremis dei man- X.
datis apertè discimus, non modo facto dictoque pos-
se delinqui, verumetiam sola mali concupiscentia. Et
si rem alienam nefas est concupiscere, multò magis
auferre, & si desiderare tantùm alterius coniugem
non debemus, multò minus cum illa rem habere.
Concupiscentia enim & desiderium quamuis crimi-
ne non careant, facilius tamen coërcentur, si cupi-
ta non perficiuntur, difficilius autem cùm in consuetu

dinem facti venerint. Insatiabiles nempe bestiæ sunt auaritia & libido, non implentur haustu, sed quo magis hauserint, plus esuriunt. Hoc quod sequitur, nō seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, neque omnia quæ illius sunt, cum illo quod de domo non concupiscenda dicitur iungendum censeo, ne ex decalogo hendecalogum faciamus. Cùm ergo in fine his duobus præceptis prauæ cupidines vitandæ iubeantur, quærimus quomodo eas vitabimus cùm interdum etiam inuitis ac repugnantibus nobis sese ingerant, animumq; non parum solicitent ac lacessant? Sed quandiu refragamur, nihil nocent, nocent autem cùm eas dominari permittimus, & cùm scelus quod nondum peractū est, volumus, totóque tandem voluntatis affectu eo ferimur, quo ille blandiendo inducunt. Concupiscētia itaque mali nihil aliud est, q̄ firmus in malum consensus, quod quamuis non fiat, factum tamen iri cupimus.

De mandatorum consideratione. Cap. 4.

HAec sunt legis mandata in tabulis lapideis digito dei descripta, vt cùm omnia quæ legis sunt didiceris, ista potissimè teneas, quæ modo magis exquisito magísque mirabili tradita sunt populo fideli. Cur enim ea deus in marmore sculpenda curauit, nisi quia æterna esse voluit? ac nequando de memoria exeāt, palliorum fimbriis assui iussit vittas hyacinthinas, quas quoties aspicerent, toties eorum quæ ad comparandas animi virtutes præcepta sunt, recordarētur. Nobis verò quibus non iam litera, sed spiritu viuere conuenit, vittæ istæ in corde non in palliis reponendæ sunt, & nunquam dimittendæ. Quid enim ita ardenter amplecti debemus, vt mandatorum memoriā? quorum obseruatio nos ex corruptibilibus facit incorru-

Num. 15.

ptos,

ptos,& ex mortalibus immortales, & ex terrenis cœlestes, quæ denique diabolo nos eripit & deo coniungit. Talia considerabat vir sanctissimus Dauid, cùm diceret: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua domine, super mel ori meo. Vis vt & tibi dulcia sint, noli in verbis diuinis eloquij ornatum requirere, ita composita sunt, vt & docti & indocti quod omnibus pariter profuturum erat, intelligerent: sed attende qualis quātusque sit, per quem prolata sunt, per illum vtique qui solus & acumen ingenij hominibus præstat, & ipsum dicendi leporem impartit. Idem enim & fons bonorum omnium est, & largitor, & cuius tam dicta quàm facta nulla prorsus in parte argui queant, cùm solus in cunctis vt maximè potens, ita summè sapiens sit. Cogita etiam quanta tibi in his obseruandis quæ pręcepta sunt promittantur, certè non argentum, neque aurum, neque terreni regni fortunæ subiecta potentia, aut gloriæ humanæ fragile bonum, sed illa firma atque stabilis beatitudo, qua nihil melius, nihil maius ab homine optari posit. Cùm ista animo permensus fueris, tūc non solùm, quàm dulcia faucibus meis eloquia tua domine dices, verumetiam cum eodem propheta lætatus cātabis: In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis. Et iterum: Bonum mihi lex oris tui super milia auri & argenti. Et rursum: Dilexi mādata tua super aurū & topazion. Item eodem psalmo: Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Quid enim illis pretiosius? quid optabilius, quæ sola nos efficere queant cœlo dignos, æternitatis compotes, summi boni certos perpetuosque professores. Talia si tecum (vt debes) quotidie reputaueris iam tandem cœlestium mādatorum amore captus, atque ad eorum authorem deum cōuersus, dices: Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Non poteris enim illud non maximè dilige-

Psal. 118.

Ibidem.

re, in quo tibi tam grande bonum propositum esse intellexeris. Prudentia præterea mirum in modum proficere, & sapientia compleri incipies. Hoc tibi Baruch prophetæ verbis promittitur, neque enim fallit ille per cuius os spiritus sanctus locutus est: Audi, inquit, Israël mandata vitæ, auribus percipe vt scias prudentiam. Et Iesus Sirach filius, cuius dicta sacris voluminibus inseri meruerunt, Fili (ait) concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & deus præbebit illam tibi. Ac ne de aliqua alia quàm quæ in mandatis continetur iustitia dictum putares, alibi explanat, dicens: In mandatis dei assiduus esto, & ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi. Hinc est quod in his versatus Dauid, omnibus humanæ scientię professoribus se sapientiorem factum audet asserere, & domino confidenter loquitur, dicens: Super omnes docentes me intellexi, quia iustitia tua meditatio mea est, & super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui. Abeat igitur cum suis dissertationibus Plato, & cum argumentis Aristoteles, & cum sophismatum callidis captionibus omnes veteris academiæ philosophi; vera sapientia est, deum nosse, & tam edicta quàm interdicta eius, tota animi sedulitate obseruare. Cæterum ne quis obseruandorum difficultatem ignauiæ suæ fauens insipienter excuset, & impossibilia esse prædicet, audiat Iohannem apostolum dicentem: Hæc est charitas dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt: audiat & Moysen in Deuteronomio sibi loquentem: Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, vt possis dicere: Quis nostrum valet in cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos vt audiamus atque opere compleamus? neque trans mare positum, vt causeris & dicas: Quis è nobis poterit mare transfretare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire

Baruch. 3. Sapien. 1. Sap. 5. Psal. 118. 1. Iohan. 5. Deut. 30.

dire & facere ꝙ præceptum est? sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo & corde tuo, vt facias illū. Quid ergo quod supra nos nō est amplecti recusamus? & quare quod cordi insitum est, id euellere ac proijcere conamur? nonne cum hoc agimus, intus quibusdā conscientiæ stimulis pungimur? quasi qui contra naturæ vim nitamur, dum ab his quæ iubentur declinamus. Perspicuum est igitur quia prauis affectibus superati, neq; deo neque conditionis nostræ rationi obedimus. Quæ præterea dementia est, imo quis furor, vitiū sequi malle, cuius finis pœna perennis est, quàm virtutem, qua beatitudo comparatur æterna? Beatitudinē autem decalogi obseruatoribus promissam quis ambiget, cum veritas in euangelio (vt suprà retulimus) dicat: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata? Idē dominus alibi quoque cum de deo patre loqueretur. Scio, inquit, quia mandatum eius vita æterna est. Si ergo tantæ mercedis compotes esse cupimus, dei mādata ne deseramus. Quæ sicut perfectę virtutes sunt, ita perfectionis numero, id est, decade cēsentur. Hæc est itaq; frugum decima sanctarum in horreum dei inferenda, multo melius quàm illa quæ de terræ fœtibus collecta offerri solent. Hæ sunt decem conchæ à vero Salomone positæ, in quibus lauari debet, non pecudum vt olim, sed animarum nostrarum victimæ in holocaustum charitatis deo consecrandæ. Hæc est cithara illa, ille'q; decachordus, ad quem nos hortatur Dauid, dicens: Confitemini domino in cithara, & psalterio decem chordarum psallite ei. Hæ denique sunt decem plagæ illæ, quibus Pharao aduersarius noster percutitur, & nos per eas liberati, ad terram vsque promissionis perducimur, terram lacte & melle manantem, id est, lucis æternæ candore visionis'que diuinæ dulcedine refertam: quæ non mortuorum terra, sed viuentium dicitur: ne quis alibi viuere cupiat, quàm vbi semper feli-

Iohan. 12.
Mala. 3.
2. Para. 4.
Psal. 36.
Exod. 3.

citer viuat,& nõ mori nõ possit. Cumq́; ad tam inæsti-
mabile bonum hac sola via peruenitur ad eam ipsam
Salomon sapientiæ dono insignis te dirigit ac stimu-
Prouer.6. lat, dicens: Conserua fili præcepta patris tui, id est dei:
& ne dimittas legem matris tuæ, id est, ecclesiæ: liga ea
in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo, vt videli
cet neque cogitatione delinquas, neque lingua labaris.
Cùm ambulaueris, inquit, gradiantur tecum, & cùm
dormieris, custodiant te ne pecces, & vigilans loquere
cum eis. Quæris, cur ita? ne scilicet quandiu per huius
vitæ curricula incedis, iustitiæ iter deseras, & vel per
quietem diaboli ludificationibus capiaris: vel cùm eui-
gilas, de mundo prius quàm de deo cogites. In quo qui-
dem imitandus est nobis ille, qui ait: Quomodo dilexi
Psal.118. legem tuam domine, tota die meditatio mea est. Igitur
quotidie tecum reuolue, quotidie mente rumina, quæ-
cunque deo placent vt facias, quæcunque displicent vt
deuites. Ac si quando pigebit cuncta repetere, ad sum-
mam illam in Euangelio à domino factam protinus
Matt.22. recurre: Diliges, inquit, dominum deum tuum ex toto
corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua,
hoc est maximum & primum mandatum. Secundum
autem simile huic: Diliges proximum tuum sicut te-
ipsum. In his duobus mandatis, inquit, vniuersa lex
pendet & prophetæ. Omnia quippe præcepta, tam le-
gis quàm Euangelij, ad hunc ipsum rediguntur finem,
vt deus & proximus diligatur. Ita tamen proximũ dili
ge, vt deum non offendas: ita deum ama, vt nihil ma-
gis, nihil æquè amasse arguaris. Et si charitas dei hæc
1. Iohan.5. est, sicut Iohannes apostolus testatur, vt mandata eius
custodiamus, mendax est profectò, qui se deum dilige-
re dictitat, & præcepta eius non seruat. Quæ quo dili-
gentius adhuc studiosiusq́ue amplectamur, cùm de ob-
seruatorum præmio satis dictum sit, de trãsgressorum
quoque pœna aliquid memoremus.

De

De præuaricatorum pœna. Cap. 5.

SI quis interim alteri infensus malignè cauilletur, sibi in mandatis ne occidat vetari, & non ne odio habeat, aut aliquod aliud iniuriæ inferat genus, meminisse debet, cuncta quidem quæ in altera tabula cōscripta sunt, ad illam summam redigi, qua iubemur ita proximos vt nosmetipsos diligere. Quo semel recepto, nō solùm ab omni offensa erit cessandū, sed etiam bene cuique optandum, benéque faciendum, & quod nobis indigentibus ab aliis exigeremus, id aliorū necessitati præstandum. Si cui tamen quicquam mācum in decalogo imprefectum'que videtur, omnium perfectionem ex Euāgelio petat: Non veni, inquit saluator, soluere legem, sed adimplere. Quamobrem sicut legis, ita & Euangelij mandata obseruare nobis necesse est, si saluti nostræ consultum iri volumus. Nam & ipse Euangelij author Christus, quæcunque docendo tradidit nobis, ea se à patre accepisse dixit, hoc quoq; habens à patre vt filius sit, patri tamen coæternus & consubstantialis: atque ita fiet, vt illa quæ vel per patrem, vel per filium, vel per spiritū sanctum iubentur, vnius dei iussa esse credamus, vnius maiestatis imperia. Quędam tamen ad tempus obseruanda, vt illa quæ futurorum figuras continebant: quædam semper, vt hæc ipsa de quibus nunc agitur, quæ ad vitæ morum'que institutionem spectant: illa verò quæ perfectionis sunt, id est, vt paupertatem castitatem'que colamus, monasticę vitæ modum normam'que sectantes, nostro relicta sunt arbitrio, antequam ea seruandi voto nos obligemus, quod si voluerimus, præstare tenebimur, non minus q̃ illa quæ iussa sunt. Præuaricator est qui secus fecerit. Sed iam redeat vnde digressa est oratio, & sicut instituimus ipsas præuaricatorum pœnas fidelium traditionum scripta percurrendo, solicitè scrutemur. Neq; hoc

Matth. 5.

hoc sine dolore, imo nec sine metu, ne ipsi quoque cùm peccatores simus, in illas incidamus. Legimus enim in Deuteronomio execrationes de monte Hebal, à Leuitis dei iussu prolatas, & inter legendum contremiscimus. Maledictus, inquiunt, qui facit sculptile, quòd est contra primæ tabulæ mandatum. Contra secundæ autem præcepta delinquentibus dicitur, Maledictus qui
Deute. 27. non honorat patrem suum & matrem suam. Maledictus qui trãsfert terminos proximi sui. Maledictus qui errare facit cæcum in itinere. Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli, & viduæ. Maledictus qui dormit cum vxore patris sui, & reuelat operimentum lectuli eius, & qui dormit cum iumento, vel cum sorore, vel cum socru, vel cũ vxore proximi: & qui percusserit proximum, & qui pro pretio vitæ insidiatur alienæ. Post multa, Maledictus, aiunt, qui nõ permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Deinde iterum ad maledicendũ acrius insurgentes, ad transgressorem'q; conuersi dicunt: Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, &
Deut. 28. maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. Longum foret cuncta referre quæ ibi colliguntur, sed breuiter, nihil prorsus mali, q in hac vita mortalibus accidere possit, prætermittitur: vsq; adeo graue crimen est, diuinis nolle parere mandatis, & ad-
Leuit. 16. uersus ea niti propriæ voluntatis libidini blandiendo. Eadem enumerantur in Leuitico, & præcipuè fames, pestilentia, gladius: multis'que in locis scripturæ idipsum non siletur: vt quod toties repeti audis, euenturũ peccatis exigentibus minimè dubites. Nam in Isaia quoque loquens ipse terræ cœli'que conditor ac dominus, ait: Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: quod si nolueritis, & me ad iracundiã prouoca-

uocaueritis, gladius deuorabit vos. Multa huiuscemodi in Ieremia, multa in Ezechiele, nec pauca in reliquis prophetis leguntur, minis terroribusque plenas quorum quàm certus euentus fuerit, cùm plurima vrbiū excidia, tum potentissimorū quondam regum infelicissimi exitus testantur. Primus Israëlitarum rex Saul, sicut à Samuele propheta, ei prædictum fuerat, quia voci domini non obediuit, à Palæstinis magno prælio superatus, cum liberis occubuit, sceptrum quoque regni de domo & familia illius ad alios fuit translatum: vt quale scelus sit, dei mandata præteriisse, non ipse solum, sed etiam filius, qui reliquus erat, nepotesque eius sentirent. Vt autem post hunc aliorum quorundam parem fortunam silentio transeam: Sedechiæ maiori deploratione digna clades compulit, si modo plorandi sunt, qui iustè pro scelere puniuntur. Hic capta à Chaldæis Hierosolyma cum fugeret, cōprehensus vinculisq; constrictus, coram rege vnà cum liberis adducitur: hi spectante patre trucidantur, ille deinde etiam oculis orbatur, quos mallet ante erutos, ne filiorum cædem videret. Vinctus postremò & cæcus in Babylonem est ductus, templum ipsum atq; domus vrbis igni consumptæ, turres ac mœnia solo æquata, populus captiuus, præter eos, qui ceciderant, Babylonem translatus, quæ ferè omnia per Ieremiam prophetam comminatus fuerat dominus tam regi ipsi, quàm populo, eo quòd filios Rechab patri magis obedientes fuisse comperisset, quàm illos sibi. Iusiurandum enim violauerant, rebelles facti Chaldæorum regi Nabuchodonosoro, templum dei sui gentilium ritum secuti polluerant, prophetis vera vaticinantibus illuserant, & cum propterea tot mala se passuros audissent, deprauatos animi mores corrigere neglexerant. Contempta itaq; diuinitas non distulit vindictam, vbi in flagitio cognouit

2. Re. 31.

4. Re. 25.

Iere. 35.

gnouit obduratos,& cum nulla denunciatione futuræ vltionis deterreri possent, vltima calamitate afflixit. Ante hac ob idem delictum & Samaria ab Assyriis debellata,& populus cum rege Osee patriis auulsi sedibus,in Assyriamq́ue traducti seruierunt. Nemo ergo regum,nemo principum vel sibi vel imperij sui viribus nimio plus confidat. Si quis præuaricator mandatorum dei esse perseuerauerit,& nec vno aut altero flagello commonitus ab impietate animum auerterit,repentè videbit misceri omnia quæ ditionis suæ sunt, hoc capi,illos cædi,alios desciscere,diutinam libertatem statim seruitute mutari,& opes illas,quas multorum annorum victoriæ aceruauerant,paruo temporis momento hostium prædam fieri. Neque enim hoc humanæ vires efficiunt,sed iniuriarum suarũ vltor deus, qui solo nutu & cœlum diruere,& terrã potens est dissipare. Securè feliciterq́ue regnabit,qui ipsum regem regum & dominum dominantiũ nouerit colere ac revereri. Nobis tamen nulla omnino seculi huius aduersa æquè timere conuenit,atque illa quæ post pręsentis vitæ finem peccatoribus infliguntur. Præsentia enim mala quãuis teterrima venerint,longiora esse nequeũt vitæ nostræ breuitate,nullumq́ue infortunium tã immane esse potest,quòd non leniat ac mitiget aduentantis & iam iamque affuturæ mortis expectatio. At verò illa supplicia,quorũ nullus speratur finis,nulla intermissio,nullum leuamen,quis non exhorrescat? nisi qui ne his quidem,quæ de inferorum pœnis diuinitus tradita sunt,fidem adhibet,quæ sanè incredulitas nequaquam à suppliciis hominem liberat,sed eidem duplicat eorum grauitatem. Leuiora sunt enim,quæ fragilitate naturæ peccamus,quàm quę animi malitia credere nolendo committimus. Igitur siue quis credit, siue non credit,si aliter ac omnibus pręceptum est,vixerit,
Psal.118. saluus esse non poterit,quia longè est à peccatoribus salus.

lus. Mandati transgresio primos homines Adam & Euam eiecit de paradiso, angelos de cœlo præcipitauit: & tu eiusdẽ fortasse delicti reus, illo ascendere speras? Fallet te spes ista, fallet profectò, nisi pœnitentiã egeris. Pœnitenti autẽ præstabitur miseratio, dicente domino: Pœnitentiam agite, & appropinquabit vobis regnum cœlorum, quòd si ad viam iustitiæ, à qua procul aberras, reuerti neglexeris, iam tandem tuæ imbecillitati derelictus, peccata super peccata cumulabis, ac veluti absque gubernaculo in mari fluctuãs nauis, quocunque concupiscentiæ tuæ te impellet flatus, eo fereris. Id tibi futurum ille qui nouit omnia antequam fiant, prædicit in psalmo, ita loquens: Non audiuit populus meus vocem meam, & Israël non attendit mihi, & dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Nihil illo homine infelicius, à quo diuinæ benignitatis auxilium subtrahitur. Cùm enim sic destitutus, nihil boni per se agere posit, & suis affectibus ad malum pronis anhelet, continuò in omne nefas præceps feratur necesse est. Idcirco non solùm à paradisi expectatione excluditur, verumetiam in dies grauius futurum sibi supplicium cõferat in inferno. Ille enim seruus (vt in Euangelio legitur) qui cognouit voluntatem domini sui. & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, plagis vapulabit multis. Ne igitur æterni ignis magis omnibus expauescendo tormento obnoxij simus post prçteriti delicti pœnitentiam, ad iustitiæ capescenda opera accingamur, auxilium à domino implorantes, vt ea quæ nos facere iusit, ipso adiuuante faciamus, & quæ fieri vetuit, vitemus. Ita Christianæ hæreditatis, quç omnem nostræ æstimationis computationem superat, consortes esse merebitur, cùm ipse Christus dicat: Quicunq; fecerit voluntatẽ patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror & mater est, quasi diceret: Is mihi in cœlesti

Matth. 4.

Psal. 80.

Lucæ 12.

Matth. 12.

lesti regno erit coniunctissimus, atque arcta in primis cognatione copulatus, qui hic in exequendis dei mandatis mihi proximus effici studuerit, vt sit particeps Christi gloriæ, qui Christi prius extiterit obedientiæ comes. Cæterum, quoniam vndique insidiæ, vndique laquei nos circundent, magnoperè nobis vigilandum erit, ne in illis incidamus. Non incongruè igitur post mandatorum tractationem de vigilia differemus.

De vigilia. *Cap. 6.*

Vitæ mortalium tempus quàm breuissimum est, vt ipsi senes parum se vixisse conqueruntur. Sed cùm vigilia sit, nónne etiam tantò minus viuit aliquis, quantò plus quieti ac somno indulget? Nolo tamen vt extendendæ in longius spatium vitæ gratia, vigiliarum obseruatio te delectet, sed ea duntaxat de causa vt & à vitiis facilius abstineat, & virtutibus proficias magis. Vigilando autem vtrunque effici posse facilè nobis persuadebimus, si noui veterisque instrumenti fidelia testimonia audire voluerimus. Clamat in Euangelio dominus: Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Periculum ergo imminet illis, qui vltra naturæ necessitatem dormiunt, ne carnis diabolíve tentationibus superati delinquant. Nam & si spiritus promptus est vt obediat deo, caro tamen infirma, & ad vitium prona, nisi vigiliæ freno teneatur, facilè corruet. Cuius quidem periculi minimè ignarus apostolus Petrus, nostræ saluti prospiciens, ait: Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Vigilantia primò opus est, ne imparati opprimamur: deinde fide, vt resistamus & vincamus. Quòd si sæpius vincere contigerit, etiam uirtute proficere continget. Superatis enim nequitiæ suggestionibus, restat vt ad bonorum operationem cõuertamur.

1. Pet. 5.

tamur. Ad hæc autem perficienda non sufficit nostra fragilitas. Nisi enim dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam. Ope igitur indigemus diuina, quæ precibus impetratur, dicente domino: Petite & dabitur vobis. Precationibus verò offerendis nullum tempus magis idoneũ esse horis nocturnis, nullum accommodatius esse creditur. Atq; ideo propheta hortatur nos: In noctib⁹ extollite manus vestras in sancta, & benedicite dominum, Nox itaque meditationum mater est, dies actionum, has inter se vices partisse videntur, quãdoquidem saluator quoq; noster vt huiusce rei nobis documẽto esset, per diem docuisse in templo, noctu autem in monte Olиueti exiens orasse perhibetur. Noctu ergo surgentes meditando atque orando quæramus cum sanctis mulieribus virtutum aromata vt illis vngamus Iesum. Si cum sanctimoniæ odore ad se venientes conspexerit, qua pietate est, iucundè gratanterq; suscipiet, & in nobis implebitur dictum illud, Beati sunt serui illi, quòs cum venerit dominus, inuenerit vigilantes. Præterea quemadmodum ætas vitæ nostræ breuis est, ita & incerta. Plurimos frustratur speratæ senectutis expectatio. Denique quis est qui vnum diem, imò vnam horam à mortis periculo alienã possit sibi promittere? Quàm multos dum sani ambulant, dum fabulantur, dum rident, vel casus exterior, vel morbus interior repente deiicit & extinguit? In eo itaq; nostræ saluti consulitur, quòd saluator ait, Videte, vigilate & orate, nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui peregrè profectus reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem cuiusq; operis, & ianitori præcepit vt vigilet. Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domus veniat, serò, an media nocte, an gallicantu, an manè, ne cum venerit repentè, inueniat vos dormientes. Ac ne solis discipulis id præceptum

Psal. 126.

Psal. 133.

Mar. 13.

quis

quis diceret, quod vobis dico, inquit, omnibus dico vigilate. Dominus domus huius, id est, corporis humani est Christus, serui sunt quinque sensus, ianitor anima: hæc si bene vigilauerit, sensus ipsi ad bene operandum rectè disponentur. Isto autem modo expectatus dominus cùm venerit, neque in seruis, neq; in ianitore quod condemnet inueniet. Tametsi dominus noster in fine seculorum venturus sit, vt simul omnes iudicet, cuiusq; tamen merita in exitu vitæ discutit, & singulorum facta diiudicat. Qualis ergo quisque nunc decesserit, talis etiam in illo vltimo iudicio cum corpore apparebit. Vigilare itaque iubemur, ne mors imparatos occupet. Et quoniam nescimus diem neque horam, semper est vigilandum. Semper autẽ vigilat, qui semper à malo abhorret: & bonum, vt deo placeat, agere pro viribus non cessat. Fieri quidem nequit, quin partem aliquam temporis quieti cedamus, cùm nostræ conditionis imbecillitas, vt cibo, ita somno quotidie indigeat. Sed audeo dicere, quod somnus quoque iusti vigilia sit. Nam vbi diurna opera piè religiosèque peregit, & antè somnum quæ deo grata sunt cogitauit, etiam post somnum quæ cogitauerat perficere maturat. Ideoque citius expergiscitur & exurgit, vt quanto minus dormierit, tanto plus apud deum meriti bene operando sibi comparet. Igitur non plures horas dormitioni impartit, quàm naturæ necessitas postulat, vt totum quod superest, semper in dei laudem, aut orando, aut aliquid aliud agendo expendat. Si quod momẽtum otio transierit, illud sibi deperisse arbitratur. Porrò satis erit, sex horas ad mediam noctem somno dare, à media verò nocte Romano ritu initium diei capere, nisi aliqua corporis imbecillitas longiorem sibi quietem exegerit. Iste autem à media nocte ad sacrificia laudis deo offerenda exurgendi mos omnibus monachorum collegiis iam inoleuit, & quod ecclesiæ instituto probatum

tum apparet, id ſequi, id curare atq; amplecti ſaluberrimum eſſe ſentimus. Sic olim ſanctiſſimi viri prædicauerunt, ſic docuerunt, ſic ſuo exemplo factitandum oſtenderunt. Dauid ipſe, quem deus præ omnibus Iudeæ regibus dilexit. Memor fui (inquit) de nocte nominis tui domine, & cuſtodiui legem tuam. Et iterum, Media nocte ſurgebã ad confitendũ tibi. Iſaias qui cũcta quæ euangeliſtæ narrant, multo antequam euenirent prędixit, ipſe amore in deum accenſus, ait, Anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te. Ieremias quoque antè ſanctificatus quàm natus, futuram Hieroſolymæ euerſionem lugens, & precibus miſericordiam implorãdam ſuadens, nullas efficaciores fore credidit, quàm quæ nocturno tempore factæ fuiſſent. Ideo conſurge (inquit) lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum domini. Et in euangelio legimus paſtoribus vigilias noctis agentibus angelo adueniente ſaluatoris natiuitatem fuiſſe nunciatam. Cuius memoriam eccleſia quoq; a media nocte (tunc enim de virgine editus creditur) celebrare conſueuit. Tunc etiam cum in templum puer Ieſus eſt illatus: Anna Phanuelis filia redemptorem Iſraël agnouit ſanctarum vigiliarũ merito, quia nõ diſcedebat de tẽplo, vt euãgeliſta ait, ieiunijs: & obſecrationibus ſeruiẽs nocte ac die. Paulus apoſtolus cũ Syla diſcipulo in carcere poſiti, media nocte deo laudes decantant, & carceris fundamenta quaſſantur, oſtia reſerantur, vincula ſoluuntur, & ipſi, non refragante, ſed rogante magiſtratu liberi dimittuntur, in tantum profuit nocte intempeſta ad hymnos deo reddendos exurrexiſſe. Hos æmulando tu qui ſanctus es, ama vigilias, vt ſanctior ſis, & tu, qui peccator es, vt citius veniam impetres. Artifices partem noctis ſuo vendicant labori, vt quo plus operis cõfecerint, plus lucri conſequantur.

Pſal. 118.
Iſaiæ. 26.
Thren.
Lucæ. 2.
Ibidem.
Actu. 16.

tur. Quod ergo illis pro adipiscenda pecunia non est iniucundum, sæpè enim cantant dum exercentur, hoc tibi molestum esse poterit pro lucranda cœlesti gloria? Nimium delicatus es, ne dicam stultus, si tantũ boni tibi parare posse speras tota nocte stertẽdo. Illis tãtum & nocte & die dormire satius esset, de quibus dici-

Pro.4. tur: Non dormiunt nisi cũ malè fecerint, qui ideo peruigilant, vt latrocinentur, vt furentur, vt crapulentur, vt libidini luxuriæq; satisfaciant. Minus enim peccarent, dũ dormiunt nihil agendo, q̃ malè agendo dum vigilant. Tales vigilię tam fugiendæ sunt, q̃ hę de quibus loquimur, expetendæ. His aduersus mortiferæ voluptatis illecebras armamur, his diaboli vires frangimus, & in dies efficimur fortiores. In his orando, legendo, meditando, quàm suauis est dominus gustamus. Per has mundatur animus, acuitur intellectus, mens ad cœlestia contemplanda erigitur, & gaudia illa quę eloqui nescit, se interdum sensisse miratur. Hæ sunt sanctarum vigiliarum dotes, hęc commoda, quæ si tanta non essent, imò si minora forent quàm dicimus, vigilãdum tamen nobis esse suaderẽ, ne somnolentiæ damna subire cogamur. Quæ nunc nosse operę precium erit, vt mali comparatione bonum ipsum quanti faciendum sit magis patescat.

De malo somnolentiæ. Cap. 7.

CVius longior quàm natura postulat fuerit somnus, non solùm bene agendi tempus perdit, sed etiã ipse ad vitia promptior fit, dum corpori magis q̃ animo obsequium præstat. Rarò videbis eos qui somniculosi sunt, à luxuria libidinibusque abstinere. Cùm crapulati fuerint, graui sopore præmuntur, quos ronchizantes non facilius excites quàm sylvestres vrsos, aut vitulos marinos. Putas experrecti ad orationes procumbant, vel ad decantandos psalmos instent? ientacula

taculа conquirunt, prandia deinde parari iubent, & cũ hesternas perpotationes diu dormiendo vix edormierint, iam sese nouis ac recentibus ingurgitant. Ne tunc quidem vigilare putandi sunt cùm vigilant. Nam eo quoque tempore inerti veternosóq; stupore premi videntur, oscitant, hiatant, languentibus nictant ocellis, séque elatis lacertis ac pro lato pectore distentant, & nisi totam noctem dormierint, somnum à se fugisse lamentantur: tunc remedia quibus reuocetur disquirũt, iam papauer, iam lactucæ parantur, iam titillatio circa digitos volasq; pedum discurrit, seruis ibi pruritum excitantibus, vt dominus qui vsque manè soporem suũ continuare nequiuit, eo iam non interrupto ad meridiem duret. Atque istos tam effœminato otio assiduè torpẽtes de improuiso mors occupat. Neque enim diu viuere queunt qui multo somno dediti marcent, tument vultus lurido colore infecti, putrescentiáque viscera repentè inuadens valetudo dissoluere festinat, Et quoniam nulla his cura fuit sanctis actionibus inuigilare, quibus nixi in cœlum euolarent, peccatis prægrauati ad inferos descendunt. Quod sibi valde metuens propheta orabat, cùm diceret: Respice & exaudi me domine deus meus, illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus præualui aduersus eum. Profectò nisi inimicus præualeret, id est, nisi periculũ esset dormientibus, ne inimici huius dolis capiantur, sine causa dominus discipulos increpuisset, cũ dixit: Sic nõ potuistis vna hora vigilare mecum? Quare autem illos vigilare vellet, cõtinuò palam fecit, dicens: Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Huiuscemodi quidem periculi testis est etiam parabola illa, in qua legitur: Cùm dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminauit zizania in medio tritici. Et illa altera: Si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique,

Matt. 26.
Matt. 13.
Matt. 14.

& non sineret perfodi domum suam. Inimicus igitur noster & fur diabolus est. Somnolentis & otio vacantibus magis insidiantur, quia minus prouidi sunt ad cauendum, facileq; ad omnes voluptatum illecebras inclinantur. Qui certè si capti & irretiti fuerint, tunc demum intelligent, quam malè dormierint, cum villicationis suæ reddere rationem compellẽtur. Datum quippe sibi tempus ad pœnitendum, ac bene agendum, inutiliter imo & nequiter consumpsere. Nihil de futura vita cogitantes, dum pręsentem in delicijs corporis dormiendo lasciuiendo que transigunt.

De somniis. Cap. 8.

DE istorum numero etiam illos esse dixerim, quos vanæ somniorum suorum imagines quasi futurĩ diuinæ ita delectant, vt quotidie visa enarrẽt & si quando sequatur euẽtus, vera se vidisse iactitent, veluti digni quibus cœlestis prouidentiæ mysteria pandantur, cùm magis illis conueniat, in Prouerbiis dictũ:
Eccl. 34. Quasi qui apprehendit vmbram & persequitur ventum: sic & qui attendit ad visa mendacia. Neq; tamen imus inficias quandoque per somnium vera nunciari.
Gene. 20. Nam vt obiter aliquid ea de re dicamus: Iacob duodecim tribuum pater, cùm obdormisset, vidit cœlestem scalam, angelosq; ascendentes & descendentes, & à domino audiuit, terræ in qua dormiret, se possessorẽ fore, semenque suum per orbem esse propagandum. Hoc
Gene. 37. in Genesi legimus, & ibidem de Iosepho eius filio, cuius somnio cognitum est, ipsum patri matrique ac fratribus honorabilem futurum manipulorum & stellarum quæ vidit, solis quoque & lunæ argumẽto. Ab his enim
Gene. 40. per quietem se adoratum dixerat. Idem Ioseph magistri pincernarũ Pharaonis & pistorum præpositi, cum quibus tunc in carcere erat, somnia interpretatus est; diuersæ quidem sortis, sed certissimi euentus, ac nihil prorsus

prorsus ab interpretationis sentẽtia discrepantis, Prę-
terea in Iudicum libro Gedeonis victoria aduersum Iudic.7.
Madianitas, antè per nocturnam imaginẽ fuit vulgata
quàm euenisset, quodam somniante quòd hordeaceus
panis castra Madianitarum suo ictu subuertisset. Re-
gum quoque historia testatur Salomoni dormienti ap
paruisse dominum, fuisseq́; locutum, & sicut petierat,
rerum scientiam ac sapientiam contulisse. Somnio fi-
dem fecit euentus. Nam eum sapientissimum inter re-
ges fuisse satis constat. Danielis etiam somnia de ven- Danie.7.
tis pugnantibus ac bestiis de mari ascendentibus, & a-
liis quæ legũtur, nisi futuræ veritatis signa extitissent
ne scripta quidẽ in voluminibus diuinis fuissent. Ve-
niamus ad euangelium: Magi ne ad Herodem reuerte- Matth.2.
rentur somnio admoniti, capitis periculum euaserunt.
Iosephus in somnis accepto responso, cum puero Iesu &
matre eius virgine fugit in Aegyptum, vt ipsum Iesum
neci subtraheret, qua Herodes ipsum solũm quæritãs,
aduersus insontem multorum infantiam erat sæuitu-
rus. Ad hæc non pauca in sanctorum vitis relata legi-
mus, quibus credere compellimur, per quietem sæpenu
mero quæ vera sunt reuelari: cùm præsertim ipse do-
minus (vt in numeris scriptum est) dicat: Si quis fuerit Num.12.
inter vos propheta domini, in visione apparebo ei, vel
per somnium loquar ad illum. Sunt tamen quædã, quæ
per dæmonum illusiones accidunt, vana atque falla-
cia, veris tamen interdum mixta vt credantur. Dęmo-
nis enim calliditas quo animo falsum aliquid suadet,
eodem & verum reuelat vtique vt nimium credulos,
& iam sibi liberè confidentes facilius euertat, atque in
foueam alicuius mortiferi erroris pręcipitet incautos.
Prudentia igitur opus est ad deuitandos dolos, quos il-
le veterator nobis dormientibus per ipsa somniorum
phantasmata struere consueuit. Minimũ itaque erit ei
credendum, qui perpetuus humani generis aduersarius

esse noscitur. Quicquid ille quocunque modo suggesserit, nisi virtute diuina compulsus suggerat, non veritatem, sed laqueos esse certò scias. Tunc etiã magis erit cauendum, cùm se ostenderit amicum, & palpare animum blanditiis cœperit. Illa verò insomnia, quæ vel ab aliqua animi passione, vel corporis morbo, vel negotiorum cura, vel diurna verborum vltrò citróque habitorum contentione prouenire solent, semper vana futiliáque sunt, & nulla prorsus fide digna. Quod si quid ita vt somniatum est euenerit, nõ somnio credas, sed cuidam præsagæ mentis diuinationi. Fieri enim non potest, quin aliquando ita contingat, vt futurum prædicimus. Porrò visa illa, quæ diuinitus immittuntur, quamuis verissima semper sint, non tamen omnibus æquè accidunt. Bonis quippe ad consolationem, malis ad terrorem. Bonorum sunt illa quæ præmisimus, malorum autẽ ista quæ dicemus: Pharao rex cùm
Gene.41. dormiret, boues vidit septẽ crassas, & totidẽ alias macilentas, eodemq; numero triticeas spicas, alias turgẽtibus aristis plenas, alias effœtas, exiles, ac prorsus vanas, & quemadmodum ista differens Ioseph sanctitate
Danie.2. notus prædixerat, septennem annonæ copiam, septennis fames est subsecuta. Nabuchodonosori quoque regis dirum ac triste somnium, siue statuam quam vidit,
Danie.4. consideres, vario metallo compactam, siue arborem supra modum proceram, atque amplam, vtroque enim somnio Daniele interpretante didicit, futuram regni cladem, & suimet qui felicissimus putabatur, extre-
Matt.27. mam miseriam. Pilati etiam vxor in euangelio multa per visum se passam conqueritur propter Christum, & marito vt missum illum faceret, nititur persuadere. Hoc quoque obseruandum, quod iniqui insomniorum suorum quid portendant ignari, à sanctis interpretationem accipiunt, vt Pharao à Iosepho, & Nabuchodonosor à Daniele. Vnde apparet, somnia ista quæ diuino

diuino fiunt consilio,& impiis obiici quandoque, sed non nisi electis dei seruis reuelari. Taceant igitur peccatores,ad quos non pertinet iudicium somniorũ, aut eos ad quos pertinet interrogent,ne per viam nõ suam incedentes,præsumptione labantur. Vt autem nobis quoque spiritu sancto largiente interpretandi donetur facultas,minus temporis demus somno vt plus concedamus virtuti. Id si fecerimus,ne tunc quidem cùm dormimus,quod terreat somniabimus,sed quod consoletur,quodque euigilantibus quoque gratum sit.

De oratione fructuosa. Cap. 9.

SAnctarum vigiliarum propria est quam deo offerimus,oratio. Opportunè igitur nunc de illa differemus. Ad Philippenses scribens Apostolus. Nihil soliciti sitis, inquit,sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud deum. In quo mihi quidem videtur docere,vt oremus eum qui potest dare quod petimus,obsecremus autem per ea,quæ illi quẽ oramus, chara esse nouimus,vt facilius ad præstandum id quod poscimus inclinetur,& cùm præstiterit,gratias agamus,ne impetrata ingratitudinis vitio amittamus. Habes orationis formam,disce qualiter te habere oporteat inter orandum,secessum pete,ne quid oranti impedimento sit. Intra in cubiculum tuum,saluator ait, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito. Sed is etiã clauso precatur ostio,qui sensibus à rerum fragilium cura sequestratis,& mente & corpore in illum dirigitur cui supplicat. Qui sic se habent,etiam cùm in conuentu multorũ orauerint,in abscondito orare putandi sunt. Priuatæ tamen orationi semper magis apta est solitudo. Nam & dominus noster,vt se nobis imitandum proponeret,dimissa turba (sicut euangelista ait) ascendit in montem solus orare. Hac profectò de causa à suis

Philip. 4.

Matt. 6.

Matt. 14.

etiam discipulis quandoque se submouit, vt cùm dice-
Matth.26. ret: Sedete hîc donec vadam illuc & orem. Et sicut Lu
Lucæ 22. cas ait, auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis. Lo-
cus igitur ab omni strepitu vacuus, si fieri potest, eligatur offerendæ deo præcationi, vt purior syncerior'que offeratur. Deinde cùm cogitaueris, quàm potens, quàm immensus sit, quem allocuturus es, quàm ediuersò tu vilis atque abiectus, humiliter quantum potes accede, suspirans, ingemiscens, lachrymas etiam si potes fundens, illum'que imitare publicanum, qui stans à longe, vultu in terram deiecto, pectus percutiebat suum. Pec-
Lucæ 18. catorum quippe conscius non est ausus propius accedere, non oculos in cœlum subleuare, & vt à se pœnã exigeret, à pectoris verberatione non cessauit. Verum ne quis vel dignitate præditus, vel à deo iam gloriam consecutus, minus se submittat, ad scripturarum testimonia animum applicet, & videbit Salomonem regem in
3.Reg.8. dedicatione templi fixis in terra genibus & manibus
Daniel.9. ad cœlum expansis, deprecantem. Audiet Danielẽ prophetam dicentem: Posui faciem meam ad dominum deum meum, rogare & deprecari in ieiuniis, sacco & cinere. Inde transiens ad euangelium, considerabit vas
Ephe.3. electionis Paulum apostolũ, qui ait: Curuo genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi. Ipsum quoque Christum dominum contemplabitur quo nemo sanctior, nemo magnificentior, modò prono corpore in faciem procumbentem, modò erecto in cœlum suspicientem, & modò positis genibus orãtem, non quòd illi nostris humiliationibus opus esset, sed quòd nos illius indigeremus exemplo. Porrò quoties peccatis, quæ à nobis commissa sunt, ignosci petimus, antè illis à quibus
Mar.11. iniuriam accepimus, ignoscamus. Ipsius enim domini præceptum est: Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos

non

non dimiseritis, nec pater vester qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra. Et Apostolus: Volo, inquit, viros orare in omni loco, leuātes puras manus sine ira & disceptatione. Quomodo enim tibi placatum iri deū speras, nisi prius ipse placatus fueris proximo tuo? Tu deum quem semper summè reuereri debebas, offendisti: alius te, qui homo es, non deus: creatura, non creator: peccator, nō iustus: & licet ille qui læsit, lædere nō debuerit, tu tamen lædi merebare, quid enim mali nō meretur is qui deo peccat? & si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus & veritas in nobis non est. Nunc considera quàm iustè poscas tibi ignosci, qui deo deliqueris, cùm tu homini nō vis ignoscere, qui deliquit tibi. Post remissam autem omnem iniuriam, accede ad offerendas preces, non frigidè sed ardenter: non remissè, sed perseueranter. Attende quid Ieremias propheta monendo dicat: Leuemus, inquit, corda nostra cum manibus ad dominum in cœlos. Quod & apostolus docet, dicens: Orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente. vt videlicet & lingua sermonem resonet, & mens circa ea quæ dicuntur, intenta sit. Parum diligens est precator, qui aliò verba, aliò cogitationes dirigit, & cū corpore in ecclesia sit, animo vagatur foras per vrbis loca, vel secessus ruris. Quando hic cum Apostolo dicere poterit: Conuersatio nostra in cœlis est, si ne ibi quidem vbi est, se esse noscit? Nec semel orasse sufficit, instandum est vt impetres quod postulas. Eædem preces frequenter replicandæ, & in his quæ ad animæ salutem pertinent, vsque ad finem est perseuerandum, dicente ipso qui saluat: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Chananæa mulier cùm domino supplicasset, repulsa non recessit, cōtempta magis se submisit, & quoniā

Timot. 2. 1. Ioh. 1. Thre. 3. 1. Cor. 14. Matt. 15. Lucæ 18.

niam humiliter orando perseuerauit, quod popoſcerat, accipere meruit. Hanc rogandi aſsiduitatem commendat etiam parabola illa de muliere vidua, quæ durum & faſtidioſum iudicem petendi improbitate, vt ipſam de aduerſarij iniuria vindicaret, compulit: & illa alia parabola de homine qui nocte intempeſta pulſando amici ianuam, & clamitando dormientem excitauit, excitatum ſurgere coëgit, & panes quotquot volebat ſibi commodare. Dominus præterea cùm futuri iudicij terrores prædicendo explicuiſſet, adiecit: Vigilate itaq; omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia, & ſtare ante filium hominis. Deniq; quod verbis docuit, opere confirmauit, ter enim eaſdē preces repetiſſe dicitur, & factus in agonia oraſſe prolixius, multum'q; ſudaſſe dum oraret, vt diſcas, etiam cùm multum oraueris, non remittere cordis affectum quem non ſolùm cùm rogamus q̄q̄ tunc magis, verum etiam cùm non rogamus nos habere neceſſe eſt, vt impleatur quod Apoſtolus ait: Sine intermiſsione orate. Poſt glorioſam domini aſcenſionem de ipſis eius apoſtolis traditum eſt, quòd perſeuerãtes erant in oratione cum mulieribus & Maria matre Ieſu & fratribus eius. Et ſi Apoſtolis opus erat iugi orationũ ſacrificio, quis tutum ſe à tẽtationum periculo ſperabit, niſi ſemper orauerit? Hoc quoque roganti neceſſarium, vt nũquam de dei miſericordia diffidat, ſed ſemper ſe impetraturum ſperet quod petit, ſi modò illud fuerit ſibi, vel ei pro quo petit, profuturum. Omnia, inquit, quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & eueniet vobis. Malè tamẽ id credit, qui veritati quę Chriſtus eſt, non adhæret, eodem dicente: Veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate. Et vt oſtenderet quare ſic adorandus eſſet, Spiritus, inquit, eſt deus: & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Hoc ſpiritus afflatus Dauid, in eandem

Lucæ 11. Lucæ 22. 1. Theſſ. 5. Actu. 1. Mar. 11. Iohan. 14.

dem sententiam prorupit, dicens: Propè est dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Frustra igitur hæretici precibus insistunt, frustra omnes illi qui Christi religionem veritatis fide non sequuntur, nunquam futuræ salutis quàm orant, compotes erunt, nisi crediderint. Ad hæc si precatione poposceremus rem aliquam, cuius incertus est exitus, id est, qua impetrata nescimus, vtrum commodo an incommodo nobis futura sit, dei voluntati committamus: vt non quod ipsi cupimus præstet, sed quod ille nouit, neque noxium neque inutile fore, quia redemptor quoque noster, cùm passionis calicem transferri à se patrem rogasset, ita orationem clausit, vt diceret: Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat: non quòd ipse nesciret crucem, quam subiturus erat, omnium credentium fore salutem, sed quòd instruere nos vellet, vt semper voluntati nostræ præferamus dei voluntatem. Vnde ab eodem edocti, quotidie orando dicimus: Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Cæterum cùm eius voluntas sit, vt piè iustéque viuamus, hoc quoque his verbis poscimus, vt leges atque præcepta quæ dedit nobis, per nos impleantur. Frustra enim imbecillitas nostra ad id niteretur, nisi illam gratia iuuaret diuina. Et si per se bonum aliquod agere possemus, necesse non esset orare vt possimus. Charitas præterea, quam omnibus debemus, exigit vt sicut pro nostris, ita & pro his preces offeramus deo, votáque faciamus. Iacobi apostoli sententia est: Orate pro inuicem vt saluemini. Paulus quoque apostolus hortatur, dicens: Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Denique dominus noster etiam pro persecu-

Psal. 144. Lucæ 22. Iaco. 5. 1. Tim. 2.

ſecutoribus nos orare iuſsit,& ipſemet pro illis,à quibus probra,maledicta,verbera,& in crucem actus mortiferas plagas patiebatur,orauit patrem, ignoſciq́; eis poſtulauit. Quanti autem id meriti ſit,primus martyr
Actu.7. Stephanus oſtendit,qui iis à quibus lapidabatur veniã precaturus,vidit cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis dei,ab eodem vtiq; iamiam ſuſcipiendus,cuius in diligendis inimicis mãſuetudinem fuerat imitatus. Quò autem facilius ad aſſequendam beatitudinem voti noſtri compotes ſimus,expediet quidẽ eos etiam quos deo chariſsimos eſſe conſtat, vt pro nobis deprecentur obſecrare, vt quod ipſi non meremur,illorum qui digni ſunt ſuffragiis obtineamus. Ita feciſſe
Ioh.12. gentiles quoſdam in euangelio Iohannis legimus. Cupiditate enim affecti videndi Ieſum,rogauerunt Philippum, Philippus Andream,ambo dominum:quid ſecutum ſit,euangeliſta nõ explicat. Non tamen dubito, quin ipſe dominus per apoſtolos exoratus hoc conceſſerit,quod fortaſſe iis tacentibus vel non conceſsiſſet, vel concedere diſtuliſſet. Sanctos ergo in auxilium no-
Pſal.33. bis inuocemus,quia in pſalmo eſt ſcriptum: Oculi do-
Iacobi 5. mini ſuper iuſtos,& aures eius in preces eorum. Et Iacobus apoſtolus: Multum valet,inquit,deprecatio iuſti
Exod.17. aſsidua. Plus potuit vnius Moyſi oratio,quàm multorum arma. Illo namque orante victæ ſunt inimicorum
3.Reg.17. copiæ,quo tacente ſuperabant. Ad Eliæ prophetę preces cœlum dedit pluuiam & terra fructum,cùm trium annorum & ſex menſium ſiccitate cuncta in agris exa-
4.Reg.4. ruiſſent. Idem viduæ Sareptanę inopiam farinæ oleiq́; copia exuberare fecit,filioq́ue eius mortuo,cùm oraſ-
Ibidem. ſet,vitam inſtaurauit. Eliſeus quoque deum precatus viginti hordeaceis panibus centum virorum famem ſa-
4.Reg.5. turauit,ita vt etiam reliquiæ ſuperfuerint. Deinde Sunamitidi hoſpite diu ſterili prolem à domino exorauit,& qui natus fuerat, puerum vita defunctum reui-

uiſcere

niſcere fecit, poſtremò Naamam Syrum lępræ morbo laborantem ſanitati reſtituit, nec terrenis corporibus modò, verumetiam cœleſtibus iuſti atquè fidelis hominis præualet oratio. Ioſue Iſraëlitici exercitus dux Ioſue 10. oblatis deo precibus ſolem & lunam ſtare compulit, donec inimicos ad fugam conuerſos perſecutus internicione deleret. Pro Ezechia rege ſupplicante angelus 4. Reg. 9. è cœlo delapſus pugnauit, & Aſſyrios qui ipſum obſederant, cõcidit: centumoctoginta quinque milia virorum vna nocte fuere deſiderata. Nullus vnquam exercitus tam feliciter armis conflixit, quàm eo tempore ſua ſolus Ezechias oratione. Sed etiam quando graui 4. Reg. 20. morbo affectus ſe moriturum audiſſet, longiora vitæ ſpatia oranti quindecim anni additi ſunt. Longũ eſſet referre veteris nouæq́ue ſcripturæ miracula, percurrendo quando quanta vis atque virtus precum ſanctarum ſit, quot mortuos ipſi etiam Chriſti diſcipuli ſuſcitarint, quot cęcis viſum, quot claudis greſſum, quot incurabili ægritudine oppreſsis priſtinã reſtituerint ſanitatem. Audi inſuper quid ipſa veritas dicat: Omnia, inquit, poſsibilia ſunt credenti, & omnia quæcunque Matth. 11. petieritis in oratione credentes accipietis. Et alibi: Quodcũque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. Iohan. 14. Et iterum: Si quid petieritis patrem in nomine Iohan. 17. meo, dabit vobis. Quid ais Iudæe? quid tu Mahumetane? quid vos omnes qui in Chriſtũ non creditis, nónne incaſſum cœleſte bonum ſperatis, quia illud in nomine Chriſti non petitis? Non enim poteſtis in eius nomine petere, quem non recipitis fide, quem dei filium eſſe negati[illegible]uis autem fidelibus ille ait: Si manſeritis Iohan. 15. in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. Manemus in Chriſto cùm credimus, manent in nobis verba Chriſti, cùm ea operibus comprobamus. Hoc ſi pręſtabimus, nubes cœloſq́ue penetrabit oratio, & illi beati ſpiritus qui To-

bia

Tob.12. biæ preces offerebant domino, etiam nostras offerre cu-
Apoc.8. rabunt. Et sicut in Apocalypsi scriptum est: Fumus incensorum de orationibus sanctorum ascendit coram deo de manu angeli, ita & nostræ orationes ascendent. Neque vlli dubium esse potest, quin ille cuncta quæ petierit à domino impetraturus sit, cuius internuntij spiritus ipsi angelici esse non dedignantur. Neque enim hoc ideo permittit omnium præscius, & semper vbique præsens deus, quòd indigeat vt hominum opera orationesque ad se perferantur: sed vt per angelorum officium suam erga pios promptosque peccatores beneuolentiam testetur. Amare se plurimum eos ostendit, quos talibus vti concedit ministris. Quibus certè si digni fuerimus, hoc est, si quemadmodum oportet, orauerimus, præterita peccata condonabuntur, præsentia repellentur, futura facilè vitari poterunt, ipsa animi virtus roborabitur, caro obediet spiritui, & superatis diaboli tentamentis, bonorum operum fructus cumulabitur. Reliquum erit, vt re bene gesta hinc decedentes à domino coronemur. Sed iam de illis quoque pauca dicamus, quorum preces vel nullius vel minimi momenti sunt, vt simul discamus, nos eorum dissimillimos esse oportere, si diuinum nobis fauorem precum laudumque cultu cupimus conciliare.

De oratione infructuosa. Cap. 10.

NE supplicationibus nostris propitietur deus peccata obstant. In Ieremia scriptum est: Opposuisti
Thre.3. nubem, ne transiret oratio. Vnde idem propheta
Ibidem. sub persona plebis peccatricis coram deo quæritur & ait: Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus, idcirco tu inexorabilis es. Nisi enim omnium prorsus delictorum quæ commisimus, nos pœnituerit, & de omnibus pariter dolore mœroreque satisfacere stu-

studuerimus, frustra procumbimus ad orandum. Nimium impudens est, qui vel vna in re offendere nō cessat, & ab eo quem offendit, orat gratiam. Quid supplicando atque obsecrando placare deum tibi iratum speras, & à luxuria non discedis, & fornicari non desinis? vel aliud quod legi diuinæ aduersatur, agere non omittis? De istiusmodi supplicatoribus lamentatur in euāgelio saluator noster, dicens: Quid vocatis me domine domine, & non facitis quæ dico? Quod si fortè contigerit, vt per inuocationem diuini nominis miraculum aliquod efficias, noli propterea credere deū tibi reconciliatum, si in delicto perseueras, nō tuo merito id conceditur, sed necessitati aliorum. Multi, inquit, dicent mihi in illa die, domine domine nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Tunc te nosse incipiet, cùm ab eo scelere, in quo nunc obstinatus perduras, abstinere decreueris, tunc & gratiam conferet vt abstineas, & cum pro tua oraueris salute, voti compos vt efficiare præstabit. Intantum autem obstinatorū non acceptat orationem, vt etiam pro eis orare vetet, præsertim si incorrecti impœnitentesq; decesserint, quod Iohannes apostolus in epistola testatur, dicens: Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Ipse quoque dominus Iudæorum pertinaciæ iratus, ad Ieremiam prophetam loquens ait: Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Timeant itaque horum verborum sententiā qui in peccato persistere non timent. Quod si in scelere perseueraturum aliquem constaret, nemo fidelis pro salute illius orare auderet, nisi sibi licere arroganter crederet, quod non licuit prophetæ. Nos verò ideo etiam pro obstinatissimis

Lucæ 6. Matth. 7. 1. Iohan. 5. Ierem. 7.

mis rogamus, quia nescij futurorum speramus ad pœnitentiam redituros. Certum est tamen cassas vanasq; esse preces, per quas aliis id postulatur quod non merentur accipere. Illorum etiam inefficax & inutilis erit deprecatio, qui lingua quidem mansuetudinem atque humilitatem præferunt dum deo supplicant, & in corde aduersus proximum odij facibus ardent. A deo diligi volunt, & homini ad imaginem dei facto, Christi sanguine redempto, infensi sunt. Audi quid præci-
Matt. 5. piat dominus: Si offers, inquit, munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuũ ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Quamobrem nisi remiseris omnem offensam, nisi recõciliatus fueris, nisi eum etiam qui aduersum te indignatur, quantum potes, placaueris, curam non solùm tuæ, sed etiã alienæ salutis gerens, non poteris munus orationis offerre domino. Nõ enim exaudiet te, nisi charitatem quã omnibus debes, viderit in te. Illius quoque reproba in primis habetur oratio, qui quicquid petierit, non eo tendit, vt deo placeat. Nam siue pro corporis valetudine, siue pro rebus vitæ necessariis, aut pro quauis alia re orabimus, semper ea fine orandum erit, vt commodius ei, qui bona omnia tribuit seruiatur. Sed auari ideo orant, vt terrena bona lucrentur, ideo gloriæ cupidi vt ab hominibus laudentur. Quare ad primos certè pertinet quod in Euãgelio dicitur: Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritę, qui comeditis domos viduarum, orationes lõgas oran-
Matt. 25. tes, propter hoc amplius accipietis iudicium. Nõ enim solùm pro auaritiæ crimine punientur, sed & pro sanctimoniæ simulatione. Secundos imitari dominus prohibet, dicens: Cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ qui amant in synagogis & in angulis platearum stan-
Matth. 6. tes orare, vt videantur ab hominibus; Amen dico vobis

bis, receperunt mercedem suam. Non ergo recepturi sunt dei gloriam, quam orando nõ expetunt, cùm iam receperint gloriam hominum, quam concupierant. Vtuntur & hi quidem dominica oratione, sanctorum psalmis precibusq́ue ab ecclesia constitutis, dominus tamen non attendit verba, sed animũ intentionemq́ue orãtis, & magis irritatur quàm placatur, cùm id quod bonum est, proposito vsurpatur non bono. Tale quippe facinus & Ieremias deuouet, dicens: Maledictus qui facit opus domini fraudulenter. Cùm ergo hic quoque fraudulenter agat, qui orandi studium ad laudem dei institutum, ad suam vertere nititur, erit vtique maledictus: & dum vulgi plausum captat, videri nõ esse sanctus cupiens, nisi pœnitentiam egerit, non effugiet pœnam, dicente propheta: Deus dissipauit ossa eorũ, qui hominibus placent. Præterea neque eorum ad impetrandam gratiam proficit supplicatio, qui quãuis benefecerint, iactanter tamen facta sua prædicant, cùm teste conscientia contenti esse deberent, & quicquid laudabiliter egissent, non sibi, sed deo tribuere. Talis fuit Pharisæus ille, qui ingressus templum vt oraret, deprimere aliorum mores cœpit, suos verò insolenter efferre: Deus gratias tibi ago, inquit, quia non sum sicut cæteri homines raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus, ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Si ista quæ faciebat, ad dei laudem non ad suam dixisset, nec se cæteris prætulisset, non peccasset, sed & se gloriari voluit, & alios petulanter incessere, & præcipuè publicanum tunc eodem loco, sed multò submissius orãtem. Ideo peccatoris humilitas meruit veniam, iusti superbia damnationem, domino de vtroque sententiam ferente, cùm diceret: Amen dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam præ illo. Quòd si tantùm potest humilitas adhibita peccato, quanto plus poterit innocentiæ probeq́;

Iere. 48.

Psal. 52.

Lucæ 18.

factis copulata? Sunt qui nimis negligenter orant, summis labijs verba murmurant, nec satis quid dicant, attendunt, non dissimiles illis qui per quietem somniantes loquuntur, quos per Isaiam arguens dominus,
Isaiæ.29. Matt.15. ait: Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Tales certè si exaudiret, non reprehenderet. Et quoniam inter orandum semetipsos non intelligunt, faciunt vt nec à deo intelligantur. Qualem igitur affectum orandi habent, talem & fructum suæ orationis referunt. Ex his (vt equidem reor) erat ille, cui in Apocalypsi deum audimus loquentem: Vtinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Frigus timoris est, calor ad amorem refertur, tepiditas autem desidiæ otioque tribuitur. Otiosi igitur & terrena magis quàm cœlestia curantis deprecatio, quoniã neque satis timet, neque satis amat, tantum abest vt quicquam impetret, vt etiã (si fas est dicere) nauseam ei faciat quem precatur. Cùm enim admodum somniculosè roget, illud quod petit, cõtemnere potius quàm desiderare videtur. Nam si magnipenderet quod poscit, enixè in primis ardenterque instaret, diceretque cum propheta: Clamaui in toto corde meo, exaudi me domine. Qui sic non clamant, non facilè exaudiuntur. Nonnulli verò satis cupidè orant, sed fide dubia adhuc atque nutanti, veluti ille in euangelio, qui filium secum attulit ad Iesum, vt à vexatione liberaretur, &
Marci 9. ait: Si quid potes, adiuua nos misertus nostri. Quandiu suspenso animo fuit, possit ne id sibi à domino præstari, quod rogabat non accepit. Postquam autem firma stabilique fide opus esse ad impetrãdum didicit, & se iam verè credere nihilque de domini virtute dubitare respõdit, filium pro quo orabat sanum recipit. Hanc dubiæ & fidelis postulationis inter se distantiam Iaco. apo. verba satis declarant, vbi ait: Si quis indiget sapien-

pientia, postulet à deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circũfertur. Non ergo æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à domino. Ex his igitur quæ diximus, perspicuum est, eos qui vel de religione quicquam dubitant, vel in peccato aliquo perdurant pro æterna salute, quam credentibus ac pœnitentibus promissam esse constat, orantes non exaudiri, quibus dicere posis, cum Iacobo apostolo: Petitis, & nõ Iacobi 3.
accipitis, eo quòd malè petatis. Quod quidem & eccle Psal. 17.
sia deo in psalmis loquens confitetur, cùm ait: Odientes me disperdidisti. Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad dominum, nec exaudiuit eos. Contraria his agamus oportet, si volumus vt petita nobis concedantur, vt videlicet ista per quæ precantium labor irritus efficitur, vitemus, & illa faciamus quæ nos cùm precamur, voti compotes reddunt. Quoties autem id quod orando poscimus, non euenerit, aut dilatum credamus vt aptiori detur tempore, aut nòn fuisse profuturum si datum esset, aut ne daretur peccata nostra obstitisse. Si verò ex sententia successerit petitio, gratias deo agamus, neq; quicquam nostris meritis, sed totum eius erga nos benignitati deputemus. De orandi ratione satis dictum sit: nunc vt confidentius ad orandum procedamus, de peccatorum pœnitentia, sine qua omnino placere non possumus, tractandum videtur.

De peccatorum pœnitentia. Cap. II.

POenitentia nos à peccatorum sordibus emundat, & pristinæ restituit puritati. Vnde læprosus in Euangelio Christum suppliciter adorãs, & curari cupiens, morbo liberatur. Lepra in scripturis pec- Matth. 9.
catum designat. Peccati ergo læpra domino iubente, ab animo pœnitẽtis fugatur, vt ibi virtutes inserãtur,

Matth.8. vnde vitia pullulabant. In huiusce rei figura & paralyticus de lecto surgit, & mulier à sanguinis profluuio curatur, & qui mortui erant reuiuiscunt, & alij multi varijs languoribus grauati eleuantur. Nam quemadmodum hi credendo & pœnitendo corporis consecuti sunt salutem, ita animæ fideles à peccatorum ægritudine per pœnitentiam liberatæ saluantur. Sic saluatus est Dauid, qui de adulterij homicidijq; crimine, quod

2.Reg.12. commiserat dolens: Peccaui, inquit, domino, & continuò peccatum sibi remissum esse meruit audire, & tũc

Psal.50. quidem ad altiora se extendens, clamauit: Cor mundum crea in me deus, & spiritũ rectum innoua in visceribus meis, vt impetrata delictorum venia spiritus sancti donum in ipso reparetur, per quod vitæ quoq; sanctitate possit proficere. Quod autem sceleri veniã impetret pœnitentia, etiam per Ezechielem prophetam

Ezec.18. dei verbis edocemur: Si impius, inquit, egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudiciũ & iustitiam, vita viuet, & nõ morietur, omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor, in iustitia sua quam operatus est, viuet. Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit dominus deus, & non vt conuertatur à viis suis & viuat? Et iterum: Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Pœnitentia igitur nitrum est & herba fullonum, quæ non corpora, sed animam nitidam reddit, & resina illa Galaad, quæ non carnis ægritudini, sed mentis medetur vitiis. Mens autem post peccatorum purgationem spiritu sancto fauẽte illuminatur, virtutumq; incenditur amore, ita vt ab iis quæ deo displicent penitus expiata, cogitare incipiat quæ sint illa, quibus ille plurimum oblectatur, cupiẽs eidem in omnibus obsequi, in omnibus semper fideliter seruire. Hæc est igitur gratia, quæ pœnitentibus datur, fidusque illud lu-

culen-

culentum, quod magos, cùm regem mundi natum quęrerent, præcessit, sed cùm itinere ad Herodem diuertissent, fulgor viæ salutaris index euanuit: vbi verò discessum est ab Herode, rursum idem lumen apparens, illos vsque ad dominum, quem quærebant, perduxit. Ergo diuinæ gratiæ mentem nostram irradians lux, latet & obscuratur, sed ad vitia diuertimus: cùm autem ab his per pœnitentiam recedimus, quàmprimum exoritur, & intelligentiam mundati cordis illustrat, vt ad contemplationem cœlestium erigatur, cui prius terrena tantùm curæ erant. Sic & cæcis visus, & surdis auditus, & vox mutis tribuitur in Euangelio: vt qui in tenebris peccati fuerunt, per pœnitentiam illuminentur: & qui dei præcepta audire nolebant, conuersi etiã perficere studeant: & qui docendi non ignari, sed otio dediti linguam compescuerant, iam alios ad capessendam virtutem hortando atque instruendo ora resoluant. Talibus ab Apostolo dicitur: Eratis aliquãdo tenebræ, nunc autem lux in domino. Vt filij lucis ambulate. Vnde idem peccatorem ad pœnitentiam solicitat, dicens: Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Cęterum, nisi prorsus omnium quę turpiter & iniquè perpetrauimus nos pœnituerit, lux ista in nobis locum non habebit. Non potest fulgere dies quandiu pars aliqua noctis remanet, neque syncerum esse frumentum, donec à minutissimis etiam paleolis & cunctis pulueris micis euentisatum non fuerit. Denique veluti cæcus ille, qui nondum satis credulus, visu recepto quasi per caliginem cernebat, videbanturque ei homines (vt Marcus ait) tanquam arborum effigies incedentium, deinde plena fide Christum suscipiens, iterumque ab ipso contactus, clarè videre cœpit omnia. Ita nunquam perfectè illuminari poterit, cuius non erit ex omni parte pœnitentia perfecta, de qua perfectione inferius, quantum dominus nostras quoq;

Ephe. 5.

Marci 8.

tenebras illustras dignabitur, dicemus. Interim reliqua pœnitentiæ bona cursim prosequamur. Post mentis illuminationem pœnitentia animi robur vires'que suppeditat ad insultus dæmonum reprimendos, carnis'q; vitanda blandimenta. Anima enim sicut peccatorum vinculis irretitur, ita pœnitentiæ ope opera'que soluitur ac liberatur, expedita intrat in domum fortis ipsa iam fortior, & quę antea diabolo ligata fuerat, nũc diabolum ligat, vas'que eius diripit, nihil in se relinquẽs, quod ille suum esse posſit dicere. Quãdiu autem serua peccati fuit, & domus & vas diaboli erat, postq̃ peccare desiit, & quod peccauerat pœnitendo deleuit, facta est domus orationis & vas iustitiæ, atque ita prępualuit aduersarij sui potentiæ suæ pœnitẽtiæ virtute. Ad hæc percurre veteris instrumẽti historias, & inuenies Hebræum populum propter peccata hostili potestati frequenter subiectum, propter pœnitentiam liberatum, propter peccata victos, propter pœnitentiam victoria potitos. Hoc Iudicum liber continet, hoc Regum gesta testantur. Sic Rhoboam, ne Aegyptij armis disperderetur, obtinuit, Sic Achab malum quod capiti suo mox incubiturum per prophetam didicerat, distulit ad postores, sic Iosaphat Ammonitas Idumeos'q; vicit & numero & armis impar, sic Ioram Assyriorum obsidione & Ioachan eorundem seruitute liberãtur. Ob hoc pro Ezechia stans angelus domini concidit Assyrios. Ob hoc Manasses Babylonio iugo erutus, regno quod amiserat restituitur. Ob hoc Iosias non vidit malum, quod vidisset, si delicti eum non pœnituisset. Eius pœnitentiæ merito, ne impœnitens quidem populus dei vindictam sensit, quãdiu ille vixit. Quinetiam pœnitentiæ tanta vis est, vt immutabilis dei mutare posse sententiam videatur. Post dies quadraginta subuertendam Niniuen Ionas à domino iussus prædixerat, & tamen Niniuitis in cilicio, cinere, atque ieiuniis pœnitẽtiam agen-

[Margin: Populus Israël. — Rhoboam. — Achab. — Iosaphat — Ioram — Ioachan — Ezechi. — Manasses — Iosias. — Niniuitæ — Ionæ 3.]

agentibus ignoscitur:& quoniam illi peccandi superbiam in pœnitendi humilitatem conuerterant, diuinum decretum reuocatur. Nec deum ipsum pudet figulo se comparare, vt in Ieremia legimus, qui vas luteum fingens, cùm rota currente fortè dissipasset, rursum illud in eandem faciem refecit:& ecce, inquit, sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israël. Repente loquar aduersum gentem & aduersum regnũ, vt eradicem & destruam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersum eam, & ego pœnitentiam agam super malo, quod cogitaui vt facerem ei, & subitò loquar de gente & regno, vt ædificem & plantem illud. Attendãt principes terræ ista, & si qua regni dispendia patiuntur, non fortunæ imputent, quæ nulla est, sed sibi qui deum offenderunt:& si in integrum restitui cupiunt, pœnitentiam agant, delinquentes corripiant, iustitiam seruent. Deus irasci desinet, si illi quibus nunc irascitur, correcti, sanctius viuere incipient: Alioqui penitus delendi, nisi se corrigant. Id testantur duorum regum diuersi exitus Pharaonis & Nabuchodonosor. Alter toties flagellatus duritiam cordis non dimisit, ideoque cum toto exercitu qui ipsum sequebatur, fluctibus obrutus, periit. Alter mẽte alienatus, vrbe eiectus, & cum brutis computatus, quia deum contempserat, inter aduersa animo resipiscens deo se submisit: & pœnitudine ductus, veniam ab eo petiit, quo miserante calamitatibus liberatus & in regno fuit receptus. Diuina igitur prouidentia cum pœnitentibus clemẽter ignoscit, tum in vitio pertinaces diu frustra puniens, iustè postremò disperdit, & quos temporali animaduersione ad emendationem vitæ compellere nequit, eos æternis pœnis afficiendos condemnat. Sicut autem deprauatæ mentis obstinatio sua grauitate hominem in abyssum deprimit ac pessundat, ita pœnitentia sua virtute sur-

Ierem. 18.

Pharao. Nabuchodonosor.

sum in sublime vsq; ad cœleste regnum euehit,& quod nihil est sublimius, deo coniungit. Hinc est quod salua-
Lucæ 13. tor in Euangelio ait: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Hoc regnum domus est illa, ad quam ouis à grege suo aberrans cùm inuenta fuerit, humeris reportatur pastoris, & fit gaudium in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, magis q supra nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Denique pœnitẽti in cruce latroni, Christumq;
Apoc. 22. confitenti, ab eodem responsum est: Hodie mecum eris in paradiso. Et in Apocalypsi beati dicuntur, qui lauãt stolas suas in sanguine agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent ciuitatem. Beati sunt qui peccatorum maculas lauant, sed eas in sanguine agni lauari oportet, quia pœnitentia nihil iuuaret, si Christi passio sub maledicto venũdatos nõ redemisset. Lauantur itaque in sanguine agni qui in Christum credentes eius misericordiam pœnitendo & sperando implorant, & eodem miserante, bonũ quod cupiunt, consequuntur. Neque enim nisi fideles forent, quos peccasse pœnitet, per portam, id est, per ipsum qui ait: Ego sum ostium ouium, ciuitatem illam, patriam beatorũ perpetuam atque perennem, ingredi potuisset. Quanta conferat nobis pœnitentia diximus, nunc qualis esse debeat, vt ea conferantur, dicemus.

Qualem oportet esse pœnitentiam. Cap. 12.

EX arbitrij libertate proficiscatur oportet, quicquid operis vel pœnam meretur, vel præmium. Pœnitentia igitur nisi voluntaria fuerit dei ad-
Matt. 21. uersus peccatorem iram placare non poterit. Libertas ista in illa duorum filiorum parabola manifesto apparet, qui à patre iussi, vt vineam cultum irent, alter ne-

gauit

gauit se iturum,& pœnitentia motus,iuit:alter iubenti quidē assensit,sed mutato proposito ire noluit. Paruo momento vtriusque in contrarium reuoluta est voluntas. Is tamē patris imperium peregisse dicitur,quē nolle obedire pœnituit,& quod antè noluerat,rursum voluit,sua'que sponte fecit, quod liberum erat facere nolle. Hoc si inuitus fecisset,inter non obedientes habendus esset,nō enim pro eo quod quis nolens,sed pro eo quod volens benefacit,laudem meretur atque gloriam. Voluntas ergo vt bene de deo mereri posit,libera ad pœnitentiam agendam accedat,non coacta, non vi aliqua compulsa. Deinde voluntariæ pœnitentiæ iungenda est submissæ mentis humilitas. Ille qui à patre recedendo peccauerat,veniam petendo,dixit: Non sum dignus vocari filius tuus,fac me sicut vnū de mercenariis tuis,ideo æquari fratri qui non deliquerat,vel etiam præferri meruit. Et publicanus dum cernuus orat,indignum'que se iudicat in cœlum suspicere,Christo testante,rediit iustificatus,cœli ciuis futurus, qui peccati seruus fuerat. Sed si ne iustus quidem,nisi se humiliauerit,exaudietur,quanto minus peccator veniam impetrare poterit,nisi simul & pœniteat & humilietur? Hoc ipsum dominus à nobis exigens,clamat: Conuertimini ad me in toto corde vestro,in ieiunio,& fletu,& planctu,& scindite corda vestra,& non vestimenta vestra. Cor autem humiliatum,& intus pœnitentiæ dolore scissum,lachrymæ (si fieri potest) foris per ora manantes testentur. Mulieri peccatrici in Euangelio dimittuntur peccata multa,quia dilexit multum. Sed dilectionis huius testes lachrymæ erant, quibus pedes domini rigauit:capilli,quibus rigatos tersit:labia,quibus tersos osculatus est:vnguentum,quo illos post oscula vnxit. Mœror,humilitas,amor, simul mixta erant, omnium tamen causa fuerat amor,quo cōcupiuit cum ipso in gratiam redire,quem offenderat. Petrus quo'q; apo-

[Margin: Lucæ.15. — Idem.15. — Iohel.2. — Lucæ.7. — Matt.26.]

apoſtolus negationis crimen fletibus diluit amaris, & qui ante lachrymas domino infidus extiterat, poſt lachrymas regni cœleſtis claues ipſo tradente accipere meruit. Ad eiuſmodi fletum Iacobus apoſtolus nos inuitat, dicens: Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo, miſeri eſtote, & lugete, & plorate, riſus veſter in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. Humiliamini in conſpectu domini, & exaltabit vos. Per hoc quod in fine ſubiunxit, docet pœnitentis lachrymas æterna conſolatione eſſe dignas. Eadem Pauli ſententia eſt, vbi ait: Quæ ſecundum deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Triſtitiam verò iſtam atque fletum, ne leuitatis eſſe videātur, vitæ auſterioris obſeruatio comitari debet, vt quod per voluptatum illecebras peccatum eſt, per corporis afflictionem purgetur. Intrate, inquit dominus, per anguſtam portam, quia anguſta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam. Quòd ſi per viam iſtam ſanctos & pios homines cœlum aſcendiſſe credimus, quomodo qui peccauerunt id aſſequi poſſe ſperant, niſi & ipſi per eam inceſſerint? Iob iuſtus nullius mortiferi delicti conſcius, & qui ſummi dei verbis laudatus fuerat, præter illa quæ ad patientiæ probationem pertulit, ſaccum conſui, inquit, ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam, facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ calligauerunt. Daniel inter prophetas egregius habitus eſt, viſionum ſomniorúmque intelligentia donatus eſt, puer adhuc ſenes iudicauit, & tamen ego Daniel, inquit, lugebam trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, ſed neq; vnguento vnctus ſum. Quid de Iohanne Baptiſta dicam? in matris vtero ſanctificatus, de muliere genitus prælatus, plus quàm propheta habitus, deſerti anguſtias volens patitur, pilis camelorum veſtitur, zona pellicea præ-

Iacobi 4.

2. Cor. 7.

Matth. 7.

Dan. 10.

Iohannes Baptiſta.

præcingitur,& in tam vili habitu vilius nutritur, locuſtas & mel ſylueſtre comedens & aquam bibens, à vino autem & ſicera ſe abſtinens. Si ergo electorum dei talis in terra vita fuit nullius penè culpæ conſciorum, quos labores, quas vigilias, quæ ieiunia, quas aſperitates, nobis tot criminum inquinatione fœdatis non vltrò ſubeundas dixerim, vt mundemur? Veruntamen quorum durioris vitæ rigorem ſponte ſuſceptum imitari propoſuerimus, eorum ſequi debemus & mores. Fruſtra enim aliquis corpus exterius fatigationibus exercet, ſi mens intus non ſe omnino diſponat, ita vitio abſtinere, vt etiam diligenter incumbat ſtudio virtutum. Ideo dictum eſt: Facite fructum dignum pœnitentiæ, quia maximè pœnitentibus conuenit, vt dimiſsis flagitiis, bene beatéque viuendi exercitationibus operam impendant, vt videlicet ſuperbiam excludat humilitas, libidinem caſtitas, auaritiam liberalitas, crapulam abſtinentia, otium labor, dolum ſimplicitas, odium charitas, & quicquid culpabile fuerat, contraria probitas compenſet. Atque ita in cubilibus (vt Iſaias ait) in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & iunci, & erit ibi ſemita, & via ſancta vocabitur. Hoc eſt quod Apoſtolus nobis ſuadet, vt deponamus veterem hominem, qui corrumpitur per deſideria erroris, & induamus nouum, qui ſecundum deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Hac tali negotiatione talenta nobis credita duplicantur, & qui ſuper pauca fidelis fuerit, ſuper multa conſtitutus intrabit in gaudium domini ſui. Super omnia verò cauendum eſt, nedum pœnitentiam mirè procraſtinamus, pœnitentiæ tempus effluat, & in peccatorum luto adhuc defixos repente mors occupet. Vide igitur ne te iuuenilis fallat ætas, ne ſalubre corpus & robuſtæ vires decipiant. Nulli ætati parcit mors, & ſicut ſenes ita & pueros rapit, quinimo rari admo-

Matt. 3. Iſaiæ 35. Theſſ. 4.

admodum sunt, quos ad senectam vsque patitur peruenire. Plurimos præterea eadem dies sanos fortesq; incedere vidit, & exanimes concidere. Nulla vitæ securitas est, semper inter pericula versantium. Potes vel morbi vi, vel venenati cibi haustu, vel serpentis ictu, vel sicarij alicuius improuiso percussu, vel alio aliquo inopinato casu protinus extingui, denique quod multis accidit, potest & tibi. Idcirco sicut in Ecclesiastico scriptum est: Non tardes conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim venit ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Expectaris à domino, vt sceleris perpetrati te pœniteat, & mores vitio corruptos virtutis operibus cures ne pereas, tu verò tuimet oblitus, perire mauis quàm corrigi, & tam benignum dominum, tam pium patrem non cessas offendere. Iam tandem excute insaniam istam & resipisce ac saniore vsus consilio, rumpe moras omnes, pone finem flagitiis, & supplex veniam ora, vt deo miserante, dum miserendi superest tempus, mereri cœlestia incipias, cùm terrena spreueris. Quòd si cunctantem mors præuenerit (vide in quanto verseris discrimine) æternam, quæ pœnitentibus datur, beatitudinem amittes, & in ignem inextinguibilem, quo currunt obstinati, perpetuò cruciandus deiicieris. Nihil est quod magis cauere debes, ergo & nihil magis accelerare quàm pœnitentiam, per quam talia cauentur, & mutata sorte tam immensum malum vitatur, tamque immensum bonum acquiritur. Hæc sunt igitur verè pœnitentis officia, quæ retulimus, vt videlicet volens non inuitus ad pœnitendum accedas, vt humilieris, vt lugeas, vt vitam magis laboriosam viuas, vt præterita peccata succedentium virtutum meritis compenses, vtque in primis cures, ne pœnitendi tempus tarda conuersione imprudenter amittas. Ista tamen omnia cùm perfeceris, vide ne quid tibi tribuas, totum diuinæ gratiæ acceptum re-

Eccle. 5.

ferre

ferre debes,& cum propheta dicere:Scio domine quia non est hominis via eius,nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos.Nam si humana fragilitas ad agendum pœnitentiam diuino non indigeret auxilio,Ieremias non orasset:Conuertere nos domine ad te & conuertemur,nec saluator dixisset:Sine me nihil potestis facere.Et:Nemo potest venire ad me,nisi pater qui misit me traxerit eum.Cui sententiæ Pauli apostoli dictum concordat,vbi ait:Non volentis neque currentis,sed miserentis est dei.Vnde Philippensibus etiam scripsit,dicens: Cum metu & tremore vestram salutem operamini.Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Idem arroganter sese offerẽtem increpans ait:Quid habes quod non accepisti?si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Thren.5.
Iohan.15.
Iohan.6.
Philip.2.
1.Cor.4.

De obstinatione non admittentium pœnitentiam. Cap.13.

NVnc illos conueniamus,qui peccandi assuetudine obdurantur,quíque graui aliquo execrandóque commisso crimine veniam desperant, & cum ad pœnitentium conuerti alteris arduum videatur,alteris,vanum,vtríque in propositio perditissimæ vitæ immobiles perseuerant.Enitendnm est,si modo possimus,quod irrationabiliter conceperunt,ratione discutere,qua fortasse compulsi,mortiferum venenum euomere curabunt quod hauserunt.Tu qui multum temporis peccando consumpsisti,& ætatem ad bene agendum datam, in delicijs,in luxurijs,in obscœnitatibus turpiter contriuisti quo excideris cogita,& vel in fine de regione longinqua incipe redire ad patrem quem reliquisti.Difficile est,inquis,ab vsitatis desistere, & pellem iam inueteratã serpentis more cum noua commu-

mutare. Sed nisi de Iudæa transieris ad Galilæam domini resurgentis gloriam videre non poteris. Tametsi hoc tibi difficillimum sit, incipe tamen, tenta, experire, quanto magis tardas, tanta rem factu difficiliorem reddes. Neque enim ad hanc difficultatem, quam causaris, nisi per moras dilationesq́ue conuersionis descendisti, quo longius abieris, durius erit reuerti, oneri quotidie addendo, nisi rursum de illo demere incipias, grauitate crescente opprimeris. Quandiu ergo pœnitentiam agere cunctaris, in dies deterior euadas necesse est, Iesu autem recedente de templo corporis tui (templum enim dei eras, dum innocenter viueres) non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur, omnis virtutum vis dissipabitur abscedente domino virtutis. Reliquum erit, vt vbi eradicata bona fuerint, inde exurgant mala, & de corrupto semine deterior exhuberet seges, & fiant nouissima tua prioribus peiora. Quanto ergo satius vt in tempore resipiscas, & cùm diu dormieris, iam tandem expergiscaris, atque à vitiis quæ sequeris auersus, incipias iter ingredi virtutis? Quod si parumper perpendere volueris, quantum lucri facturus es, si te corrigas, quantum boni consecuturus, multò certè alacrius festinantiusq́ue reditum expedies ad probitatem, quam ad nequitiam discessum hactenus expedisti. An tu ignoras iumenta onere grauata segnius à stabulis abire solere, celerius verò ad stabula remeare? & hoc quidem oneris deponendi pabuliq́ue sumendi gratia. Nunquid ipse minus prouidus pigritabis fascẽ istum peccatorum, quo premeris abiicere, & ad pastum cœlestis mannæ festinare? non quam veteres Israëlitæ manducauerunt in deserto & mortui sunt, sed qua qui rectè vsi fuerint, viuent in æternum. Consule igitur saluti tuæ dum licet. Nam quò tunc tendis, in vltima vię crepidine terribile pręcipitium est quò si corrueris, nunquam inde resurges.

Nulla

Nulla est enim redemptio in inferno. Quò autem à nobis reuocaris, inde aditus est ad cœlestem beatitudinẽ, ad angelorum gloriam, ad requiem gaudium'que sanctorum. Nequaquam erit ita vt videtur difficile à prauis actionibus desistere, atque ad iustitiæ sanctitatis'q; opera accingi, si vel malorum pœnam, vel bonorum æstimare libuerit prẹmium. Præterea ignaui est profectò eiusce rei exequendæ difficultatem prætendere, quam sæpè à plurimis peractam fuisse constat. Matthæus ante apostolatum diu multum'que auaritiæ studio vectigalium publicorum conducturas factitauit, quo die autem à Christo vocatus est teloneum reliquit, & qui satis longum tempus mammonæ seruierat, statim fit dei seruus Christi'q; Apostolus. Zachæus quoque ætatem in exigendis vsuris contriuerat, visò tandem domino, totum quod fœnore quæsitum erat, distribuere pauperibus cœpit, & illis quos aliquid defraudauerat satis facere. Eodem itaque die, quo finem criminum fecit, Christum domi suæ hospitem meruit habere. Multa id genus exempla tibi de scripturis possem proponere, si in his recensendis occupari vellem. Currentem per consueta vitia rotam affixo pœnitentiæ pax illo sistere non vales, si alij non pauci valuere? Serũ est dies. at etiã nouissimis datur denarius sicut primis. Et mulier duodeuiginti ãnos inclinata, ad cœlestẽ medicũ tandẽ accedens extento dorso erigitur, quoniã eum qui mortuos ad vitã excitat, suam etiã infirmitatem q̃uis chironicã diutinam'q; curare & posse credidit, & velle sperauit. Nunquã serum est salutẽ quẹrere, cùm semper spes impetrandi suppetat, donec in corpore datur spirandi copia. Sed quia dierum nostrorũ exitũ nescimus, periculosissimũ est postremũ expectare, ne fortè is hodiernus vel crastinus sit, & tunc mori cogamur, cùm nos multum adhuc victuros credimus. Cęterũ si conuersioni tuæ (vt potissimè fit) hoc obstat, quod violen-

Matth. 9.

Zachæus.


Lucæ 13.

violentæ admodum sensuum tuorum cupidini non potes resistere, da operam vt possis. Tolle concupiscendi occasiones, & membra scandalizantia abscide: auerte oculos ne videant quod ad peccandum prouocat, aures ne audiant, nares ne odorentur, os ne loquatur, manus ne contrectent. A pristinis quoq; sodalitijs ac societatibus paulatim te submoue, & iam honestiorū deumq; timentium hominum lateri adhærere stude, consortio consilijsq; eorum vtere, quibus persuasus, is qui nūc es, esse desines. Nam si iuxta Apostoli sententiam, mala colloquia corrumpunt mores bonos, consequens est, vt bona colloquia malis moribus remedio sint. Verissimū

psal. 17. est enim quod in psalmo dicitur: Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruertêris. Iubes me inquies, veteribus amicis nouos præferre? Imo malis bonos, & vt apertius dicam, inimicis amicos, & cum his quidem gratiam inire, illos relinquere. Vehementer enim erras, si ab ipsis te amari putas, qui ne sibi quidē amici esse censendi sunt, cum improbè incontinenterq; viuendo & se & te pariter perditum eant. Ergo vt a facinorosorum societate consortioq; discedas, & viris animi integritate conspicuis vti incipias hortamur, non vt amicos derelinquas. Quod si isti quorum nunc familiaritate delectaris, æqui atque honesti amici essent, & te ab eis amari faterer: cum autem te secum simul contempta virtute per deuia vitiorum trahant, audeo dicere (quis enim verum dicere non audet?) capitaliorem illis inimicum habes neminem. Talibus autem carere non posse, non eos deserendi difficultas facit, sed malè sibi consulendi stultitia. Quid enim illo homine dementius, qui mauult perire cum scelestis, quàm cum probatis viuere? Tu si tua salus tibi est curæ, vt esse debet, istos ipsos aut tecum simul si potes, ad pœnitentiam conuerte: Aut si non potes, fuge, ne vnà

cum

eum illis intereas. Melius est tibi mancum & claudum & altero carentem oculo intrare in paradisum, quàm duas manus & pedes & oculos habentem mitti in gehēnam. Melius est enim sine amicis gaudio perfrui sempiterno, quàm cum amicis tradi suppliciis. Quòd si decursæ in voluptatibus vitæ vsum abiicere tibi prorsus molestum est, quæso ne saltem pigeat talis vitæ qui tādem finis sit considerare. Siquidem prudentis est prouidere futura, & si bruta quoq; quædam animalia venturæ tempestatis præsaga, antequam erumpat procella, ad tranquilliora sibi loca confugiunt, minus te rationalem existimabo, si proposita voluptariis incontinentibusque tormenta tecum quandóq; non mediteris, vel cum meditaris non expauescas, téque ad eum vitæ statum conferas, in quo & de pœna securior esse possis, & de præmio certior. Noli ergo fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus ratione vtens ad ea quæ futura sunt, mentem dirige, & ad salutis portum, dum euadendi naufragij spes est, vela conuerte. Vel si vsque adeò inualidus & eneruis es, vt ratem corporis tui regere nequeas, ora vt queas. Petite, inquit dominus, & dabitur vobis. Non potes excusare imbecillitatem, vbi auxilium tibi promittitur, si petieris. Quid igitur? mollescis ne iam ad pœnitentiam, an adhuc in proposito inolitæ peruersitatis obduras? Monstrata hactenus remedia si parum proficiunt, nunc demum minis tecum & terroribus (ne quid intentatum relinquatur) agam. Quid est quod viuis, cum morte magis dignus sis, nisi quia domino miserante expectaris vt melius viuas? quod si vltrà obstinatus esse pergis, cum ficu infructuosa succidêris, ne terram occupes: succidêris, inquam, & in ignem mittêris, & ardes, palmitis instar à vite abcisi, atque arefacti, omníque humore, quo reuiuiscere posset destituti. Abcisus quippe es à vera vite, & à Christo alienatus, quamdiu peccatis fi-



nem non statuis, quandiu te creatorem tuum redemptorem'que offendere non pœnitet, quandiu non metuis dominum tuum, nec illi obtemperas, cui angeli in cœlo assistunt, quem sancti omnes venerantur, omnes inferi contremiscunt, qui est super omnia potēs, in omnibus sapiens, omnium optimus, primus omnium, omnium'que postremus, neque initium habens, neque finē, benignissimus pœnitentium remunerator, seuerissim⁹ obstinatorum vltor ac punitor. Et cum tantus talis'que sit, tu illum tibi iratum esse audes negligere? tu illum peccata peccatis cumulando ad vindictam non vereris prouocare, cum tamen à peccatis desistendo placare posses. Ipse enim per prophetam tibi pollicetur, nullam de tot offensis vnquàm se exprobraturum, si offendere desieris, & secundum sua pręcepta cœperis operari: neque esse suæ voluntatis asseuerat vt moriatur peccator, sed vt conuertatur & viuat. Omnia ergo facit, vt saluti tuæ consulat. Atque huc tendit quod præcepit, quòd promittit, quòd minatur, quòd flagellat, quòd delinquentem nō statim perimit, quòd aliquando etiā beneficiis ad pœnitentiam prouocat: Denique vt peccatoribus vitam daret, filium suum vnigenitum morti obtulit. Cuius quidem sanguis, quemadmodum tunc omnes Adæ filios à peccato lauit, vt qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus sit: ita nunc singulos emundat quoties nos deo peccasse pœnitet. Vtere tandem tantę erga te dilectionis beneficio, dum licet, dum tempus est, dum vita suppetit: si sine illo decesseris, quis miserebitur? Quære dominum dum inueniri potest, inuoca dum prope est: ne te postea ingratitudinis damnet, & tanquam ignauissimum vineæ suæ, hoc est animæ tuæ quam tibi commēdauit, cultorem arguat dicens: Quid facere debui vineæ meæ & non feci? Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas. Deinde indignatus pœnam inferat quam subdit: Auferam sepem eius, & erit in direptionem

Esaia.

reptionem, diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam, non putabitur, & non fodietur, & ascendent super eã vepres & spinæ, & nubibus mandabo ne pluant super eam. Sub hac vineæ metaphora tibi sermo texitur ô peccator. Nisi enim in tempore pœnitentiam egeris, postea iusto dei iudicio auferetur à te angelorum custodia, & dæmonib⁹ eris in prędam, tolletur sperãdi auxilij expectatio, & angustiis oppressus cruciaberis, omnique ope destitutus, nec pœnitentiæ falce poteris amputare nequitias peccatorum, nec cordis compunctione aliquid leuamenti promereri, sed operiet te omnibus spinis asperior penarum congeries, & nemo sanctorum pro te vltra deprecabitur. Hi enim sunt nubes cœli qui super nos orationum suarum imbrem manantes, faciunt vt tam diu ad pœnitẽtiam expectemur. Expectaris & tu, sed si moram feceris, ab Apostolo quoque audies. Ignoras quoniam benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet vnicuiq; secundum opera eius. Romano. 2.

Ad desperantem exhortatio. Cap. 14.

NVnc ad te conuertor magni atque ingentis criminis conscie, qui te nullo modo veniam posse mereri existimas, nec perpendis quod dei misericordia multo maior sit omnib⁹ peccatis. Nihil est quod illa non delebit, si te commissi pœnituerit, semper parata est ad condonandum, si tu paratus es ad pœnitentiam agendam. Quòd autem Christus dixit, blasphemiam in spiritum sanctum irremissibilem esse multi dubitant, vtrum intelligendum sit, quod nunquam dimittatur, an quod difficulter, vsque adeò existimãt, si Peccatũ in spiritum sanctum.

pœnitentia adsit, nihil obstare, quin benignitas diuina præstet veniam. Quale igitur vel quàm magnum esse potest scelus tuum, quod te ad desperationem remissionis quiuit compellere, & de deo non rectè sentire, vt tibi pœnitenti parcere omninò nolit, cum nũquam ad pœnitentiam conuersis & in ipsum confidentibus non ignoscat. Si adulterium, si homicidium perpetrasti, vtrumque Dauidi, cum se peccasse doluisset, est remissum. Si fœnore & vsuris rem quæsisti, hoc Matthæo Zachæoque, fuit condonatum. Si persecutus es ecclesiã dei, de hoc facta est gratia Paulo: Si pernegasti dei filiũ de hoc Petro fuit venia data. Si stellas adorasti, si diis alienis templa arasque posuisti, si obseruasti somnia maleficiisque credidisti, si in dei seruos cædibus es grassatu, ista omnia Manasses fecerat, & tamen cum eum pœnituisset, veniamque orasset exauditus est hostiliq; iugo liberatus, regnũ recuperauit quod amiserat. Nullum ergo tam immane facinus committi potest, quod pœnitentibus miseratio non ignoscat diuina. Et cùm ita sit, nõne stultissimũ est id desperare quod plurimis cõcessum fuisse nõ ignoras? Cæterùm, neq; pœnitentia ipsa peccati quicquam prodest veniam desperanti, cum hæc ipsa desperatio peccatum tale sit vt omne pœnitudinis meritum euacuet atque irritet. Nihil profuit Caino fratricidæ, quod à domino coargutus doleret, quia clementiæ diuinæ derogauit, dicens: Maior est iniquitas mea quàm vt veniam merear. Nihil Iudam proditorem iuuit suus pro commisso dolor neque confessio, cum diceret: Peccaui, tradẽs sanguinem iustum. Quoniam cum de dei misericordia desperasset, tristitia superatus, laqueo mortem sibi consciuit. Pœnitenti igitur & petenti venia datur: desperãti verò neque in hoc seculo neque in futuro parcitur. Quidnam igitur te vltro perdis desperando, cum iam certò scias esse locum veniæ si veniam poposceris pœnitẽdo? Cur

Dauid. Matthæo. Zach. Manasses. Cainus. Iudas.

non

non potius cum Dauide peccatum suum lugente, exclamas: Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam: & secundum multitudinem miserationũ tuarum dele iniquitatem meam. Magna misericordia magnum delet crimen, & miserationum multitudo multitudinem remittit peccatorum. Dominus clamat: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, & tu mori mauis quàm conuerti, & veniam desperare quàm poscere? Dominus soluit compeditos, dominus erigit elisos, & tu tam mortifero peccati vinculo non vis absolui? tam graui casu elisus nõ curas erigi de medico, qui omnes in se confidentes in vnico verbo sanat, diffidis? Graue est, inquis, peccatum meum, nũquid grauius quàm istorum, quorum modo mentionẽ fecimus? quibus tamen quod nequiter deliquerant clementer dimissum constat. Nunquid etiam grauius est peccatũ tuum quàm cœlum, quàm terra, quàm mare, sed qui potuit creare ista, nõ poterit sceleris tui põdus eleuare, & vbi abundauit delictum, ibi gratiam abundare facere? Nõnne illi quoque qui dicebat: Iniquitates meæ super gressę sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me, precatus est, dicens: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me? Haud ita orasset, nisi spem haberet impetrandi quod orabat, sperauit & orauit, & voti compos factus est. Nõnne etiã Hierosolymæ vrbi grauissimum idololatriæ crimen exprobrans deus, dixerat: Si laueris te nitro & multiplicaueris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua coram me, postea tamẽ ne de peccati remissione diffideret: Fornicata es, inquit, cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te, sed reuerti voluissent, aggrauassentque scelus mentis obstinatione eorum impietatem plumbi massa onerari vidit Zacharias propheta, dominoque vlciscẽte vrbs passa est excidium, & illi captiui ducti in Chaldæam. In-

Psal. 50.

Ierem. 2.

Zacha. 5.

ternitione quidem deleri merebantur, sed dominus tẽperauit iram, vt postea ostenderet etiam in obstinatos clementiam. Postquam enim eos pœnitere cœpit, peccata confitendo, misericordiamque dei implorando ipso fauente de seruitutis iugo liberati atque ad patrium solum postliminio reuersi instaurata ciuitate temploque erecto sortis pristinæ statu frui cœpere. Iam ergo vides (nisi adeò cæcus es, vt nihil veri videas) quia nulla est prorsus tanta delicti alicuius magnitudo, tanta grauitas, quàm dei misericordia à pœnitentibus requisita non minuat, non eleuet, nõ denique ad nihilum redigat. Soli hanc consequi nequeunt, qui de ipsa desperant. Licet igitur te peccasse pœniteat, nisi etiam peccati veniam desperasse pœnituerit, cum impœnitentibus computaberis. Quamobrem festina deponere dementiam istam animi, vt flagitij tui magnitudine diuinæ clementiæ immensitatem putes inferiorem. Deus pater misericordiarum est, miserationum suarum non est numerus. Spera in illo. Sperantes in domino misericordia circundabit, dum te pœnitet, dum speras, dum precaris, etiam sancti pro te orant, angeli vota tua offerunt deo, Christus ipse pro te patrem interpellat, dicẽte Iohanne Apostolo: Aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio ꝓ peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiã pro totius mundi. Desperantium verò Christus nõ aduocatus est, sed iudex. Considera igitur vtrum tibi sit melius veniam sperare vt Christi patrocinio subleueris, an desperare, vt eiusdem iudicio damneris & in æternum pereas. Hactenus de pœnitentia, nunc de confessione peccatorum, quæ pœnitentiam comitari debet, aliquid memoremus.

1. Iohan. 2.

De pecca-

De peccatorum confessione. Cap. 15.

TRia sunt peccatorum genera, aut enim peccamus cogitatione aut verbo aut opere. Per ista mentē discurrendo, postquàm conscientiam diligenter accuratéque examinauerimus, tam de omnibus quàm de singulis, in quibus Deo vel proximo aliqua illata est iniuria dolentes mœstíque in primis, & antè sacerdotem veluti ante Christum reuerenter genibus prouoluti cuncta illi exponamus, occultemus nihil. Manifestanda est enim medico ægritudo, vt ille adhibitis remediis instauret sanitatem. Illi autem animarum nostrarum medici sunt, quibus concessa est soluendi ligandíque potestas, ab eo qui dixit: Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remissa erunt: & quorum retinueritis, retenta sunt. Ab eo, inquam, qui est sacerdos in æternum, quíque in cœlum ascendens, vicarios nobis in terra reliquit ipsos sacerdotes, & Petro curam ouium suarum pastor bonus commendans, atque claues regni cœlestis tradens, dixit: Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. Non dubitemus igitur, quin peccatum illud deletū sit quodcunque Christi sacerdotes ritè dimiserint. Ab eo eius soluendi atque ligandi acceperūt, qui potest omnia, & per quem facta sunt omnia in cœlo & in terra & in omnibus abyssis. Ipsi iudicent inter lepram & lepram, ipsi peccatorum nostrorum morbos curent, ipsi nos ad æternam transmittant salutem, suppeditantes quicquid ad eam assequendam nobis necessarium fuerit. Necessarium est autem baptismo ablui, chrismate inungi, sed quoniam etiam post hæc in multis delinquimus, nihil deinde ita necessarium est, vt peccatorū

Iohan. 20.

Matth. 16.

Matt. 18.

cum pœnitentia confessio. Hac sola quoties cadimus, erigimur & stamus. Baptismus quidē sordes ante se contractas eluit semel, confessio semper. Cæterùm, quod etiam per martyrium aboleantur peccata non ambigimus, domino dicente: Qui perdiderit animam suam propter me & Euangelium, saluam faciet eam, & per eleemosynarum largitatem, cum idem dicat: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, & per iniuriarū condonationē quia scriptum est: Si dimiseritis ex corde fratribus vestris peccata ipsorum, & pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra & per exhortandi studium, quo alios à flagitio ad virtutem reuocare nitimur, quia dicitur: Si quis conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluat animam eius & operit multitudinem peccatorum: & si qua alia sunt per quæ remitti crimen dicatur, non ideò pœnitentiæ confessionisq́ue sacramentum excludi putes, nec sine ipso te saluandum credas, si talia feceris: nisi enim peccasse pœnituerit, nihil ista proderunt. Peccato deus offenditur. Quòd si pro peccato quo deum offendisti, non doleas, careas charitate, sine qua (teste Paulo Apostolo, in quo Christus locutus est) nec corpus tradere vt ardeat, neç facultates in cibos pauperum distribuere, nec hominū angelorumq́ue linguis loqui, nec fide montes transferre, quicquam prodesse poterit. Pœnitentiam itaq; agere oportet, & illa non omittere, quicquid enim piè sanctéque agitur, appendix pœnitentiæ est & pro culpa satisfactio, vt purgatorij pœna vel breuior sit, vel nulla, si plenè in vita satisfactum fuerit, vel etiam vt post culpæ pœnæq́ue abolitionem plus gloriæ in cœlo mereri possint, qui hîc benefecerit. Restat vt dicta euāgelica, quę memorauimus, quæq́ue illis similia sunt, ita intelligantur, vt si fiant quæ in ipsis præcipiuntur, peccatori ad emundationem adiumento fore, si tamen præcesserit pœnitentia, cum confitendi proposito, quando fuerit

Marci. 8. Lucæ. 11. Matth. 6. Marc. 11. Iacobi 5.

fuerit opportunum. Igitur sic charitas ipsa fundamentum & consummatio virtutum est, ita pœnitentia finis esse debet peccandi beneque agendi initium, vt cætera feliciter succedāt deóque grata atque accepta sint: Si quis tamen solam pœnitentiam sibi sufficere credēs confessionem respueret, in hæreticorum numero ponendus esset, neque ei profectè prodesse potuisset pœnitentia ab ecclesiæ corpore separato. Separatum enim à corpore membrum non viuificatur, sed quàm diu diuisum est, manet in morte. Confessionis autem sacramētum tam veteribus quàm nouis hominibus commune est. Primi parentes nostri Adam & Eua cum peccassent peccatū suū confiteri coacti sunt, deo interrogāte quare fecerint quod facere interdicti erant, & illis respondētibus qualiter in id criminis incidissent. Voluit itaque deus à primo homine confessionis inchoare mysterium, vt ostenderet nulli posterorum claudi confugiū ad veniam, quod apertum esset primis. Quamobrem & ab his descendentium Israëlitarum mos fuit, quoties ærumnis oppressi essent, dei opem implorare cilicio cōtegi, cinere conspergi, ieiunio corpus affligere, & præter hæc peccata confiteri, sic humiliati deo miserante angustiis liberabantur, & à peccatis quidem absoluti abibant, præter originis culpam, qua absolui non poterant, donec redemptor in lege promissus nō venisset. Quare nec illorum confessio in lege potuit esse ita plena (nihil enim ad perfectum adduxit lex) vt est nostra in euangelio cum illa in parte manca sit, hæc per omnia integra & perfecta. Illa simul multorum, hæc singulorum, illa deo audiente tantum, hæc etiam dei sacerdote examinante & ab omnibus absoluente. Nondum enim illis mediator venerat Christus dominus, per quem nobis reseratus est aditus ad cœlestia, & cuius cruore à corruptæ originis culpa expiati, in sancta cepimus introire, & hæredes fieri non terreni & tempo- Gene. 3.

ralis regni, vt illi, sed cœlestis & æterni. Ne igitur tanti erga humanum genus beneficij memoriam vlla vnquã deleret obliuio, mediatoris atque redemptoris Christi locum in terra tenere ceperunt sacerdotes. Per eos ipse verus agnus pro nobis semel oblatus quotidie offertur. Per eos ecclesiæ sacramenta participamus, remissionem'que accipimus peccatorum, & postquam his penitus mundati vita ista decedim⁹ non iam ad inferos, vt veteres illi, sed ad cœlestem patriam, vt in Christo renouati transmigramus. Tantæ igitur virtutis est nostra confessio, vt non solùm de peccatoribus iustos faciat, sed etiam de terrenis cœlestes, de mortalibus immortales, de miseriis felices. Hæc enim confessio peccata delet, & animam à morte liberat, quod ostendit Ezechias ad dominum dicens: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, tu autem eruisti animam meam vt non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Idem testatur Psalmista cum ait: Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Per hanc dum preces effundimus, voti compotes efficimur, eodem propheta dicente: Vias meas enunciaui tibi, & exaudisti me. Per hanc praui cogitatus dissipantur, & qui boni sunt, succedunt. Sicut Salomon in Prouerbiis affirmat, dicẽs: Reuela domino opera tua & dirigentur cogitationes tuæ. Hæc denique sancta confessio diabolo nos ereptos reddit deo, & de filiis tenebrarum filios efficit lucis. Ille qui luxuriosè viuendo bona consumpserat, ita vt porcos pasceret, ad patrem supplex confugiens, ac se peccasse confitens, amplexum osculum'que patris accipere meruit, & stolam, & annulum, & calciamenta, & cõuiuium. Nihil quod malè egerat exprobratur ei, sed humilis confessionis merito in hæreditatem cum omni lætitiæ ambitu fuit admissus, ingẽ genti calamitate in summam beatitudinem commutata. In

Isaiæ.38.
Psal.31.
Psal.118.
Lucæ.15.

ta. In

ta. In integrum itaque restituitur gratia, cum peccator per pœnitentiam & confessionem humiliatur. Postremò, quicquid diximus de pœnitentia, idem de confessione est sentiendum. Neque enim perfecta esse potest pœnitentia sine proposito confitendi, neque vtilis confessio absque pœnitentiæ admixitione.

De his qui confiteri negligunt. Cap. 16.

DE illis verò qui tam salutiferam peccatorum cõfessionem pertinaciter deuitant, à via virtutis ꝑpetuò aberrant, quia in tenebris manent, neque quo tendere debeant satis perspiciũt, scriptum est: Qui absconderit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Quid autem prodest id celare hominem, quod nõ latet deum? Peccata enim quæ nunc vni sacerdoti abscondis, in die iudicij omnibus manifesta erunt dicente domino: Reuelabo pudenda tua, in facie tua. Coram vno modo non vis erubescere? coram plurimis postea confundêris. Omni tamen verecundiæ tuę molestia intolerabilior erit iudicis aduersum te seueritas atque cognitio, ea te peccatis grauatum in barathrum detrudet inferni: vt qui confessionis beneficio per misericordiam dei oblato vti noluisti, terribiles infinitosq; cruciatus patiaris per iustitiam, dicente Osee propheta: Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius, dolores parturientis veniunt ei. Talis itaq; merces illius erit, cuius peccatum nunc absconditum est nolentis illud secundum diuinæ humanæque legis præscriptum cõfiteri, palamque alteri facere. Nam siue timore, siue pudore, id faciat, non excusabitur. Magis enim deum timere debuit quàm homines, & potius contem-

Prouer. 18.

Naum. 3.

Osee. 13.

contempto rubore purificari velle, quàm subtracta confessione sordescere. Porrò, sicut hi qui nunc scelerum suorum pœnitentes propria confessione se accusant, angelorum patrocinio subleuati erunt vt beati sint, ita qui errata suo modo dissimulant, à diabolo tandem accusabuntur, vt Christi iudicio condemnentur. Curramus igitur totis affectibus ad portum salutis, ne delictorum tempestatibus acti mergamur in profundum. Doleamus quod peccando p̄uaricati sumus diuina mādata, & cum certa emendandi, satisfaciendi'que destinatione singula quæque quibus offendimus, confiteamur. Alioqui ne illa quidem quæ benefacimus, proderunt ad beatitudinem cōsequendam, nisi de malis quæ commisimus tristemur, eadem'que sacerdoti indicemus, vt volentes moneat, vt sustinere paratos castiget, multa'que pro delictis, quæ sibi aptior videbitur imposita, mundos puros'que restituat, ecclesiæ deo'que recōciliet.
1. Iohan. 1. Si enim confiteamur peccata nostra (vt Ioannes Apostolus inquit) fidelis est & iustus dominus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Remissio minuit culpam, emundatio tollit pœnam & confert beatitudinem, dicente domino: Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt.

De sacramento corporis Christi. Caput 17.

POenitentes de iis, quibus te offendimus domine, & eadem sacerdoti tuo confessi, atque ab ipso cui tu soluendi potestatem dedisti, absoluti, ad mensam saluberrimi conuiuij tui accedimus, vt corpori & sanguini tuo communicemus. Indigni quidem, sed tamen abs te inuitati, qui infirmitati nostræ præsentaneū porrigens remedium, sacratissimum corpus tuū sub specie
Mat. 20. panis, Accipite, inquit, & comedite, hoc est corpus meū.

Deinde

Deinde preciosum sanguinem tuum sub specie vini in calice infusum propinans, ait: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et antè per Salomonem in Prouerbiis hortatus es, dicens: Venite & comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Ad tuum ergo conuiuium à te inuitati, à te vocati accedimus, cum plena fide, cum indubitata credulitate confitentes, panem & vinum tuis verbis à tuo sacerdote consecratum, tuum esse corpus, tuum esse sanguinē. Tu enim ipse qui veritas es, hoc testaris & affirmas, cui vel minimum refragari infidelitatis crimen est. Panis vini'que figuram oculis cernimus, odorem naribus haurimus, saporem ore gustamus, duritiem atque liquorem tactu sentimus, & tamen nō nostris sensibus, sed tuo testimonio credimus. Omnis enim homo mendax, tu solus verax, tu ipsa veritas, quæ nec decipi potest, nec decipere. Nos itaque corpus tuum clementissimè domine, & tuum sanguinem aliena specie velatum fideliter accipimus, nec omnino qua ratione id fieri possit, quærimus, aut quomodo panis vini'que substantia in substātiam corporis & sanguinis tui transeat, cum accidentia non mutentur, scrutamur. Maius est enim miraculum istud, quàm vt humano ingenio vel scientia comprehendi possit, te tamen tradente verum esse credimus, etiam quòd intelligere quomodo verum esse possit, nequimus. Etenim suis finibus circunscriptus est intellectus noster, tuæ autem potentiæ, tuæ sapientiæ nullus est finis, nulla circumscriptio: omnem numerum, omnē excedit modum. Stultus est igitur, qui tanti mysterij altitudinem se deprehendisse putat, nisi ipse reueles, ipse aperias, ipse illum tam singularis intelligentiæ efficias capacem. Nos interim non ideò credimus panem & vinum in substantiam tui corporis & sanguinis trāsmutari: quia & vxor Loth versa sit in statuam salis, & virga

Prouer. 9.

virga Moysi in colubrum,& cibus atque potus in carnem & sanguinem animalis:nam simul cum accidentibus ista mutata sunt,sed quia nihil verius esse nouimus his, quæ te docente dicere contingit. Confitemur te esse verbum per quod facta sunt omnia,& sine quo factũ est nihil. Quid ergo factu tibi impossibile, si modo illud vt fiat, tuæ conuenit maiestati? Absit igitur vt quicquam dubitemus de tam mirabili stupendo'que sacramento, cuius tu & autor es, & testis. In quo magis mirari licet tuæ in nos benignitatis magnitudinem, quàm incomprehensibile operis arcanum. Tu te nobis domine præstas in cibum, qui te pro nobis supra crucem obtulisti in sacrificiũ, sed ibi visibilis & passibilis & mortalis apparebas, hîc lates gloriosus & deuicta iam morte triumphans. Ibi abscondita erat in homine diuinitas, hîc in panis vini'que figura celatur & humanitas. Sed licet neutrum cernant oculi, vtrunque tamen confitetur fides. Tu hic totus es, qui & in cœlo es totus, cœlestia non derelinquens & terrena visitans. Nam & in cœlum ascensurus, te quotidie nobiscum fore promiseras vsque ad seculi consummationem. Itaque & nobiscum es domine in terra, & cum patre in cœlo, nobiscũ in specie aliena, cum patre in propria, in terra mundãs peccatores, in cœlo mundatos suscipiens. Cœlum & terram imples tua diuinitate, & quoniam ei tua iuncta est humanitas, vbicunque diuinitas est, illic si volueris, & humanitatem tuam esse necesse est. Quid ergo mirum, si in multis locis es qui in vno, qui in pluribus hostiis, qui in vna? Porrò cum tibi placuisset, ineffabili corporis & sanguinis tui sacramento fideles tuos pascere & tibi vnire sub panis vini'que figura latere voluisti, vt nemo horreret gustare, quod fideliter gustatum beatitudinem conferret. Primus Melchisedec in sacrificio panem & vinum obtulit. Inde tu diceris in æternum sacerdos, non secundum ritum eorum qui pecora sacrificabant

Mat. vlti.

Gene. 14.

cabant, sed secundum ordinem Melchisedec, qui pane vinoque litauit. Illius tamen sacrificium signum & vmbra fuit, tuum autem veritas est & lux, tuum istud & prophetæ futurum prædicauerunt, & figuræ significarũt, vt in eo credendo, quod & vetustas promitteret, & nouitas exhiberet, fides nostra stabiliretur atq; firmaretur magis. Ab Isaia prędictum audimus. Et faciet dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ. Et ab Ieremia: Omnis lagunculа implebitur vino. Et ab Ezechiele: Vocabo frumentum & multiplicabo illud, & non ponam vobis famem. Et ab Osee, Conuertentur sedentes in vmbra eius, viuent tritico, & germinabunt quasi vinea, memoriale eius sicut vinũ Libani. Et à Zacharia, Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumenta electorum, & vinum germinans virgines. Et à Malachia, In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum nomen meum in gentibus, dicit dominus exercituum. Figuræ autem atque signa fuere, sacrificium Melchisedec sacerdotis, manna in deserto, agnus paschalis, hostia sanctorũ oblata pro peccato, hostia pacificorum oblata domino, subcinericius panis Eliæ in itinere, panes propositionis in templo. Quicquid in his fuit significatum, in tui domine glorificati corporis sacramento credimus impletum, atque ideò non quòd videmus in eo, sed quod credimus adoramus, vt Petri Apostoli tui promissum te donante nobis persoluatur dicentis. In quem nunc non videndo creditis, credentes exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finẽ fidei vestræ salutem animarum vestrarum. Hoc illud est quod & ipse dixeras: Beati qui non viderunt & crediderunt. Accedimus etiã ad te domine cum timore & humilitate. Tu es enim ille, de quo in Psalmo est dictum. Escam dedit timentibus se.

Isaiæ. 25.
Ieremiæ. 31.
Ezech. 36.
Osee. 14.
Zach. 9.
Malach. 1.
1. Pet. 1.
Psal. 110.

tibus se. Tu das teipsum his qui maiestatem tuam offendere metuunt, & eidem in omnibus obsequi desiderant. Accedimus ad te, in amorem tuum insinuari cupientes, tu quippe das escam esurientibus, vt dulcedine charitatis tuæ satientur, quam esuriunt. Accedimus cum continentiæ castitatisque proposito. Nam si non licuit Dauidi & iis qui cum illo erant, edere de panibus sanctificatis, nisi cum se à consuetudine mulierum expiassent, quanto continentiorem esse oportet eum, qui castum corpus tuũ, de casta sumptum virgine, & tibi vnitum esurus accedit? Et si de hostia pacificorum vesci iubetur qui fuerit mundus, quanto conuenit esse illum mundiorem, qui te omnis munditiæ fõtem, omnis gratiæ autorem cupit haurire? Tu es panis viuus, vitam nobis donans quam nõ habemus, & à morte liberans quam timemus. Ais enim: Ego sum panis vitæ, patres vestri manducauerunt manna in deserto & mortui sunt, hic est panis de cœlo descendens vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit, ex hoc pane, viuet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Nihil est domine tua ista oblatione melius, nihil pulchrius, nihil dulcius, nihil iucundius. Quid est bonum eius, inquit Zacharias, & quid pulchrum eius nisi frumentum electorum, & vinũ germinans virgines. Bonus & pulcher es non reprobis, sed electis, & fidei virginitatem consecutis, non hæreticis à sponsa tua ecclesia alienatis atque fornicãtibus. Tui præterea sacramenti dulcedo, à Psalmista mel dicitur: quoniã nihil aliud in terra gustu dulcius inuenit, cuius nomine illam exprimeret. Cibauit illos (inquit) ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos. Idem alibi: Gustate & videte quoniam suauis est dominus. Tu tua ista suauitate, isto melle, in cœlo reficis angelos, animasque sanctas, & mortales pascis in terra. Vnde dicitur

1. Reg. 21.

Leuit. 7.

1. Ioan. 6.

Zach. 9.

Psal. 80.

Psal. 77.

Ibidem.

dicitur: Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducauit homo. Postremò quòd cibus iste ac potus, quẽ abs te nobis datũ, pro maximo munere accipimus, gaudere nos & exultare faciat, Psalmista testatus est, dicẽs: Educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis. Cùm ergo mysticum alimentum istud tantum ac tale sit, meritò quidem eucharistiam, id est, bonam gratiam vocant: Se enim piè sumentibus magnam multiplicemq́ue confert gratiam, & ad summam vsque prouehit beatitudinem. Te quippe in ipso sumimus, qui totius boni largitor es, toti⁹ distributor felicitatis atque gloriæ. tu sub aliena specie latens, & delicta nostra purgas, & purgatos ad purius viuendi studium dirigis. Quod si in Leuitico quicquid tetigerit carnes hostiæ pro peccato oblatæ, sanctificari dicitur, quis dubitat, quin istud quod præcessit in figura, cumulatius impleatur in veritate? Tu ille qui solo tactu leprosum mundasti, mulierem sanguine fluentem curasti, puellam mortuam ad vitam reuocasti, vt ostenderes in te esse virtutem peccata præterita delendi, futura cauẽdi, & qui in peccatis mortui iacent, ad spem vitæ æternæ erigendi. Tua præterea in Ecclesiastico vox est: Qui edũt me adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Esuries ista & sitis, desideriumq́ tui est, quo desiderio qui affecti fuerint, beati erunt, quia saturabuntur. Incipient enim repleri virtutibus, qui antè vitiis referti erant, vt fiat quod in psalmo dicitur: A fructu frumenti vini & olei multiplicati sunt, quod vt nobis cõtingat, ipse p prophetam hortaris, dicens: Dilata os tuum, & implebo illud. Qui paratior accedit, magis dilatatur, & qui magis dilatatur, magis & impletur. Cùm autem implebimur, tunc præcipuè ad te diligendum accendimur. Hoc propheta spiritualiter expertus, admiratur, & ait. Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus. Sed oleum, quia lucernis ad-

[Margin notes: Psal. 77. — Leui. 6. — Lucæ. 5. — Eccle. 24. — Psal. 4. — Psal. 80. — Psal. 22.]

ditur, mentis illuminationem signare videtur, vt qui prius in tenebris ignorantiæ erant, iam intelligentiæ donum attingant, perinde atque illi, quorum oculi tenebantur ne te agnoscerent, & postea quidem cognouerunt, dum te ad suum diuertere hospitium cogunt, dũ te aperiente scripturas discunt, per panis fracti sacramentum in tui agnitionem se venisse confessi sunt. Huius panis virtute animam quoque effici pulcherrimã Ezechielis prophetæ testimonio discimus, dicentis:
Ezech.29. Similam & mel & oleum comedisti, & decora facta es vehementer nimis. Ex hoc præterea ad resistendum diabolo vires acquirimus, & contra carnis certamina efficimur fortiores, dicente propheta: Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. De-
Psal.22. mum victo diabolo, & spiritu carni dominante, multa animi pace, multa quiete fruimur, iuxta illud: Qui ponit fines tuos pacem, & adipe frumenti faciat te. Et
Psal.147. quid est vsquam virtutis, quid gratiæ, quid felicitatis domine Iesu Christe, quod tibi dignè communicantes non adipiscimur? Tu in nobis es, & nos in te, quoties tuo cibo & tuo potu anima nostra reficitur. Ais enim:
Ioan.6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinẽ, in me manet, & ego in illo. Et quoniam vita es, in te manentes, teq́ue in nobis manentem habẽtes, viuimus in æternum. Quamobrem subiungens, inquis: Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Reliquũ est vt
Ibidem. sic viuendo beatitudine fruamur perpetua & æterna. Idcircò vt illam nobis conferas, mones & ais: Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis: hunc enim pater signauit deus. Et iterum: Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum. Ad beatos ista pertinere, etiam Apoca-

lypsis

lypsis docet, vbi dicitur: Non esurient neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque vllus æstus: quoniam agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Quas ergo tibi gratias benignissimè domine, pro tam immenso munere agemus? quæ præconia, quas laudes persoluemus? Nihil aliud à nobis exigere videris, quàm ne polluto ore tua dona contaminemus. Ad hoc etiam, nisi te imbecillitatem nostram adiuuante, præstare nequimus. Tu ipse igitur, qui tam liberaliter ad epulas tuas nos inuitas, da vt semper ad illas digni veniamus, vtque tua carne ac tuo sanguine cum quanta conuenit mentis & corporis puritate reficiamur, quodque ad memoriam tuæ passionis & nostræ redemptionis constituisti, dicens: Hoc facite in meam commemorationem, præsta vt quotidie ista meditantes, nullo die, nulla hora, nullo temporis momento obliuiscamur tui. Apoca. 7.

In eos qui sacramentum malè sumunt. Cap. 18.

CVm igitur tanti emolumenti sit, tantæque felicitatis, vero pane ac vero potu isto vti, non miseri sunt & infelices, qui vel indigni ad sumendum accedunt, vel omnino sumere contemnunt. Indignè autem accedunt, qui pœnitentiam peccatorum, vt debet, non egerunt, nec satis diligentes in confitendis reatibus fuere, neque ab omnibus continendi sese propositum habent. Si conscientia tua te accusat, cur pollutus agni purissimi carnem gustando inquinas? Non culpā sic agendo diluis, sed grauas & in maximum te præcipitas scelus. Audi Apostolum dicentem: Quicunque mā- 1. Cor. 11.
ducauerit panem, & biberit calicem domini indignè, re⁹ erit corporis & sāguinis domini. Probet aūt seipsū homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qu

enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Quid est reum esse corporis & sanguinis domini, nisi illis fieri similem qui saluatorem contumeliis affectum crucifixerunt? Verbis illi petulãtibus insultabant, tu gustu temerario offendis: flagellis illi percutiebãt, tu manibus immundis contrectando violas: crucifigebant illi, tu quotidie peccatorum tuorum aculeis confodere non dubitas: Illi autem vt honestè sepeliretur permisere, tu in foueam feculenti pectoris mundissimum dominum præcipitas. Quamobrem ipse idem in Malachia propheta de talibus conqueritur, dicens: Ad vos ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dicitis in quo despeximus nomen tuum. In eo quod offertis super altare meum panem pollutum. Et dicitis. In quo polluimus te? In eo quod dicitis: Mensa Domini despecta est. Offerimus panem pollutum, quoties impuris manibus oblationem sanctam contrectamus: Et licet illa pollui non possit, nobis tamen nostra imputatur nequitia. Mensam autem domini despectam esse dicere videmur, quoties ad eam contemptim temerarieque accedimus, quasi ad corporis communes epulas inuitati, non ad animæ alimentum singulare. Si ergo mundari se aliquis ita credat & pro delicto satisfacere vehementer fallitur. Immundior enim efficitur ipsa confidentiæ temeritate. Vnde per Ieremiam prophetam à domino arguitur, dicente: Quid est quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas? Profectò (vt diximus) non solum auferent, sed etiam addent, imò si is qui talia præsumit, pœnitentiã non egerit, indies deterius labetur, fietque imbecillior, atque debilior diuina ope penitus destitutus. Proditum est in annalibus regum Iuda, quod palæstini arcam testamenti captam, Azotum detulerint, & in templo idoli Dagon col-

Malac. 1.

Ierem. 11.

1. Reg. 5.

gon collocarint, protinus corruisse simulacrum dicitur, & capite ac manibus fuisse trūcatum. Azotios quoque graui admodum valetudine laborasse, donec Israëlitis arca fuit reddita. Arca ista typus Christi erat, cuius corpus qui indignè contrectat, Palęstinus est: qui gulam malè affectam mittere non metuit, in templo Dagon illud collocat. Corruet igitur ipse & confringetur, truncum fiet inutile capite ac manibus carens, quoniā neque cogitare neque facere poterit, quod ei prodesse queat ad salutem, & cum ad benè agendum nihil sibi superit virium, cum Azotiis ægrotabit, donec agat pœnitentiam, se'que restituat sibi, & pro crimine satisfacere incipiat: quoniam neque tam nequiter delinquēti denegatur locus pœnitentiæ. Habetur in Paralipomenon libro, quod magna populi pars non sanctificata, comedere phase ausa fuerit, sed cum se peccasse dolerent. & Ezechias pro eis orasset, placatus fuisse dominus dicitur. Tibi quoque, cui nunc iratus est, proculdubio placabitur, si te peccati pœnituerit, veniam'que fueris precatus. Omnibus patet ad deum reditus, & reuertenti misericordia denegatur nemini. Quòd si redire neglexeris, & in aliquo flagitio pertinaciter perseuerans, ad sancta sanctorum non timueris accedere, diabolo ad te possidendum perdendum'que, aditum aperies. Nam de Iuda quoque scriptum est, quod post buccellam satanas in eum introiuit: Atq; ita ille maligna suggestione superatus, maturauit scelerate perficere, quod impiè cogitarat, & qui dominicam cœnam ore sacrilego delibare præsūmpsit, factus est domini proditor. Hunc si imitari in gustando sacramēto perges, nōne etiam tibi dicere poterit dominus? Ecce manus tradentis me mecum est in mensa. Et: Væ homini illi per quem filius hominis tradetur. Tradidit illum Iudas impiis Iudæis, tu eundem tradis tibi impuro. Hanc ob rem nisi te correxeris pœnitentiam'que egeris, ac pro 2. Para. 3.

tanta tua temeritate fleueris, acerbissimas quidem & nullo fine concludendas, in inferno pœnas dabis. Sic e-
Leuit. 7. nim in Leuitico scribitur: anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum quæ oblata est domi-
2. Reg. 6. no, peribit de populis suis. Periit & Oza infelix, qui prophanam manum arcæ sanctæ licet labenti, supponere fuit ausus, percussit eum dominus, vt ait scriptura, super temeritate, & mortuus est. Atque vt apertius intelligas, distantia digne & indigne ad sacrosanctum li-
Isaiæ. 66. bamen accedentium, disce quid in Isaia scriptum sit: Hæc dicit dominus deus, inquit: Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis: ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis. Quod si certum est, damnandos esse eos qui impœnitentes decesserint, quanto magis cùm ad impœnitentiam accesserit temeritas indigne communicandi?

In eos qui sacramentum sumere excusant. Cap. 19.

CAEterùm non fortasse minus peccant illi, quibus tametsi vereantur polluti accedere, magis libet abstinere, quàm operam dare ac moliri vt digne accedant. Timent scilicet domino communicare, & eiusdem minas imperterrita aure excipiunt. Ait e-
Ioan. 6. nim: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis. Verentur itaque diuinis libamentis vesci, & in peccato perseuerando deum offendere non verentur. Cõmunicare quidem non debent, nisi rite atque ordine præparentur, sed preparari ita eos oportet, vt communicatione

nicatione digni habeantur. Alioqui & indignè accedens perit propter temeritatem, & accedere nolens damnatur, propter se se corrigendi negligentiã. Quid enim prodest Christum honorare, dum te indignum iudicãs, corpore eius & sanguine abstines, si peccato nõ abstineas, quo ipsum ad iracundiam prouocas, & prudens ac volẽs te illius conuiuio indignum præstas? Omnes certè indigni sumus, cùm nemo sit qui non peccet, nemo cui cum Centurione in Christum credente dicere non conueniat: Domine, nõ sum dignus vt intres sub tectum meum, In eo tamen digni censemur, si pœnitentes, si confessi, si humiles accedimus. Talem cùm te iam esse noueris, accedere ne dubites: ab illo inuitaris, qui omnes conclusit sub peccato, vt omnium misereatur. Talis cùm accesseris, mundaberis: continentior constantiorq́ue efficeris. Denique tu temet longè alium, q̃ qui fueras, esse senties. At verò si etiam rite p̃paratus communicare nolueris (vide quantum tibi incommodi inde oritur) vitam in te nõn habebis. In morte ergo eris? Quid ni? Si vetus quoque lex id testetur, dicens: Si quis & mundus est, & in itinere non fuit, & non fecit phase, exterminabitur anima illa, de populis suis, quia sacrificium domino non obtulit tempore suo, peccatum suum ipse portabit. Tam lege igitur q̃ Euangelio, vt Christo communices compelleris, idipsum insuper ecclesiæ sanctæ edictũ tibi confirmat: Qui pro sceleribus suis, inquit, duobus vel tribus annis non communicant, excommunicandi sunt donec pœnitentiam agant. Valde etiam expauescenda est illa domini sententia, in illos, qui ad cœnam vocati, venire recusarunt, promulgata. Nemo, inquit, virorum illorum qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam. Quod ergo nũc inuitatus gustare negligis, postea cùm maximè cupies, attingere non poteris. Tunc enim erit tempus iustitiæ atque iudicij, nunc est miserationis & veniæ. Præterea

Num. 9.

Lucæ. 14.

si isti, qui flagitij alicuius conscij sacramentum sumere perhorrescunt, damnabiles habentur, quid de illis dicemus, qui omnino contemnunt, & infidelitate quadã lapsi, illo sibi opus non esse asseuerant? De iis quidem ꝑ Osee prophetam ait dominus: Super vinum & triticũ ruminabant, & recesserunt à me. Illi ruminant super vinum & triticum qui Christi sacramentum plena fide non suscipiunt: & dum dubitãt, à Christo quoque alienantur. Quomodo enim Christianus est, qui verbis Christi non præstat fidem. His in Isaia etiam iurat dominus in dextera sua & in brachio fortitudinis suę, se non daturum vltrà triticum neque vinum. Non enim possunt mereri gratiam fructum'que sacramenti, qui vel dubij sumunt illud, vel increduli despiciunt, acrius tandem puniendi quàm qui olim legalibus sacrĩficiis detraxissent, dicente Apostolo: Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus morietur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum dixerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Profectò qui non credunt, conculcant filium dei, non pedibus, sed infidelitate, & sanguinem eius pollutum dicũt non verborum prolatione, quis enim adeo impius est, vt id audeat dicere? sed mentis infidæ auersione ab eo à quo redempti sunt, & spiritui sancto contumeliam faciunt, erga tanta beneficia ingrati & illiberales. Nos demum cum istorum perfidia qui Eucharistiam nolũt admittere, tum ab eorum negligẽtia, qui imparati metuunt, tum denique ab illorum temeritate qui indignè accipiunt, abhorrẽtes omni solicitudine curemus, vt credendo, vt pœnitendo, vt domino in omnibus obediendo, ad tam salutare conuiuium accedamus, in quo & præsentis infirmitatis certissimum est remedium, & futuræ beatitudinis perfecta gloria. Hactenus de

Eucha-

Osee. 7.

Isaiæ. 62.

Heb. 10.

Euchariſtiæ ſacramento, ad quod quoniam ieiuni acce dere ſolemus, non incongruè nunc de ieiunio differemus.

De ieiunio & refectione. Cap. 20.

IEiunium videtur inſtitutũ præcipuè aduerſus carnis noſtræ petulantiam, vt debilitatis corporis viribus turpium voluptatum in nobis laſſeſcat appetitio, quæ certè ſi ſatis domita fuerit, expeditior proniór'que erit via ad benè beatéque viuẽdum. Ieiuniũ igitur non ab re tam veteri q̃ noua lege cõmẽdatur Moſes quadraginta diebus & totidẽ noctib' ieiunus permãſit, quando tabulas fœderis digito dei ſcriptas accepit, quibus ob plebis impietatem confractis totidem dierum noctiúmque repetito ieiunio alias tabulas impetrauit, atque deum ipſum populo qui peccauerat reddidit placatum. Elias propheta cũ etiam ipſe per dies quadraginta nihil guſtaſſet ad montem dei perueniſſe dicitur. Eundem poſtea dierum numerum ſaluator noſter ſuo cõſecrauit ieiunio, quod nos obſeruare quidem eccleſiæ edicto iubemur, quantum fragilitas noſtra patitur ſemel in die comedendo præter illos dies qui dominicæ reſurrectionis memoria feſti feriatíque habentur. Ieiunij autem tempore abſtinemus carnibus atque lacticiniis, quòd in his plus nutrimenti eſſe conſtat ad laſciuiæ incitamenta. Qui verò arctius ieiunãt in refectione, pane & aqua contenti ſunt, aliis abſtinẽt. Sed virium habenda ratio eſt, atque ita ieiunandum, vt corpus non laſciuiat & tamen ad vitæ religioſæ opera poſſit ſufficere. Satius eſt orare in eccleſia, pſallere, laudis ſacrificia offerre, diuina diſcere vel docere, quàm abſtinentia nimia debilitatum, nihil horum poſſe præſtare. His autem omnibus moderata ieiunia conferunt mul-

Num. 9.

3. Reg. 29.

Iere.35. multum, plurimumque iuuamenti subministrant. Vnde quosdam vini vsu se abdicare, vilioribusque cibis vitam sustentare minimè piget. Abstemij semper fuere filij Ionadab (vt in Ieremia est scriptum) & audiunt
Ierem.2. â domino: Nō deficiet viride in stirpe Ionadab, filij Rechab stant in conspectu meo cunctis diebus. Fore se sapientiorem credidit Salomon, si abstemius viueret: &, Cogitaui, inquit, in corde meo abstrahere à vino carnē meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam.
Leuit.10. Sacerdotes tabernaculum intraturi vinum & quod in-
Nume.6. ebriare potest bibere lege diuina prohibentur, dei e-
Ezech.44. nim ministros maximè sobrios esse conuenit. Illis etiā
Danie.1. qui ex voto domino consecrabātur, quos Nazaræos vocabant, prçceptum erat ne vinum gustarent, neq; quicquid ab vua fuisset expressum donec votū perficerēt. Dan, Anania, Azaria & Misahel, cum Babyloniæ captiui essent leguminibus aliti & aqua potati habitiores apparuerunt cæteris, qui vino regisque epulis nutriti erant. Ioanni Baptistæ in deserto locustæ & mel sylue-
1. Timo.6. stre cibus fuit, vinum & siceram non gustauit. Paulus Apostolus Timotheo discipulo scribēs monet, ne aquā biberet, sed modico vino vteretur. Ne quis autem gulę suæ fauens Apostoli patrocinio se defendat, hic qui ab aquæ potu cessare iubetur ægrotabat. Noli adhuc aquam bibere (inquit) propter stomachum tuum & frequentes tuas infirmitates, sed modico vino vtere, hoc est, non multo ad luxuriam, sed modico & aqua diluto ad languidi corporis iuuamentum. Nemo tamen nefas putet vel carnibus vesci extra ieiunium, nisi votum obstet, ne in Hebionitarum incidat hæresim: vel etiam ieiunando vini vsum damnet, ne ipse cum Tatiano Encratidarum autore damnandus iudicetur. Nam dominus & saluator noster his vsus est, vt euangelistæ testantur, & in Chana Galilæę ad nuptias, & Hierosolymis quando pascha cum discipulis celebrauit.

In quo

In quo ostendere voluit, nullum crimen esse si quis his vtatur, nisi cùm ecclesię interdictum vel voluntarium impediat votum. Quisque ergo aut carnis vsu, aut vini potu, aut vtroque spontè se abdicat non quia nō liceat his vti hoc agat, sed quia iuuat, pro peccato satisfaciēdi gratia, corporisque castigandi, vt lasciuiat minus, & contra spiritum rarius insurgat. Hac de causa pleriq; vili admodum victu contenti cibaria delicatioria sibi submmouêre. Ruth mulier, quæ in genealogia Christi censeri meruit, cùm à Booz satis diuite viro hospitaliter acciperetur, panem in aceto intinctum comedisse dicitur, aquam potasse fuisseque saturatam, adeò tunc locupletiorem quoque mensæ luxuria carebant. Ruth.2.
Panibus viginti hordeaceis Elias centum viros, memoratur satiasse, reliquiasque collegisse. Credimus etiam ipsum tali cibo vsum fuisse, qualem aliis apposuit, cui ergo miraculorum operatio concessa fuerat, eum hordeo vesci nan piguit. Ezechiel vt famem futuram partim verbis, partim re atque opere nunciaret, frumentum, hordeum, fabam, lentem, milium, vitiam, per dies cētum quadraginta comedere iubetur: aquam potare. 4.Reg.4. Ezech.4.
At nos fabam ipsam respuimus tāquam Pythagoræ, nō Christi discipuli, nos triticum nisi in similaginem redactū fastidimus, & vnà delicatiora conquirimus, nulla in parte sanctis prophetis istis comparandi. Sed etiam Iohānes plusquam propheta, in matris adhuc aluo sanctificatus, non pepones esitauit, sed locustas: nec vinū gustauit, sed haustas de Iordane aquas. Non grauabunt nos ieiunia nostra, si sanctorum parcimoniam cogitabimus, vt saltem imitari eos non pigeat, quos æquiparare nequimus. Apostoli quoque domini spicas manibus conterentes esuriem sedāt, neque ab hordeaceis abhorrent quos etiam aliis apponere iubentur, cum turbam saturauit dominus: & tunc quidem quinque tantum panes habuerūt, quòd nec ipsis qui duodecim erāt suffi- Iohan.6.

cere

aere potuisset. Vtque apertius quanta illis cura cibi esset intelligas, cum conscensa naui trans fretum irent, obliti sunt (vt in Matthæo legitur) secum panes deferre. Qui enim diuinæ contemplationis dulcedine quotidie satiantur, vix ventri suo tunc prouident, cùm esurire coguntur. Parandi autem victus nimiam solicitudinem dominus quoque extenuat, cum ait: Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur, sed quærite (inquit) primum regnum dei & iustitiam eius, & hęc omnia apponentur vobis, ne quem ergo ad Dei seruitia iturum retardet inopiæ metus, his domini verbis confirmatus in illo spem collocet, non tamen otio & ignauiæ sese dedat. Laborantes ille adiuuat, non desides neque somniculosos, & quoties hominis industria quantum necessitati satis est nequit parare, ipse suppeditat. Agar cum filio per desertum errans cùm vehementer sitiret, angeli indicio puteum comperit, & inde hausta aqua se & puerum à pernicie seruauit. Samson Nazareus, cùm & ipse siti enectus clamasset ad dominum, egressis de molari maxillæ asininæ aquis seruatur, Elias in torrente Carith latens, deo procurante à coruis pascitur. Cùm per deserta Idumęæ arida arenosáque ducerent exercitum Achab & Iosaphat reges aduersus Moabitas, & siti plurimum laborarent, excauarunt scrobes, quæ orãte Eliseo aquis repletæ multitudinem ab imminenti periculo liberarunt. Olim quoque cùm ab Aegypto Moyse duce Hebræi ad terram promissionis pergerent, manna de cœlo esurientibus, aquæ de petra erumpentes remedio sitientibus fuere. Et si deus nunquam defuit, ne delinquentibus quidem turbis, ob eius merita qui illis præerat, quanto minus defuturus est ei, qui relictis omnibus ipsius se se dedicat seruituti? rectè itaque à psalmista est dictum. Iunior fui & senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Et alio in psalmo

Matth.16. Iudi.15. 3.Reg.17. 4.Reg.3. Psal.36. Psal.144.

psalmo, Oculi omnium in te sperant domine & tu das escam illorum in tempore opportuno, aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione. Et alibi, Ecce inquit, oculi domini super timentes eum, & in eos qui sperant in misericordia eius vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Denique abundant qui seruiunt mundo, & tu egestatem times seruiés deo? Pascit ille volatilia cœli, & te quem ad suam similitudinem facere voluit non pascet? Iacta igitur, vt propheta ait, cogitatum tuum in domino, & ipse te enutriet. Quod si tibi ieiunia placebunt, de quibus nunc loquimur, modicus & tenuis victus tibi satis erit, sin verò gulæ ventrique seruies, nihil erit satis. Psal. 32.

Quale debet esse ieiunium, & quæ eius virtus. Cap. 21.

QVale autem debet esse ieiunium docet saluator in euangelio. Cùm ieiunatis nolite fieri, inquit, sicut hypocritæ tristes, demoliuntur enim facies suas, vt pareant hominibuss ieiunãtes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Non verè tristem esse prohibet. Ieiunium enim propriè pœnitẽtiũ est dolẽtiumque pro peccato quod commiserũt, sed simulatè tristari vetat hypocritarũ more, qui omnia ad iactantiam faciunt, vti hominum rumusculos aucupentur, dum sancti dici quàm esse malunt. Ideò nõ veræ gloriæ cui adipiscendæ non student, sed inanis ad quam se totos componunt mercedem recipiunt. Tu autem cùm ieiunas (inquit) vnge caput tuũ & faciem tuã laua ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in abscon so, & pater tuus qui videt in abscon so, reddet tibi, non delibutum vnguentis te incedere præcipit, quod luxuriæ vitium est, sed quia caput tuum Christus est Matt. 6.

ſtus eſt paſce eſurientem, veſti nudum & caput tuum vnxiſti, ait enim, quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Deinde maculas animæ tuæ pœnitudinis fletu ablue, & faciem tuam lauiſti, atque non hominibus ieiunare videberis ſed deo. Tale habetur illud de quo in Iſaia clamantem audimus dominum. Hoc eſt ieiuniũ quod elegi, Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimẽtes, dimitte eos qui cõfracti ſunt, liberos, & omne onus diſrumpe, frange eſurienti panẽ tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam: cùm videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris: hoc eſt, quod dolo interuerteris redde, inopem ære alieno oppreſſum libera, cibum quem ieiunando tibi ſubtrahis, da indigenti, aduenam ſuſcipe hoſpitio, pauperis nuditatem tege, nec contemnas: quia tua caro eſt, præſertim ſi in Chriſto tecum regeneratus eſt, vnum habetis patrem deum, vnum caput Chriſtum, vnum corpus eccleſiam, hoc igitur erit ieiunium electũ, piũ, fidele, ſanctum, de quo Iohel propheta dicit, Sanctificate ieiunium. Non enim ſufficit cibi abſtinentia, niſi & à peccatis abſtineamus, & piis actionibus exerceamur, noſque in omnibus fidei ſynceritate ſanctificemus. Cauendum quoque eſt ne ieiuni contemnamus non ieiunãtes, fortaſſe innocentiores abſque ieiunio, quàm nos cũ ieiunio. Apoſtoli ꝓceptũ eſt, Qui nõ mãducat mãducãtem non iudicet. Malè ab alimentis abſtinet, qui à detractione proximi linguam non coërcet. Ieiunium non ſuperbiæ opus eſſe debet, ſed humilitatis. Qui ieiunando ſuperbit, phariſæorum imitator eſt, & eorum qui Chriſtum adeuntes dixerunt. Quare nos & phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui nõ ieiunãt? Si vis igitur vt ieiunium tuum deo gratũ ſit, nihil tibi ita arroges, vt aliis detrahas, alios ſuggilles, ſed operã da vt cùm Pſalmiſta dicere poſſis. In ieiunio humiliabam animam meam, Porrò ieiunium ipſum quantæ

virtu

Iſaiæ. 38.

Ioel. 2.

Roman. 9.

Mat. 9.

virtutis sit, quantiq; emolumēti, exempla in scripturis diuinis relata testantur, Esdras sacerdos cùm à Chaldęa dimissus Hierosolymam rediret, triduo cùm suis ieiunasse, preces'que pro itinere obtulisse dicitur, votiq; compos factus fuisse. Iosaphat rex Iuda vicibus impar ieiunio & oratione superauit inimicos. Iudith vidua eiusdem armis munita Holophernem Assyriorū ducē interfecit. Et Iudas Macchabęus ingentes gētilium exercitus post triduanum ieiuniū parua manu aggressus, profligauit. Præterea Christus dominus per dies quadraginta nihil gustando, diaboli tentamenta vicit, & cùm dæmoniacum surdum ac mutum curasset, hoc dæmonium, inquit, non eiicitur nisi in ieiunio & oratione. Prodigus filius qui bona scortando luxuriando'que abligurierat tunc ad patrem flagitij sui pœnitens rediit cùm esurire cœpisset. Deus Iudæis placari paratus per Iohelem clamabat: Cōuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu, & planctu: & Niniuitis ieiunantibus pepercit, quos'que minatus fuerat se funditus euersurum, seruauit. Danieli ieiunanti & oranti, Christi venturi mysteria reuelantur. Ieiunium ergo peregrè proficiscentibus iter prosperum impetrat, cōtra hostium vim præualet, dæmonum malignitatem contundit, obscœnæ libidinis cupidinem coërcet, deū placat, veniam exorat, mentem ad cœlestia erigit: postremò per ieiunium atque abstinentiam, ad cœlestem vsque beatitudinem peruenitur. Beati, inquit, qui nunc esuritis, quoniam saturabimini. Et in Ieremia ait: Inebriaui animam lassam & omnem animam esurientem saturaui. Hæc est illa saturitas, quam se consecuturum sperabat Dauid cùm diceret: Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Sancti enim qui se quondam ieiuniis afflixerunt, non esurient amplius (vt Isaias ait) neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. Et in Apocalypsi

Psal. 24. 2. Esdr. 8. 2. Par. 20. Ierem. 2. Iohel. 2. Dan. 10. Lucæ. 6. Ieremiæ. 3. Psal. 31. Isaiæ. 49.

Apoc.21. calypsi dominus: Ego, inquit, sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis. Igitur tu es ille domine, qui esurientes & sitientes tuo solo aspectu satias, tu panis indeficiens, tu fons viuus, Tu da vt tibi placeant ieiunia nostra, vt cùm placuerint, à te tandem tua dulcedine satiemur. Non erit molesta inedia, quam spes eiusmodi futuræ saturitatis cõsolabitur. Tu es farina illa Elisei,
4.Reg.4. qui vel amarissimum ieiunij nostri pulmentum vertis in dulcorem. Omne onus laborum nostrorum leuas istius, quam in te fiximus, spei suauitate. Itaque & cùm ieiunamus, tibi ieiunamus, & cùm reficimur, tibi gratias agimus: & postquàm refecti sumus, te laudamus: quod vt nos doceres, te quoque fecisse meminimus, quando pascha cùm discipulis celebrares. Confitemur enim & quòd ieiunamus, & quòd reficimur, tuum esse beneficium, non nostram virtutem: tuæ largitatis donum, non nostrum meritum. Post ieiunij refectionisque dissertationem, consequens est, vt gulæ vitium quàm detestandum sit consideremus.

De vitio victum delicatiorem exigentium. Cap. 22.

GVlositatis indicium est, in mensa minus lauti apparatus monachi accũbentis mussitatio. Licentioris igitur gulæ sunt, quos non pudet, cęteris in silentio considentibus, corrugare nares, frontem contrahere, os distorquere, & gestu nutúque ipso vel de cibo, vel de potu conqueri. Hic fastidit legumina, ille minutos pisciculos contemnit, alius onera aspernatur, alij cibarius panis odio est, alium vini austeritas offendit, quod si acescere cœperit, stomacho noxiũ argumẽtatur & frigorificum esse medicorum testimonio probare nititur. Eo interdũ impatientiæ quidam procedunt, vt sui

suis præpositis insultent delicatiora exigentes, quàm quibus illi contenti. Carebit hoc vitio, qui eorum vitam victum'que persæpe considerabit, quos deo constat placuisse, memoriter'que tenebit, quid illi in solitudine degentes esitarint, quid've potarint, quibus (vt Hieronymus ait) coctum aliquid accepisse luxuria videbatur, qui etiam languentes aquam frigidam, sicut de fonte hausta erat, bibebant: ac tam procul à vino q̃ ab vrbibus aberant. Nunc tanto magis deo fruuntur, quanto continentius vixerint. Rursum pensitare proderit, quantum deliquerant illi, qualiter'que à deo mulctati sint, qui ob gulæ incõtinentiam in Moysen murmurauerint. Profecti ab Aegypto ibant cum illo per solitudinem: & cùm esurirent, manna de cœlo pluẽte aliti sunt: & cùm sitirent, aquis de petra eductis potati. Deinde postquam manna contempto, Aegyptias dapes concupiscent, coturnicum vis ingens castra operuit: quarum carnibus ad nauseam vsque satiati, malæ concupiscentiæ proteruæ'que murmurationis, qua & deũ & Moysen ducem suum offenderant, pœnas dedere. Nã vt in psalmo dicitur: Adhuc escę eorum erant in ore ipsorum, & ira dei ascendit super eos, & occîdit pingues eorum, & electos Israël impediuit. Nemo igitur sibi tutum putet, non contentari iis, quæ deo largiente in monasterio habentur, vel ob hoc patres incusare, quod ipse minus copiosè abundet, cùm necessaria suppetant. Paupertatem professus es, & copiam exigis? obedientiam vouisti, & maioribus audes esse molestus? quid amplius quærere s in seculo, quàm quod concupiscis in monasterio? Si monachi geris indumẽtum, cur dissimilem habes effectum? Memento quia religionem ingressus es, vt deo seruias, & ventri seruire desinas. Nunc de illis dicam, quos ieiunij grauat obseruatio, qui vel malè ieiunant, vel omninò non ieiunant.

Psal. 77.

Psal. 77.

De vitio malè ieiunantium. Cap. 23.

Zach.7. MAlè ieiunantes arguit dominus, dicens: Cùm ieiunaretis & plangeretis, nunquid ieiunium ieiunastis mihi? Non enim domino ieiunant, qui exquisitis dapibus poculisque mensam opimant, & nō corpus affligere, sed gulæ blandiri student. Non deo ieiunant, qui ab escis tantum se continent, & vitia non derelinquunt. Non denique deo ieiunat, qui ieiunio se satisfacere putant, & dei præcepta implere negligunt. Quid enim prodest, corpus tenuare abstinentia, & prauas cupiditates ab animo nō euellere? Si sic ieiunas, non Christum imitaris, sed diabolum: qui certè neque comedit neque bibit, & tamen nunquam à sua peruersitate resipiscit. Sicut nec illi, quibus lamentantibus, quod ieiunando calamitatem nequirent àuertere deus respō dit: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra,
Isaiæ,58. & omnes debitores vestros repetitis, ecce ad lites & cōtentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Sicut ergo aurum luto sordidatum non splendet, ita nec ieiunium efficax est ad deum placandum, si vitia non cessant.
Ierem.14. Ob hoc sanè ad Ieremiam clamat dominus. Noli orare pro populo isto in bonum. Cum ieiunauerint, nō exaudiam preces eorum, & si obtulerint holocausta & victimas, non suscipiam ea. Quòd si propter vnum Ionatham, qui contra Saulis patris interdictum parū
1.Reg.14. mellis gustauerat, deus iratus non dedit responsum, quomodo eum exaudiet, qui suæ ecclesiæ iussa contemnit?

De vitio ieiunare nolentium, vētrique indulgentium. Cap. 24.

Quamuis

QVamuis autem aliquis in voluptatib⁹ flagitiisq; perseueret & obduret, si tamen cum iubetur ieiunat, futuræ emendationis nonnulla spes est. Nõ est enim in illo penitus extinctus dei timor, qui vel hac vna in re formidat non obtemperare. Sed quid de illorum obstinatione sperare licebit, qui cùm nihil boni agant, ne ieiunare quidem volũt, & dũ gulæ indulgẽt, indictã quoq; ab ecclesia abstinẽtiã irrident? An ignorant quod ecclesiæ mandatũ, dei mãdatũ sit, dicẽte domino: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: & qui me spernit, spernit eũ qui me misit. Dũ igitur vẽtri suo, q̃ deo nostro malũt obedire, deus eorũ venter est, quod huic suadet, sequũtur: quod autẽ deus noster iubet, contẽnunt: neq; eos pudet gulæ suæ fieri mãcipia, cuius dominos esse cõuenerat. Quid tãdẽ impunè ne id sibi futurũ sperãt, quòd nulla re impediti nisi gulæ vitio, ieiunare ne iussi quidem volunt? Sed si viro dei misso in Bethel, cui mãdatũ fuerat, ne quid ibi gustaret donec redisset, semel præterisse mandatum nõ fuit impune, quomodo hi non punientur, qui nunq̃ parent? Ille sedens adhuc ad mensam, à domino sibi dictũ audiuit: Quoniam non obedisti sermoni meo, non inferetis in sepulchro patrum tuorum. Cum'que rediret, à leone in via oppressus, occiditur: & ab hominibus ibidem tumulatur, & hi qui assiduè peccant, nullo prorsᵘ ieiunantes die, ne scilicet si quando non cœnitent, inedia extinguantur, dei vindictam non verẽtur? Ille quidem ab altero deceptus, prandium cum ipso iniit, ignoranter'que peccauit, & talia passus est. Hi verò cum scientes volentes'que delinquant, nihil supplicij sibi infligendum arbitrantur? Cur ergo, inquiunt, leonis morsibus non laceramur? Quibus respondendum est, quia non estis viri dei sicut ille, qui leni mortis genere, pro reatu satisfecit, vt spiritus saluus fieret, sed estis serui diaboli. Atque ideo non syluestribus feris

Lucæ. 10.

3. Reg. 13.

laniandi tradimini, vt postmodum infernalibus bestiis proiecti, pœnas luatis acriores. Non enim æqua vel similis puniendi ratio iustos & iniustos, pœnitentes & obduratos. Alteris temporaria debetur animaduersio, alteris æterna. Quidam ita gulæ ac ventri dediti sunt, vt ne tempus quidem comedendi obseruent, prandia præuenire soliti ientaculis, cœnas merendis quorum

Prouer. 10. immodestiam Salomon arguit, dicens: Væ tibi terra, cuius rex puer est, cuius pricipes manè comedũt. Corrumpunt enim reliquos exemplo, qui magistratum adepti turpiter viuunt. Econtrario autem frugalis vita p̃sidium, omnibus continentiæ lex est, & virtutis incitamentum. Ideò consequenter dicitur: Beata terra cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam. Profectò non hominum, sed pecudum vita est habere incerta comedendi tempora, passimque pasci, quasi qui nunquã

Dani. 14 satientur, & edaciores idolo Bel bibacioresque exiſtãt: si tamen idolum illud tantum in die cõsumpserit, quãtum mentiti sunt eius sacerdotes: hoc est, similæ artabas duodecim, oues quadraginta, vini amphoras sex. Sed tamen potatus huius atque obliguritionis intemperantia tolerabilior foret, si rerum solummodo iacturam inferet, & non etiam corporis atque mẽtis. He-

2. Reg. 16. la Samariæ rex cùm se vino ingurgitasset, zambri serui insidias cauere nesciuit. Itaque sibi vitam, posteris regnum amisit, seruo illud occupantè, prole quoque do-

Dani. 5. mini sublata. Balthasar Chaldæorum rex quo die vasis, quæ de templo Hierosolymitano sublata fuerant, in celebri conuiuio præpotauit, eodem occisus est, sacri

Iudit. 13. legioque addita ebrietas finem vitę fecit, Holofernem Assyriorum ducem, qui viris armisque tam potẽs fuit, vt quocunque se verteret, vrbibus, prouinciis, regnis terror esset, epulis vinoque grauem vnius fœminæ manus interemit, & quem vincere externorum vires non

poterant,

poterant, crapula victus, tam ignominiosa nece periit. Vis insuper nosse quàm turpis quàmque perniciosa res sit ebrietas? Noë primus vineam plantauit, vinoque infatuatus, pudendis detectis, iacuit indecorè, ita vt vni ex filiis risum moueret. Loth autem inebriatus incestũ commisit, & de filiarum cõcubitu liberos suscepit, ignarus quænam essent illæ cum quibus concumberet, neq; fortassè quid ageret, cùm inter dementem & ebrium, nullum discrimen sit, nisi quòd alter altero facilius curetur. Tutius est autem secretum aliquod committere stulto, quàm ebrioso: neuter scit arcanum celare, stulti tamen verbis nemo adhibet fidem, ebrio magis creditur. Ad hæc inter compotantes frequẽter leuissima de causa exurgunt rixæ: concertationes, vulnera, cædes. Vnde Salomon in Prouerbiis ait: Qui dimittit aquã, id est, qui mero vino vtitur, caput est iurgiorum: & antequam patiatur contumeliam, iudicium deserit. Cui sententię congruit, quod in Osee propheta legitur: Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor. Cùm autem sola ratione distemus à brutis, ea sublata, quid reliquũ est, nisi vt bestiis annumeremur, & amisso corde, vecordes excordesq;, id est, demẽtes dicamur & simus. Teterrimũ est in vita talem notã pati, sed lõgè infelicius vita mox defunctos ad æterna destinari supplicia. Apostolus enim ad Corinthios scribens, affirmat: quod ebriosi regnum dei nõ possidebunt, cum damnatis ergo cõputabuntur. Nam hi soli sunt, quibus nulla exeũdi de carcere spes est. Idcircò alibi idem hortatur, dicens: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: hoc est, vino quod gulæ blanditur, & impudẽter lasciuire cõpellit. Quãobrem etiam dominus ita affectos ad pœnitentiam reuocat per Iohelem prophetam, & ait: Expergiscimini ebrij & flete & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine. Pœnitere autem nolentibus per Ieremiam minatur, dicens: Bibite & inebriamini, & vomite, & cadite,

Gene. 9.

Gene. 19.

Osee. 4.

Iohel. 1.

Ierem. 25.

dite; neque surgatis à facie gladij, quem ego mittam inter vos. Gladius hic iustitia dei est, quæ breuissimã vitæ huius voluptatem vno ictu mutat in perennem amaritudinem. Hoc ipsum idem dominus etiam in euã-
Mat. 24. gelio testatus, ait: Si dixerit malus seruus in corde suo morã facit dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibet cùm ebriosis, veniet dominus serui illius in die qua non sperat & diuidet eum partemq́ue eius ponet cum hypocritis illic erit fletus & stridor dentium. Vbi sunt qui pœnæ dilationem impunitatem rati licentius peccant? Non pœnam peccatorum remittit iustus iudex, sed conuersionem expectat misericors dominus. Quo diutius sustinet, eo acerbius in obduratos animaduertet, fletum irrogabit pro risu, pro gulæ oblectamento dentium stridorem. Quæ supplicia tunc demum futura quidam dicunt, cùm in fine seculi hominum animæ suis iunctæ corporib⁹ fuerint. Ego verò etiã ea significari reor, quæ tunc erunt impio, cum primum diuidi eum à corpore contigerit. Non quod animæ dentes osseos, aut oculos habeant carnales, sed quod inter viuentes acerrimus dolor fit, qui hominem flere & dentibus inter se collisis, stridere cogit. Vt ergo intelligas pœnarum grauitatem quæ sunt in inferno, per eius pœnæ similitudinẽ tibi loquitur, quàm in hac vita grauissimam esse non ignoras. Hæc autem consuetudo est diuinæ scripturæ, vt spiritalia quæ non intelligimus, per corporea quæ nouimus, nobis insinuet. Maxima enim summaq́ue esse, & in paradiso gaudia, & in inferno supplicia credẽdo confitemur, quanta autem vel qualia sint fando explicare nescimus, & si maiora sunt quàm dici queant, omissis omnibus hæc sola cauere, sola illa maximè expetere debemus.

De remedio crapulæ. Cap. 25.

Igitur

IGitur quoties tibi in conuiuio esse contigerit, vbi & vina pretiosa & sapidę exquisitę'que dapes proponantur, ne talium dulcedine captus ad intemperantiam declines, cogita quanto dulcius iucundius'que sit, deo frui, quàm istis obrui. Rursum cum tibi molesta esse cœperit abstinentia, mente reuolue, quanto molestius sit in inferno torqueri, quàm hîc vêtri multa exigenti modica tribuere. Ita enim & quæ grauant æquo animo perferes, & ab iis quę perniciosa suauitate demulcent, prudenter cauebis, hortante præsertim domino ac dicente: Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate & curis vitæ huius, & superueniat in vos repentina dies illa. Horũ profectò quæ tibi proponimus modo, si memor fueris, iam cautior continentior'que factus neque cum filiis Heli carnes de cacabo rapies, ne deum offendas & morte mulcteris, neque cum Esau pro edulio lentis primogenita tua vẽdes ne patris benedictionem amittas: neque cum Israëlitis iurulentas Aegypti concupisces, ne in deserto intereas & ad terram promissionis transire non possis: neque cum Adamo & Eua ieiunij tempore vetitos cibos attinges, ne de paradiso eiectus miseriis obruaris. Immodicæ autẽ comessationis potissima mala sunt, quòd futurorum bonorum quæ in deo sunt cogat obliuisci, dum præsentibus delinit ac blanditur dicente domino. Cũ comederint & saturati crassi'que fuerint conuertentur ad deos alienos & seruient eis, quod etiam castitati aduersẽtur, & in libidinem pronos reddat: de quo in Ieremia conqueritur deus, & ait: Saturaui eos & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabãtur, equi amatores in fœminas & emissarij facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Et in Ezech. Ecce (inquit) hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis & abundantia & otium ipsius. Quanto igitur melius penuriam pati & continentiæ

Lucæ. 21
1. Reg. 2.
Gene. 25.
Exod. 16.
Gene. 3.
Deut. 31.
Iere. 5.
Ezech. 16.

virtute abundare, quàm copia rerum affluere & turpis luxuriæ sordibus inquinari? quanto præstabilius obseruandis ieiuniis operam dare, & abstinentia superbiam fastum'que contundere, quàm crapula inflatum neque bonorum neque malorum quæ futura sunt meminisse, & à deo recedere? Quod crimen illorum fuit, in quos p

Amos.6. Amos prophetam exclamat deus: Væ vobis qui opulenti estis in Sion & confunditis in montem Samariẹ, optimates capita populorum ingredientes pompaticè domum Israël. Quod hîc de opulentis in Sion est dictum vtinam de opulentis Christianæ ecclesiæ dici non possit, ne quis nouus Nabuchodonosor meritò in illos irruat, & peccatis ita exigentibus aurum argentum'que omne diripiat, & ad suam cuncta transferat Babylonẽ quæ non in vsum rei diuinæ, sed magis in opera diaboli verti solent. Hoc est in popinas ganeas'que & obscœnam corporis voluptatem luxum'que vitæ citò finiendæ. Quicquid tamen futurum sit, hoc nobis relinquitur solatij, quod licet vrbes regna'que destruantur, ipsa Christi religio, nullis hominum viribus poterit aboleri. Quamuis cuncta defecerint, illa cui neque portæ inferni præualere queunt, non deficiet, & hęc est victoria quę vincit mũdũ, fides nostra. Quæ si obteri vnquam potuisset, prius (vt equidem reor) pedibus multorum qui præsunt, quàm eorum qui persequũtur, obtrita fuisset. Plurimi quippe ideo clericatum profitentur, & ecclesiasticas ambiunt dignitates, vt ditentur, & cùm ditati fuerint vt deliciis voluptatibus'q; fruãtur, quib⁹

Iohan.6. in euangelio respondet dominus, Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis. Et quoniam voluptuariam vitam ęterni supplicij dolor sequitur, iisdem

Lucæ.6. dicitur, Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.

De perseue-

De perseuerantia virtutum.

Cap. 26.

CVm autem omnis capessendarum virtutum labor incassum cederet, nisi ex præsidio perseuerantia foret, hoc veluti opportuno dictarum dicendarum'que rerum loco eam inserere operæprecium erit, vt qui hacten⁹ dignè laudabiliter'que versati sunt, intelligant, neque deinceps sibi cessandum, donec ad finem vsque peruentum fuerit, qui enim perseuerat vsq; in finem hic saluus erit. Ad perseuerantiam nos hortatur Apostolus, cum ait: Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium, sic currite, vt comprehendatis. 1. Cor. 9. Frustra enim præpeti fertur cursu, qui antequam metã attingat, victus lassitudine subsistit. Frustra benè cœpim⁹ nisi & benè finierimus. Naufragiũ patiatur necesse est, qui quamuis recto cursu suis'que ventis diu nauigarit, ante cùm ipsa naui in Syrtibus vel in latentibus hæsit saxis, quàm ad portum est perductus. Postremò neque fabri, neque architecti, neque cuiusquam artificis opus, nisi cum perfectum fuerit, iure ac meritò laudari potest, tunc demum de illo probè prudenter'que iudicatur, cùm iam omni ex parte cernitur absolutum. Ita neque nobis proderunt sanctiores vitæ initia, si cœptis non responderit finis: si (vt quidam ait) mulier formosa supernè desinat in piscem. Idcircò Apostolus: Bonum facientes (inquit) non deficiam⁹. Et iterum, Nolite deficere benefacientes. Galat. 6. 2. Thes. 3. Audi quid propterea tibi Salomon sapientissimus de muliere forti, id est, anima cõstãti & in proposito boni honesti'que firma, in qua cor viri sui Christi domini confidit, nobis exponat ac prædicet. Reddet, inquit, ei bonum & non malum. Prouer. 31. Qui enim deum timet, qui'que beneficiorũ eius est memor, ne in-

ne ingratitudinis arguatur, pro bono reddit bonum, & quoniam non est satis vel diu reddidisse, nisi semper reddas, continuò subiunxit, Omnibus diebus vitæ suę. Vis nosse talis animæ quę sit merces: Non extinguetur, inquit, in nocte lucerna eius, non timebit à frigoribus niuis, fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo, hoc est, cum potentissimi quondam reges nudi ac debiles ante tribunal iudicis ingenti timore trepidabunt, illa tunc in Christo exultabit & ridebit, & iam certa de præmio ipso, de quo dicitur: Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius. Opera vtique in quibus perseuerauit, in ipso paradisi ingressu extollant illam, & spiritibus angelicis beatorum'que coniungant choro, vt quæ indesinenter deo seruiuit, iam indefinenti felicitate perfruatur. Quis est, qui dum tantæ mercedis magnitudinem æstimat, laboris sui tædio afficiatur? & non potius semper se minus fatigari agnoscat, quàm vt mereri possit quod sibi sperat. Attende igitur non solùm ea quæ recepisti, sed etiam quæ promissa sunt, & demum in eo quod benè cœperis, perpetuò perseuerabis pariter'que cum Zacharia sacerdote in euãgelio dicens: Seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus

Lucæ.1. nostris. Primo quidem in fide perseuerandum est, ne labescente fundamento, quicquid superædificatum fuerit, corruat. Nam sicut fides absque operibus mortua est, ita opera sine fide vana sunt, & licet tẽporaria mercede non fraudentur, æterna tamẽ remuneratione pri

1.Iohan.2. uantur. Fidei autem perseuerantiam Iohannes Apostolus nobis commendat, dicens: Quod audistis ab initio, in vobis permaneat: quia si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, & vos in filio & patre permanebitis. Dominus etiam in Apocalypsi, Esto fidelis inquit,

Apoc.2. vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitę. Deinde in spe quoque perseuerandum est, vt sicut per fidem

ita &

ita & per spem habitet in nobis Christus, Habemus enim Apostoli testimonium affirmantis nos esse domum Christi, si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus. Postremò in charitate etiam assiduè est versandum, quia deus charitas est, & qui manet in charitate, in deo manet & deus in eo. Ab his ergo tribus virtutibus nunquam est cessandum, quia certissimũ vinculum sunt, quo deo coniungimur & copulamur, nũquam ab illo recessuri, si in his vitam finiri contigerit. Has autem virtutes nequaquam esse otiosas noueris, qui enim in deum credit, & in deo sperat, & deum diligit, hic quotidie agere studet, quicquid ei gratum acceptum'que fore confidit. Assiduus est in oratione, semper patiens in aduersis, in omnibus dei mandatis pꝑetuò se exercens. Quantum autem in offerendis precibus perseuerare prodest. testis est Cananęa mulier, quæ repulsa non recessit, despecta, sustinuit: & dum suppliciter orando perseuerat, facta est voti sui compos, dicente domino, Fiat tibi sicut vis. Testis est Barthimæus cæcus, cuiꝰ pseuerans clamor oculos ei quos nõ habebat, impetrauit. Increpabatur vt taceret, tãto ille magis clamabat, Fili Dauid miserere mei, ab hac precatione non cessauit, donec visum recepit. Testes sunt & Apostoli, de quibus est scriptum, Omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu & fratribus eius. Denique testis est ipse saluator noster & dominus, qui vt precibus instare suo nos doceret exemplo, & pernoctasse in oratione dicitur, & factus in agonia prolixius orasse. Quantum præterea ærumnas laboresq; & cuncta seculi huius incõmoda æquo animo tolerare iuuat, ipsi idem Christi discipuli nobis documento sunt, quibus ipse dixit. Vos estis qui permansistis mecũ in tẽtationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meꝰ regnũ, vt edatis & bibatis sup mẽsã meã ĩ regno meo, & sedeatis

Heb.3. Matth.15. Mar.10. Actu.1. Luc.6. Lucæ.22. Luc.22.

super

super thronos duodecim tribus Israël. Ad hæc omnino necessarium est, si salui esse cupimus, vt in omnibus dei præceptis perseueremus, cauendo illa quæ vetantur, quæ iubentur faciendo. Beatus est qui cum Psalmista dicere potest, Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Et iterum. Custodiam legem tuã semper & in seculũ seculi: Difficile est profectò per omne vitæ tempus eundẽ se præstare, & in nullo deficere. Quoties ergo aliqua diuerticula patitur fragilitas, quàm citò fieri potest, ad iter cœptum redeat nondum penitus labefacta virtus, ne lõgiore deuiatione aberrantibus vix vlla in viam redeundi potestas sit, postquàm præsentium voluptatum delectatio vsum fecerit, vsus habitum, habitus naturã. Nec tamen si hoc acciderit desperandum erit. Nihil est ita induratum, quod tundendo non infringat pertinax opera. Steriles campos assiduus agricolæ labor fœcundos reddit. Infructuosæ quoque arbores in pomiferas mutantur solerti insitione. displicere tibi incipiat quod patre tuo relicto in regionem abieris longinquam, & ad reditum te para. Volenti atque conanti, pietas aderit diuina, manumque porriget, & te à malis liberabit ne pereas. Ex pecude tandem in hominem versus, in his quæ dei sunt assuescere incipies, assuefactus perseuerabis, perseuerans vinces, victor coronaberis. Talem se Paulus Apostolus exhibuerat cũ diceret: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex, non solum autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius. O felicem illius perseuerãtiã, cui in fine cum Paulo sic gloriari licebit, & cum eodem sic sperare. Huic perseuerantiæ virtuti contrarium vitium est animi inconstantia volubilitasque mentis: quæ quàm fugienda sit, docere ope diuina fretus nunc enitar.

Psalm. 118. Psal. 118. 2. Tim. 4.

De leuita-

De leuitate ad vitia relabentium. Cap. 27.

PErniciosa quidem res est, de proposito vitæ honestioris decidere, & ad voluptariam rursum conuerti, de bono malum fieri, de iusto iniustum, de innocēte peccatorem, & felicitatis futuræ spem in metum commutare pœnarum. Ad eum igitur qui talis est, nunc nostra conuertantur oratio. Diabolo & pompis eius renunciaueras, ad ecclesiam confugeras, castitatem, humilitatē, paupertatem professus fueras, vt te dei seruum exhiberes cur iterum contempta desideras, relicta repetis, ad seculum vnde fugeras reuerteris, & mortiferis eius deliciis frui concupiscis, vt satanæ seruias? Iam securus vitæ finem præstolabare, iam mortis metu liber eras, iam nulla te mundi terrebant aduersa, cur te rursum subiicis præsentis vitæ miseriis? vt quoties te conscientia tua reprehenderit, toties contremiscas, & ad omnem febriculæ vel alterius cuiuscunque morbi accessum formides, & ad omnes imminentis periculi minas animum demittas ac pauites, non tā mortis metu quàm tormentorum. Plantauerat te dominus vineam electam, semen verum, quomodo conuersus es in prauum, vineaque factus aliena, non domino fructificans, sed dæmoniis? Ciuitas eras plena populo spiritualium bonorum, quomodo mutatus est in solitudinē? Thren. 1. Anima tua gentium erat domina, sensibus imperans, & omnes eorum affectus subdens rationi, quomodo facta est quasi vidua non habens virum, cuius consilio sapientiaque regatur? princeps fuerat prouinciarum, quia inter probatos quoque ac pręstantes eminebat, nunc autē facta est sub tributo, soluitque vectigal principi tenebrarum: non iam quomodo oportet, sed quomodo ille

suaserit

ſuaſerit viuens. Lucerna eras lucens omnibus qui in domo ſunt, extincto lumine, multorum de te obloquentium morſibus pares. Cœli denique ſtella videbaris, & in terram cecidiſti, vt fulgorem qui in te fuit, in tenebras conuerteres, & de te quoque dici poſſet: Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer qui manè oriebaris? Corruiſti in terram, cœleſtib⁹ terrena, æternis caduca pręferendo. Spiritu enim cœperas, & carne conſummaris. Supra firmam petram ædificabas, vt peracto virtutum ædificio, ad cœleſte regnum cõſcenderes, beatitudini ſempiternæ bona poſſideres: & nunc repentè mutato propoſito ædificata deſtruis & diſſipas & de ſolida petra ad fluidam mollem'que harenam tranſgrederis, in qua non potes conſiſtere, nedum ædificare, in qua quicquid extruere niteris, corruit: & cum nihil omnino inter mundanas voluptates firmitatis, nihil ſtabilitatis exiſtat, illę quoque te deſtituent, te'que ſublato omni ſuſtentaculo protinus in profundum ruere permittent, vt qui nunc mundi affluis luxuriis, mox calamitatibus afficiaris æternis, dicente domino per pro-
Ezech. 18. phetam: Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationès, quas operari ſol et impius nunquid viuet? Omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non erunt in mèmoria. In præuaricatione qua præuaricatus eſt, & in peccato ſuo quo pec-
4. Pet. 8. cauit, in ipſis morietur. Hac ſanè de cauſa & Petrus Apoſtolus de eiuſmodi hominibus loqués: Melius, inquit, erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti. Cùm igitur in tanto te periculò conſtitutum perſpicuè intelligas, dum licet, dũ vita ſuppetit, dum pœnitenti tempus ſupereſt, errorem tuum corrigere feſtina, & eo vnde receſſiſti, te q̃primũ refer, opuſ'que illud quod ſtultè admodum demolitus es, inſtaurare ſtude, neque te vltrà in aperta mittas pericula, cum ad tutum regreſſus fueris. Non eſt aptus re-

gno dei, qui aratrum tenens post tergum respicit. Vt quotidie proficias conare, vt semper boni aliquid agas enitere, & deficere desines. Aliorum exemplis disce cautius incedere: Sauli regi fauit deus, quàmdiu ille legi eius obediendo vixit. Post biennium regni sui innocenter exactum à mandatis diuinis desciuit, & deo vlciscẽte translatum est de domo familiaque eius regnum, ipse hostium vi oppressus, periit. Ioaz & ipsum Hierosolymæ regem, donec Ioiada sacerdos vixit, piè sanctéque regnasse constat: postea verò insolenter elatus, adorari se iussit, deum reliquit, idola simul cum suis coluit. Quamobrem illi ab inimicis victi, pœnas dedere, ipsum verò dum in lecto distentus recumberet, serui inuadentes trucidarunt. Quid Iuda Scariotho felici9, cùm ad apostolatum fuit electus, cùm potestatem accepit morbos curandi, mortuos suscitandi, dæmoniis imperandi? Quid eodem illo deinde miserius, cum ex fideli cœperit esse infidelis, ex domestico fugitiu9, ex apostolo proditor? Auaritia superatus dominum suum vẽdidit, & qui dęmonia pellebat, dæmonio subiicitur. Eo enim cor eius ingresso tam grande scelus commisit, veniámque desperauit, & laqueo sibi mortem consciuit. Patet igitur quid de illo mistellione sperandũ sit, qui dum diu egregiè magnificéque sese gesserit, ad flagitia deinde conuersus, ab iis non discedat, cum præsertim pręter iam dicta exempla etiam scriptum sit: Qui trãsgreditur à iustitia ad peccatum, deus parauit eum ad romphæam, hoc est, vindictam: romphæa enim teli genus fuit apud Thracas, vt scriptores tradunt, etsi iam ad supplicia destinatus sit, qui sic transgressus est, quomodo euadet? Quoties ergo ab ipso sãctioris vitę curriculo ad impudica ĩhonestáq; diuertimur, valdè quidem verendum, est, ne fortè iam iudicati simus, præsertim si pœnitentiam agere & ad priora redire negligimus. Primum ergo totis viribus enitendum erit, vt

1. Reg. 13

Iudas

Eccle. 26

cùm

cum iugum domini subierimus, in proposito perstem', deinde si quando delirare contigerit, citò rursum dire cto vomere coeptam arationem prosequi studeamus, ne forte si moram fecerimus. Herodi similes simus, qui viso Iesu, ingenti affectus lętitia, plurimi'que ipsum fecit, mox ast mutata in contrariũ volũtate, contempsit atque illusit: Vel ne pares inueniamur Iconiis, qui Paulũ & Barnabam primitus pro diis habuerunt: deinde lapidum ictibus impellentes, ciuitate veluti inimicos eiecerunt: ne etiam simus arundo vento agitata, & de nobis dici queat: Viæ eorum tenebræ & lubricum. Non est mutatio ista dexterę excelsi, sed morphosis diaboli. Non ergo simus populus ille, qui (vt Ieremias ait) dilexit mouere pedes suos, & non quieuit, & domino non placuit, sed simus illi, de quibus in Psalmo dicitur: Laudate serui domini dominum, qui statis in domo domini, in atriis domus dei nostri. Stare enim iustorum est, mouerę autem pedes, & huc atque illuc titubantibus vestigiis vacillare, proprium peccatorum est, non simus igitur sicut lunaticus ille de Euangelio, nunc cadens in ignem, nunc in aquam, sed simus templi sancti columna Iachin, quæ interpretatur firmitas. Qui enim sic stabilitus fuerit, poterit dicere cum cõstantissimo viro Iob. Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Prętereà meminerimus præceptum esse: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, Infestet licet antiquus hostis, insidietur, tendat laqueos, venena melle oblita propinet, & omnibus nitatur fallaciis, nos tamen à lege præceptis'que domini nostri nusquàm recedamus, nos nihil seruituti, q̃ semel deo obtulimus, præferendum existimemus. Quia seruitus ista omni terrena libertate iucundior, vtilior, gloriosior est. Hanc ne deseramus, occurrant semper menti nostræ saluatoris monita, dicentis: Qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non descẽdant

Acto.14. Psal.34. Ierem.14. Psal.134. Mat.17. 3.Reg.7. Iob.27. Eccle.10. Mat.124.

dant tollere aliquid de domo sua,& qui in agro,nõ reuertantur tollere tunicam suam. Iudæam Hebraicorũ nominum interpretes confessionem sonare dicũt.Qui ergo Christum confitentur,ad virtutum excelsitudinẽ ascendere curet,eundẽ imitando,qui in se credentibus vt sua sequãtur vestigia,iubet.Et qui in tecto sunt,hoc est,qui ad summa iam peruenerunt,non descendant,ne conuersationis pristinæ sordibus inquinentur . Et qui in agro vitæ actiuæ operam patri familias locauerunt, non reuertantur tollere tunicam suam , ne rursum inutilem otiositatem,quam recusarunt,induant:& labore intermisso,promissæ mercedis denarium amittant. Horum autem hæc summa est , vt cũ relictis vitiis virtute proficere cœperimus diuinis obtemperando mandatis,rursum ad vitia nõ relabamur, ne prouerbio detur locus:Canis reuersus ad vomitum,& sus lota in volutabro luti. 2.Pet.2.

LIBRI II. FINIS.

EVANGELISTARII MARCI MARVLI LIBER III.de his agens,quæ congruè ad spei titulum rediguntur.

De prudentia & simplicitate. *Cap.* I.



VT autem in his quæ bona sunt, constãter fideliterque perseueremus,prudentia nobis opº est. Opportunè igitur de hac virtute nunc differemus : quæ vt virtus sit ab omni subdolæ mentis malignitate aliena esse debet,vt ne quem offendas,

ioffendas, sed cũ tibi, tum aliis prodesse possis. Obserua
gitur & opere implere contende domini præceptum
Mat.10. dicentis: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices
sicut columbæ. Prudentiæ simplicitatem coniunxit,
quoniam altera alterius auxilio indiget, vt vtraque si-
bi constet, & vitio careat. Nam simplicitas absque pru
dentia erroribus patet. Prudentia sine simplicitate in
fraudulentiam calliditatem'que mutatur, & vitio supe
rata, virtutis nomen amittit. Ne quis ergo fallendi a-
stutiam, prudentiam esse putaret, prudentem simplicẽ
oportere esse dixit. Et rursum, ne quis incauta simpli-
citate contentus esset, eam prudentiæ comitem esse de-
bere monstrauit. Igitur prudens eris, quoties lectioni-
bus incumbis, si vtilia eligas, inutilia relinquas, & ser-
pentis fueris industriam imitatus, quem aiunt auibus
solidis deuoratis ossa euomere, carnes verò, quarum ci-
bo vitam sustentat, retinere. Simplex eris, si inter le-
gendum nihil quod orthodoxæ fidei repugnet senties,
& quæ tibi repugnare videbuntur, quàm intelligentiã
habeant, doctum aliquem ac fidelem virum interroga-
bis, & eius expositioni acquiesces. Ita semen cadens
in terram bonam, fructum afferet, vt cum diceris
alios doceas. Prudens eris, si ab iis quæ tibi nocumento
esse potuissent, cauebis ac fugies. Omni custodia custo-
Prouer.4. di cor tuum, inquit Salomon. Si vbique periculum ti-
mueris, vbique periculo liber eris, prudentiæ'que lau-
de dignus, cùm timenda sapienter vitare noueris. Vt au
tem & simplex sis, non in te sed in deo confide. Hoc est
Prouer.10. enim illud quod in Prouerbiis est dictum: Qui ambu-
lat simpliciter, ambulat confidenter, qui verò depra-
uat vias suas, manifestus erit. Prudentiam seruabis, cũ
prius rei quam aggressurus es, exitum consideraueris, &
cuncta consilio ac ratione fueris immensus. Turrim in
Lucæ.14. euangelio ædificaturus, prius computat sumptus, ne po
sito fundamento & deficiente pecunia opus imperfe-
ctum

ctum cogatur relinquere, probroque pateat, dicentiũ: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare, Simplicitatem custodies, si nihil ad iactantiam, nihil ad inanem gloriã feceris, sed quicquid agas, ad dei laudem tantum deique gloriam egeris, & pro benefactis ipsi gratiam, sine quo nullum fit bonum, habendã duxeris. Prudens es, si conscientiam tuam quotidie discutis, si quoties à somno exurgis, quid acturus sis cogitas, quoties cubitum redis, quid egeris, quid omiseris, in quo excideris tecum examina, vt deinceps cautius incedas. Simplex es, si tunc etiam cum irrideris, cùm cõtumelia afficeris, cùm iniuriis oneraris, patienter tolleres, non irascaris, non turberis. Et quasi qui nihil mali passus fueris, vultum non mutes, atque intra te animi quietem conserues, illorum puerorum more, quos dominus ad se venire iussit, & quisquis, inquit, non receperit regnum dei veluti paruulus, nõ intrabit in illud. Marci.10. Sicut ergo paruulus iræ odiique passionibus caret ex natura, ita vir simplex carere his consueuit ex voluntate. Prudens præterea si fueris, præteritorum recordaberis, præsentia dispones, futura prospicies, teque ita præparabis, vt in fine vitæ inueniare promissa immortalitate dignus. Ex aliorum enim euentu, disces quid tibi fugiendum, quid expetendum sit, vt cũ plenius lampadibus aduentanti sponso occurras, & non tunc oleũ parare quæras, cũ parato opus fuerit, dictumque illud semper in mente habebis. Estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Luc.12. Tum si quoque simplex fueris ab omnibus animi inquinamentis mundum te exhibebis, nulli detrahes, nullum offendes, nulli malum optabis, nihil simulationis, nihil doli concipies, toto actionum tuarum corpore lucidus eris: quia mentis oculum à vera rectaque simplicitate non auertes. O felicem animam quæ talis fuerit, à cœlesti enim sponso merebitur audire: Ecce tu pulchra es amica mea, ecce Cant.2.

tu pulchra, oculi tui columbarum. Oculi vtique simplicis intentionis, nõ malignæ: & qui quod vidẽt, quod sentiunt, non dissimulant nec bonum negant esse bonum, nec malum malum: vt non simplices modo, verum etiam recti sint, & assequantur, quod in Prouerbiis Salomon pollicetur, dicens: Custodiet rectorum salutem dominus, & proteget gradientes simpliciter. Ipsius dei ore laudari meruit Iob, quod simplex & rectus esset, & timens deum & à malo recedens. Prudentis postremò officio fungêris, si postquam cuncta consideraueris, quæ ab imprudentibus concupiscuntur, cum Salomone clamabis. Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Atq; ideo diuitias, honores, luxum atque pompam, simul'que omnem præsentium voluptatum vsum magno animo despicere incipies, ne quid tibi viam iustitiæ ingredienti impedimento sit, & potius absque his quæ vulgò bona putãtur, salueris: quàm cum ipsis pereas, ne minus tibi prospexisse arguaris, quàm feræ bestiæ illæ, quæ abrosas partes corporis in fuga venatoribus relinquunt, ob quas naturæ suę instinctu se peti norunt. Dilargitis igitur opibus, & mendicorum indigentiæ distributis, pauper pauperem Christum sequeris, cupiens in deo tantũ diues fieri, & pro caducis ac fragilibus bonis possidere stabilia & æterna. Simplicitatis etiã partes ages, si paruo modico'que contentus viues, & quę vltra necessitatem sunt, ea paruipendes, neque concupisces vnquam, & tibi satis felix videberis, cum sustentamẽta vitæ tãtũ suppeditabũtur. Spẽ enim omnẽ in deo depones atque firmabis, qui suscitat à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus, non cum quibuscunque, sed cum principibus populi sui, cum angelis atque archangelis in regno suo sempiterno. Ipse idem ex hoc prudentium simplicium'que genere suam constare voluit ecclesiam, cum diceret, Seminabo domum Israël & domum Iuda semine homi-

Prouer. 2. · Fibri pontici. · Ierem. 31.

hominum & semine iumentorum. Homines enim sunt ad quos pertinet prudentia, iumenta ad quos simplicitas. Quod aũt hi qui vtraq; in parte rectè versati fuerint, beatitudinem consequantur, psalmista sub eadẽ verborum metaphora testatus est, cum ait. Homines & iumenta saluabis domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam deus. Nisi enim ille misericordiam suam multiplicaret, quis nostrum saluus fieret. Psal. 35.

De prudentia vitiosa & simplicitate stupida. Cap. 2.

ESSE tamen & prudentiam quandam nouimus, non probatam, de qua in prouerbiis legitur. Ne innitaris prudentiæ tuæ, hanc deuitare debemus quia ista de se præsumentium seque mirantium prudentia est, qui neminem consulunt, neminem audiunt, doctioribus contradicunt, quod se omnium perspicacissimos consultissimosque existimari volunt. In illos Isaias exclamat, dicens. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & corã vobismetipsis prudẽtes. Quod vitium & Apostolus prohibet cum ait. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Neque illi quidem qui in terrenis duntaxat negotiis prudentes sunt, laudantur, cũ rerũ fragiliũ cura implicati diuina negligant & aspernentur. Vnde idẽ Aposto. Prudẽtia (inquit) carnis mors est, prudẽtia autem spiritus vita & pax. Et iterũ, Prudẽtia carnis inimica est deo, sed quę inimica est deo ne illi quidẽ cui⁹ est, amica esse potest, cum idẽ corpori multa prouideat, animæ suæ nihil, animam quæ longè nobilior est corpore, nihil æstimat, quinimo vt carni blãdiatur, spiritum perire patitur, quia nec vsuris abstinet, nec aliena per vim vel per calumniam occupare verentur, nec dolis fraudibusque niti vt lucretur, ca-

Prouer. 3. Isaię. 5. Roman. 12. Roma. 8.

 net.

uet. Valdè quàm fugienda est ista prudentia, quia verè mors est, non mors quæ mortem afferat, sed quæ morte acerbius cruciet, & mori vetet. Cæterùm neq; ipsa simplicitas (vt diximus) absque prudentia erit probanda. Stupida enim & fatua est, offendens ad lapidem pedem suum. Hanc habere prohibemur, dicente propheta: Nolite fieri sicut equus & mulus in quibus non est intellectus. Et Apostolus: Fratres (inquit) nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti estote. A sensibus exclusit simplicitatem, à simplicitate malitiam, vt neque sensus peruerti sinantur per ignorantiam puerilis obtusitatis, neque simplicitatem rectam deprauet maligna suggestio. Paruulæ sensibus fuere virgines illæ, quæ de sola fidei virginitate sibi plaudentes cum vacuis lampadibus occurrerunt sponso: & quoniam oleum bonorum operum, quo sensuum nostrorum lampades illuminantur, non habebant, intrare ad sponsi nuptias nequiuere. Nemo igitur vsqueadeò simplex sit, vt ad beatitudinem consequendam aspirans, quibus vitæ meritis illam adipisci possit, ignoret. Et nemo vsqueadeò prudens sit, vt carnalia tantũ curet, & spiritalia omittat, ne prudentiores appareant filij huius seculi in generatione sua filij lucis, id est, infideles fidelibus, dum illi diligentius cautiusque humana exequuntur negotia quàm hi diuina. Hæc de prudẽtia & simplicitate, nunc de sapientia, quæ & has reliquas omnes amplexa est virtutes, aliquid est dicendum.

Psal. 31.
1. Cor. 14.
Lucæ. 6.

Quid sit sapientia & vbi quærenda. Cap. 3.

Sapientia est

SApientia est (vt Stoicis placet) diuinarum huma- narumq́ue rerum scientia & cognitio: atque inter sapientiam & prudentiam hoc differri, quod pru- dentia tantum circa humana sit. Hæc igitur quę pro- priè sapientia dicitur, latè se effundit, vtrăque scientiă continet: neque scire tantum contēta est, nisi etiam se- cundum scientiæ suæ præcepta mores vitamq́ue com- posuerit. Nam si quis philosophiam omnem didicerit, & non perinde ac illa præcipit, viuat, doctum equidem confitebor, sapientem negabo. Non cadit vitium in sa pientem, cuius propria est virtus. In hoc ferè omnes cō ueniunt, vt dici sapiens nō debeat, nisi qui cunctis prę- cellat animi bonis, & tam scientia sit instructus quàm probitate. Summum itaque bonum expetētibus, quod semper inquirendo philosophi inuenire nunquam po tuerunt, opus erit eam discere doctrinam, quæ à deo no bis non ab hominibus tradita sit, cùm sola verissi- mum ad beatitudinem monstret iter, eandemq́ue cer- tissimè polliceatur atque conferat. Neque tamen qui mediocri scientia prędití sunt, à spe beatitudinis ex- cluduntur. Si vis (inquit) ad vitam ingredi, serua man- data. Diuinæ igitur legis tantum quæ ad benè beateq; viuendum pertinent institutiones nosse, & eas opere persequi, satis perfecta est hominis sapientia. Quan- quam illius perfectior, qui insuper dilargitis reb9 mo dico contentus Christum sequitur: & corporis quoque puritatem seruat repudiatis connubiis, vt casto domi- no propius accedat meritis castitatis, & centesimum fructum capiat, trigesimo sexagesimoq́ue relicto. Sed licet perfectioris vitæ altior sit beatitudinis gradus, vna tamen est beatorum ecclesia, vnum corpus. Quo fit vt ab ista sapientia, qua saluamur, ne coniugati qui- dem excludantur, si modò quæ iussa sunt, peregerint. Illos autem sapientiores esse dicimus, quos virtutibus nouimus præstare, & nō scientia solum vel eruditione.

Philosophi

Scientia enim si virtutibus careat, inflat, multum'que doctus & parum sapiens nimium sibi arrogat, interdũ etiam veritati refragari audet, vt se aliquid præ cæteris argutius atque subtilius inuenisse probet. Quamobrem concludendum est, vt longè sit melius pauca scire cum virtute, quàm absque virtute multa. Cæterùm scientia ipsa atque eruditione, si benè vtaris, plurimũ iuuat: si malè, perniciosa est, semper'que præferẽda sciẽtiæ peccatrici rusticitas sancta. Iunge autem scientiæ virtutem, & iam plenior consummatior'que tibi dabitur sapientia, mysteria scripturarum intelliges, latentes sub literæ velamine sensus tibi aperientur, & cubiculum sponsi ingressus pulchritudine eius capieris, amore exardesces, quãto'que illi propius accesseris passibus pij affectus fidelis'que considerationis, tanto magis ipso intelligentiæ lumine illustraberis: ita vt alios quoque docere valeas, & errãtes ad recti viam reuocare, & contradicentes refellere, & ecclesiam dei ædificare, ex quo grande tibi meritum gloriam'que comparabis, iuxta illud. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splẽdor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Quid est autem scientia, nisi perfecta veri falsi'que dignoscendi ratio? quæ cum propria dei sit, illa quæ ab hominibus est, nisi cum diuina cõueniat, opinio magis dici debet quàm scientia. Falli, decipi, errare hominis est. In deo ista nõ cadunt. Facessant igitur à nobis fallaciosæ stropharũ argutiæ enthymemata'que dialecticorum, non terrenã sciẽtiam sequimur, sed cœlestem. Nihil verius, nihil certius esse asserimus, quàm quod ista continet. Lignum vitæ est iis qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eã beatus. Per hanc enim ad summum bonum peruenitur, quod supra cœlum esse ignorauerunt illi, qui sapientem sola virtute contentum, ideo'que beatum dixerunt. Vbi enim præmia veræ virtutis essent, nescie-

Dan. 11.

bant

bant per totam noctem humanæ scientiæ laborantes, & nihil capientes. Sapientiores igitur fuere illis piscatores nostri, quorum disciplinam, quam à Christo didicerant, & philosophi ariopagum relinquentes sunt secuti, & ipsi Romani principes contempta idolorum cultura probauere. Totis enim imperij viribus falsorum deorum religionem defenderant, victi autem nõ armis, sed eorum qui sedebantur patientia Christum susceperunt, qui ab ipsis prædicatus fuerat. Atque hæc fuit victoria quæ vicit mundum fides nostra. Pugnantes non repugnantibus cessere, inermibus armati, & quod mirabilius est, interemptis interemptores. Ab alteris in medium prolata Christi religio permansit, ab alteris tutata idololatria defecit. Et quisnam dicere audet, professionis Christianæ scientiam non esse veram, cui tam potentes inimici, non iam inuiti, sed volentes colla submisere?

De scientia diuinitus tradita & sapientis officio Cap. 4.

Osee.8.

HAEC est scientia, quam à nobis exigit dominus, dicens. Misericordiam volui & non sacrificium, & scientiam dei plusquam holocaustum. Hanc ipsam autem dei scientiam à se peti iubet, cum ait: Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Et ego sum ostium, inquit, per me si quis introierit, saluabitur. Non est itaq; aditus ad beatitudinem, nisi per sciẽtiam diuinitus nobis traditam. Cæteræ omnes scientiæ vanæ sunt: nemo enim per illas efficitur beatus, quique ipsis nititur, hominum opinionibus pẽdet, & certã vitæ viam prorsus ignorat. Quis enim nouit filium nisi pater, vel patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare? Vnde & Petro Christum confitenti idem respondit: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus

Iohan.7.
Iohan.10.
Matt.16.

ter meus qui in cœlis est. Decuit autem vt qui homini quem formauit, beatitudinem dare decreuerat, doctrinæ quoque esset autor, per quam beatitudo ipsa acquiri posset. Incassum igitur laborarunt omnes philosophorum scholæ, omnes mundi sapientes, vt verã de deo scientiam per se ipsi inuenirent, si non alius quàm deus debuit illam homini monstrare, sicut & fecit. Sed non est satis eam didicisse, nisi quæ præcipiuntur fecerim⁹, beati esse non possumus. Neque enim viam qua ad cœlum itur, nosse, sed cùm noueris, per eam ingredi sapientis est. Quinimò tanto nequius peccat, quanto quis inter bonum malum'que discernere plenius didicit. Sit igitur in te sanctarum scientia scripturarum, sed ita vt non desint, quas illa commendat virtutes, & absint vitia quæ detestatur. Hoc si præstiteris, verè te sapientem esse scias, ac beatum fore cum hinc decesseris credas, atque tunc demum & scientia, & sapientia & bonis omnibus multo huberius quàm in hac vita fieri possit, complendum. Etenim neque scientiam perfectam habere possumus, quamdiu mortalitatis onere premimur, neque sapientiam, dicente Apostolo: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Corp⁹ quippè (vt quidam sapiens ait) aggrauat animã, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitãtem. Sit ergo satis ea discere atque nosse, quę ad dei scripturarum'que eius intelligentiam nobis concessam ptinent, vt cùm ita quemadmodum præceptum est, vixerimus, illo vbi perfecta sunt omnia, conscendamus. Optimum itaque iudicemus, nõ plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, hoc est, quantum humanæ naturæ permittitur, tantum & indagare discendo, & conari operãdo. Atq; hoc erit seipsũ nosse, nihil supra vires tentare, neq; quod capere possumus, frustra sequi velle, sed suis finib⁹ cõtẽtari: & ea quę verbis expli-

Philosophi

1. Reg. 13.

Sapien. 1.

explicare nequimus, fide tenere, diuino credentes testimonio. Porrò sapientiæ diffinitionem quam supra retulimus, diuinarum videlicet atque humanarum rerum scientiam esse, non plenè factam arbitror. Quæ nã erit sapientia, vt iam dixi, scire tantum & non facere, quæ facienda didiceris, neque cauere quæ cauenda noueris? Mansuetudinem, liberalitatem, clementiam, castitatem, constantiam, cæterasque virtutes, non nosse solum, verùm & exercere, earumque officio vti, sapientia est: nihil agere quod actũ nolis, nihil mittere quod omissum negligentiæ possit ascribi: in omnibus sibiipsi constare, nec leuem esse, sed grauem, atque in iis quæ recta & honesta sunt, firmum stabilemque permanere: non ira, non cupiditatibus, non turpi lasciuia moueri, sed affectus ratione moderari, & animi moribus præesse vt dominum, non subesse vt seruum. Vis ista in summam redigi? audi prophetam dicentem: Quiescite agere peruersè, discite benefacere. Rationale animal est homo, si naturã suã non peruerterit, sapientiã exquiret. Ingenita est enim ei ratio, qua & bonum expetat, & à malo declinet. Dabit itaq; operam vt disciplinis instruatur, quæ naturam suam perficiant, ne ignarus rerum erret, nec pro bono accipiat malum, & bonum pro malo: ac dum sapienter se facere putat, insipientiæ arguatur. Nam licet affectionem boni habeamus à natura, non tamen & scientiam quæ efficit sapientem. Inter doctum autem & indoctum multa distantia existat necesse est, quanta vtique inter scire & nescire. Quorum alterum Salomon luci, alterum tenebris comparat, dicens: Vidi quia tantum præcederet sapientia stultitiã, quantum differt lux à tenebris. Et sapientis, inquit, oculi in capite eius, stultus in tenebris ambulat. Illius oculi in capite sunt, qui altioris sapientiæ circumspectu regit vitã, mores componit: & qui sit cuiusq; rei exitus diligẽter ꝓpẽdit: quæ sua intersũt nouit, & illa tractat, illa me-

Isaiæ 1.

Eccle. 2.

illa meditatur: quæ verò aliena à se iudicat, ab iis absti net, naturam hominis finem'que considerat, se'que ad immortalitatem natum intelligit, & caduca bona con temnit, dum æterna obtinere festinat. Itaque cœlo æquatur, & terra superior est animus sapientis, in contẽ platione diuinorum assiduus, humana'que transcendẽs, nihil aliud illi curæ est, nisi vt deo placeat, quicquid agit, ad hunc vnum finem dirigit, vt deo frui possit.

Quod sapientia donum dei sit, & vera sapientia Christum imitari.

Cap. 5.

Porrò talia scire atque ita sese gerere, ne quis industriæ suę arroget, sed donum dei esse agnoscat, scri
Prouer. 2. ptum est: Dominus dat sapientiam, & ex ore eius
Eccle. 1. prudentia & scientia. Et iterum: Omnis sapientia à domino deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum. Ipse omnium conditor deus, cum hominem in lucem produxisset, sapientiæ capacem fecit præ cæteris animantibus, vt authorem suum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidẽdo perpetuò beatus esset. Quam quidem sapientiam vt cõcipere & tenere possimus, non solum discendi studio incumbere, sed etiam votis precationibus'que poscere debemus, cũ
Iaco. 1. Iacobus Apostolus dicat: Si quis vestrum indiget sapiẽtia, postulet à deo, qui dat omnibus affluenter, & non
Iob. 43. improperat, & dabitur ei. In Iob quoque legimus: Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Cæterùm vas mundum sit oportet, in quo diuinæ sapientię thesau-
Eccle. 1. rus recondi debet, vnde dicitur: Fili, concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & deus præbebit illam
Eccl. 43. tibi. Item: Omnia, inquit, dominus fecit, & piè agentibus dedit sapientiam. Quomodo enim illic potest in-

fundi

fundi cœleste donum, vnde eiecti prius & exterminati non fuerint terreni affectus? Duo contraria simul manere nequeunt. Quæ enim societas luci cum tenebris? Christo cum Belial? Ideò est scriptum: In maleuolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Cur enim principium sapientiæ timor domini dicitur, nisi quia is qui deum timet, se à delictis continet, & innocenter viuere studet, ne creatorem suum offendat? Ab hoc principio proficere incipimus, & addito discendi labore sapientiam mysterio absconditam, & credulis tantum humilibus'que reuelatam, ex diuinis voluminibus haurimus. Hanc si alibi quæsieris, nusquam iuenies. Latuit philosophos, ignota fuit omnibus gentilium sapientibus: tradita autem prophetis Christi'que discipulis. Vnde ait: Vobis datum est nosse mysterium regni dei, illis autem incredulis videlicet & humana tantum scientia nitentibus non est datum. In sanctis ergo scripturis, quære tibi dei sapientiam, & verbi dei scientiam, & quære mente pura corde'que fideli, atque ardenti discendi desiderio, vt quod cupieris, assequi merearis. Dei autem sapientia & Dei virtus, Christus est. Hunc scrutare in veteribus celatũ scripturis, in nouis manifestum, in vtris'que admirabilem atque adorandum, summi boni doctorem ac largitorem: boni, inquam, quod tota gẽtilitatis academia semper perquisiuit, & nunquam potuit inuenire. Neq; enim fas erat, vt tantæ rei, qua nihil homine maius potest contingere, alius esset cognoscendæ monstrator, q̃ qui esset fruendæ donator atque author. Minus dignitatis habitura erat nostra religio, si alio quàm deo institutore præceptore'que gauderet. Ipse debuit perfectæ beatitatis iter ostendere, qui ipse esset perfectissimus omnium felicissimus'que, vt soli gratiæ agantur habeantur'que tam pro doctrina adipiscendæ salutis, quàm pro adeptæ beneficio. Hanc autem probatissime

Sapien. 1.

Matth. 13.

saluberrimęque disciplinæ sapientiã, cum deus in mysterio velatam daret, per seruos exhibuit. Sed cùm reuelatam tribueret per filium vulgauit: Tunc in nubis aut ignis figura apparens deus cum hominibus est locutus, postea verò deus homo factus, cum hominibus conuersari, & præsens ipse cum iisdem colloqui voluit, vt legis & Euangelii distantiam cognosceremus. In illa futuri signa sunt, in hoc eorum euentus: in illa vmbræ, in hoc veritas: in illa seruitus, in hoc libertas: in illa promissio, in hoc promissionis impletio atque gratia: in vtroque autem bene beatéque viuendi præcepta, plenius tamen exactiusque in Euangelio quàm lege, quia legis mediator Moyses, Euangelii Christus, per quem redempti ac saluati sumus. Hunc si sequi volumus, & sanctissimis eius institutionibus inhærere, verè sapientes veréque beati erimus, & iam non terreni, sed cœlestes. Audiamus quid super hac re Apostolus dicat: Iu-

1. Cor. 1. dæi, inquit, signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudęis atque Græcis Christum dei virtutem & dei sapientiam, quia quod stultum est dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est dei, fortius est hominibus. In his ergò scripturis, quas gentilitas deridet, & hæreticorum prauitas impugnat, discenda sapientia est. Quia quod hi infirmum arguunt, fortius est omni humana virtute, & quod illi stultum existimant, sapientius est omni mundanæ philosophiæ

Ibidem. traditione. Stulta, inquit, mundi elegit deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit deus, vt confundat fortia. Per piscatorum quippe & vulgarium hominum prædicationem superauit philosophos, & per inermes martyres, regum imperatorumque potentiam. Quid ni, si iidem ipsi qui persequebantur Christianos, facti sunt Christiani, & ecclesiæ propugnatores,

qui ecclesiæ

qui ecclesiæ hostes erant. Seruire cœperũt Christo, qui imperabant mundo. Christus igitur (vt Apostolus ait) factus est nobis sapientia & iustitia & sanctificatio & redemptio, vt quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in domino glorietur. Quis enim hominum comparandæ veræ beatitudinis rationem potuit per se cognoscere, si hoc solius dei erat docere, cuius solius fuit ipsam beatitudinem tribuere. Quæ dei sunt, inquit, nemo cognouit, nisi spiritus dei, nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex deo est, vt sciamus quæ a deo donata sunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus spiritalibus spiritalia comparantes. Denique post multa de deo salutaris sapientiæ authore dicta ait: Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud deum. Scriptum est enim: Cõprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum: Dominus nouit cogitationes sapientum, quoniam vanæ sunt. Vani quippe sunt, qui sanctæ trinitatis mysterium non admittunt, qui veræ beatitudinis bonum non percipiũt, quia sibi magis quàm deo credũt. Quãobrem nobis non humana, sed diuina doctrina institutis, cum saluatore nostro dei filio deo gratiæ agendæ sunt, sic dicente: Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic fuit lacitum ante te.

1. Cor. 2.

1. Cor. 3.

Matth. 11.

Quòd sola dei sapientia efficit beatos. Cap. 6.

ET quoniam sola dei sapientia non vana, sed vera est, per quam solam patet aditus ad beatitudinem: Sapientia, inquit Iacobus apostolus, quæ de

Iacobi. 3.

sursum est,

ſurſum eſt. Primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſulens, plena misericordia, & fructibus bonis, iudicans ſine ſimulatione. Omnes itaque virtutes iſta ſapientia nobis diuinitus oſtenſa in ſe continet, & credentibus atque volentibus eas impertit, in quibus qui ſe dignè exercuerint, illos vt à domino remunerentur, de terreno habitaculo ad cœleſte regnum feliciter tranſmittit. Sapientis erit igitur, omni loco, omni tempore, omnibus in rebus diligenter diſpicere quid velit dominus, & ſecundum eius voluntatem, quæ iuſſa ſunt facere, quæ vetita declinare. Qui ſic egerit, & mandatis dei ſatisfaciet, & ipſe ſuæ cõſulet ſaluti. Quicquid enim deo obedimus, quicquid obſequimur, quicquid ſeruimus, totum in noſtram vertitur vtilitatem: nihil ex hoc ei accedit qui ſolus nulla re indiget. Rectè ergo Salomon in prouerbiis ait: Si

Prouer. 9. ſapiens fueris, tibimetipſi eris, nam illud quoque quod alios docueris, quod ad virtutem hortatus fueris, quod verbo, quod re, atque opere iuueris, tibi cedet ad gloriam, tibi magis quàm vlli alij proderit ad adipiſcendam veram felicitatem quam affectas. Ac veluti illi, qui terram purgant, ſtercorant, arant, occant, obſtringunt, modis omnibus excolunt, ſementem'que faciunt, poſtea verò metunt & fructum colligunt, ita hic noſter ſapiens aliis benefaciendo, ſibimetipſi ſapiet, cum pro benefactis à domino recipere cœperit mercedem. Hîc idem in omnibus prouidum ac prudentem ſe præſtabit, nihil eum imparatum offendet, omnibus quæ accidere poſſunt, præſidio opportuno munitus occurret. In aduerſis explicabit patientiam, in proſperis humilitatem, vt vtriſque conſtantiam. Apparebit'q; in illo quod

Eccle. 9. Salomon ait: Melior eſt ſapientia, quàm arma bellica. Fortior eſt enim cuius animũ nõ frangũt aduerſa, neq; turbant iniuriæ, quàm qui armis hoſtem ſuperat. Ali-

Sapien. 5. bi etiam dicitur: Melior eſt ſapientia quàm vires, & vir pru

vir prudens quam fortis. Nam sapientia & prudentia bona animi sunt: fortem & robustum esse, bonum corporis est, & illa quidem hominis propria: hoc autem cum bestiis commune. Sapiens tranquillè degit, quia perturbationibus temperat, sensuum affectiones ratione frenat & saniori consilio parere compellit. Sapiens linguam quoque continet, verbositatē fugit, ne in multiloquio peccet. Pauca loquitur, sed consideratè, nihil leue ab ipso prolatū auditur, sed serium semper, & graue ponderis'que multi. Neque enim prius verbum emittit, quàm quo casurum sit, cogitet. Sapiens vt semper sapiens sit, studet: vt'que cum Salomone dicere possit: Sapientia quoque perseuerauit mecum. Quæris quo pacto semper sapiens esse queat, cum nemo sit qui non peccet, cum septies in die cadat iustus? Sed quemadmodum iustus cum ceciderit, citò surgēdo iusti nomen nō amittit, ita sapiens dicendus est semper sapiens, qui quoties aliquid stultè peccat, sapienter quod peccatum est protinus emendat, & præteriti errati notam insequentis virtutis laude compensat. Sapientem semper beatum esse philosophi contendunt, eo quòd sola virtute contentus sit, virtutem autem sibiipsam sufficere. Patet, quia nihil extra virtutem, in quo beatitudo esse potuisset, nouerant. Ignorabant igitur bonum illud quantum aut quale esset, quod debetur virtuti, quod'que nostri sapientes vitæ innocenter laudabiliter'que actæ meritis confidunt se consecuturos, & tunc demum beatos fore cùm illud adepti fuerint. Sed'quàm diu in expectatione eius sunt, nondum esse beatos constat, quamuis ad quandam spei certitudinem nunc quoque beati dicantur. Sapiens, inquiunt, & in tormentis beatus est. Rectè id quidē, si de nostris diceretur, & non de illis qui à vera religione alieni erant. Nostri enim verè beati quos nulla compellere tormenta potuerūt, vt Christum negarent. Porrò hi non sola virtute contenti erant, quæ

propẽ vana esset, si nihil eam post mortem sequeretur, sed per ipsa virtutis opera Deo iungi cupiebant, quod quia præcipuè martyrij patientia præstare poterat, cædi occidi'que gaudebant. Illi autem quibus æterna hominis beatitudo ignota erat, non quomodo oportuit, sed quomodo poterant beatam vitam diffinierunt, atque ipsam quoniam longius protendere nescirent, virtute quæ in præsenti est, terminarunt. Sed quænã quæso esset ista beatitudo, quæ simul cum corpore pecudũ more erat finienda? Præterea si sola virtus beata vita esset, sexcenties in vita beati essemus, & sexcenties infelices quando quidem nemo tam firmæ stabilitæ'que virtutis est, vt non quotidiè ferè aliquid desipiat, oscitet, deliret, hallucinetur. Tot autem vicib⁹ nunc accedens nunc recedens beatitudo nonne vertibilior haberetur rota figulari, & alterno dierum noctium'que recursu mutabilior. Non est ergo virtus vita beata, sed illa cœlestis æterna'que felicitas, quæ debetur virtuti, si virtus ipsa cùm vera religione iuncta fuerit. Beata quippè vita est quæ nunquam subducitur, nunquã deficit, bonis omnibus affluit semper, malis vacat, desiderium implet: denique ad summum bonorum peruentũ est cùm ad illam peruenitur. Huc accedit quod Christianorum sapientia nõ ita rigidè neque inhumanè circunscripta sit, sicut fuit illa Stoicæ sectæ philosophorum, qui docebant sapientem animi passionibus prorsus carere oportere vt beatus sit. Nos enim econtrario diffinimus, non posse sapientem fieri beatum, qui adhuc in corpore viuens, futuræ beatitudinis desiderio non ducitur, qui pro eo quòd aliquando peccauit, dolendo non satis facit, qui cum benefecerit non gaudet, & deo gratias agit, cuius ope in benefaciẽdo est vs⁹, qui eidẽ peccare nõ metuit, cui soli semp plurimũ placere studet, qui deniq; pauperis & malo aliquo affecti hominis non miseretur. Ea sanè vera est sapientia, & ser-

uorum

uorum dei propria cuius hæ sunt passiones. Illa autem Stoicorum prorsus vana, & non hominis sed lapidis potius, nihil sperare, nihil metuere, nihil gaudere, nihil dolere. Si istud sapientia vel vita beata esset, quid in terris lapide & sensu carentibus rebus esse sapientius vel beatius existimari potuisset? Lapidea est igitur illorũ & sapientia & beatitudo, non humana. Cum enim veræ beatitatis ignari essent, beatitatem ipsam appetitionum quietudinem esse putarunt, & hanc ad sapientem pertinere volebant. At nos veræ quoque æternæque beatitudini gaudium attribuimus, & in deo lætitiam perpetuamque iucunditatem, amorem etiam & mutuã inter beatos charitatem atq; perfectã. Repudiata itaq; gentilium fatuitate, sapientiã quam nõ homo sed deus docuit, sequamur, hanc diuitiis, hãc rebus omnibus anteponamus. Melior est acquisitio eius (vt rectè Salomõ ait) negotiatione auri & argẽti primi & purissimi, fructus eius pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Sola enim diuinæ doctrinæ sapientia efficit beatos.

Quæ sapientia est vitanda.

Cap. 7.

HAnc autem verissimam sapiẽtiam, quam deo tradente accepimus, quo attẽtius accuratiusque amplectamur, quærendum restat, quænam sit illa quam cauere debemus, indigna quidem hoc nomine, cum verius stultitia sit dicenda quàm sapientia. Est igitur quędam sapientia, quæ mũdana siue secularis dicitur, de qua Apostol⁹: Sapientia (inquit) huius mũdi stultitia est apud deũ, Et iterũ, Stultã fecit de⁹ sapiẽtiã hui⁹ seculi. Hic sanè fuit antiquorũ deos colẽtiũ error, q 1. Cor. 3.

 olim

olim videbatur esse sapientia, sed postquam euangelij veritas etiam ab iis, qui eam persequebantur, recepta, est apparuit colendorum deorum ritum non sapiētiam fuisse, sed stultitiam. Tunc Pharaonis sapientium virgæ à virga Moysi deuoratæ sunt, & omne diaboli cōmentum virtute crucis Christi superatum, tūc mulier sanguine fluens, quam medici secularis disciplinę curare nequiuerant, tacta Christi fimbria recepit sanitatē, quia gentilitas desiit victimarum cruorem dæmonibus fundere, vbi in Christo deum cognouit, quem in spiritu cœpit adorare. Adhuc tamen ista infidelitatis sapiētia in illis perseuerat, qui somnia sortesque obseruant, & naturas hominum ex stellarum influxibus pendere iudicant, & incantationibus diaboli magis quàm piis ecclesiæ precibus delectantur. In his omnibus stultus sit oportet, qui apud deum sapiens esse desiderat. Fuit & alia inter gentiles sapientia, veri quidem inquirendi suprà quàm dici queat studiosa, sed planè inanis cassique laboris, cū inuestigare illud nequaquam potuerit, quòd nisi deo monstrante scire nemo poterat. Ista autem erat philosophorum professio circa ipsam hominis beatitudinem variè sentientium, vt diximus, atque delirantium, cum non in cœlo, sed in terra illam constituerent, quærentes vbi nō erat, & vbi esset nesciētes. De his psalmista ait: Defecerunt scrutantes scrutinio. His nonnulli quoque ex nostris mihi similes videntur, quibus non est satis nosse quomodo verā perfectāq; beatitudinem assequi possint, sed altiora se indagare conantur & ea quidem quæ nisi fides teneat, ratio nō explicat curiosius perscrutari solent. Vnde fit, vt plerunque ab eo etiam quod rectè didicerant, aberrent: & dū Christum se tenere putant, de manibus elapsum non animaduertant. Plena periculi est talis sapientia, ideoque vitanda, cum scriptum sit: Scrutator maiestatis opprimetur à gloria. Et iterum, Non plus sapias quàm ne-
Eccl. 7.
cesse est

cesse est, ne obstupescas. Caue igitur nimis altum sapere, ne fortè vel cum hæreticis vetus instrumentum dânes, vel cum Iudæis nouum, & cùm vtrisque ipse damneris, dicente domino: Nũquid non in die illa perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau. Peribunt vtique hæretici, & dei iudicio condemnabũtur, qui terrena sapiebant. Hoc enim Idumæa interpretatur, & Iudæi qui cum Esau aduersabantur fratri eius Iacob, id est, cum synagoga ecclesiæ Christi, ad quam credentem primogenita credere nolentium benedictionesque transierunt. Illud quoque ad hæreticorum infidelitatem spectare arbitror quod Salomon ait: Ciuitates munitas occupabit sapiens, & destruet munitionem in qua confidebant impij. Omnia quippè impietatis dogmata quæ illi syllogismis captiosisque dialecticæ conclusiunculis munientes insuperabilia esse putabant, dei sapientia Christus sua virtute superauit, & euertit. Arrij, Sabellij, Euticetis, Manichæi, reliquorũque omnium prauitas defecit, sola Machumetana extat, ne ipsa quidem diu permansura, dicente domino: Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sed sunt & in ecclesia fortasse non pauci, qui sibi sapientes videntur, ita vt interdum contradicere audeant catholicæ veritati apud ignaros admirationem sui facturi, quasi qui acutius aliquid sagaciusque explorarint, quàm illi qui iampridem probati recepti, celebresque habentur. In istos reclamat Isaias, dicens: Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Apud DEVM enim & insipientes & imprudentes sunt, qui temeraria p̄sumptione abducti ad ostentationem ingenij magis q̄ ad veritatis confirmationem loquuntur. Porrò omnis disciplina quæ cum euangelio non conuenit, inutilis est, sapientem facere non potest, ideoque nec beatum. Poësis fabellarum fictionibus exhuberat, Oratoria ad

Abdiæ. 1.

Prouer. 21.

Matth. 15.

Isaiæ. 5.

gratiam loquendi artem præfert. Astronomia cœli syderumque motibus, & exinde futurorum diuinationibus scatet, philosophia sapientiæ studio gloriatur, cũ causas rerum naturasque conquisierit. Sed cũ nulla doctrinarũ istarũ qui hominis finis sit rectè vereque indicare videatur, nemini discendas dicerem, nisi aliqua in parte diuinæ quoque sapientiæ scientiam adiuuarent. Operæprecium erit igitur de his tantum capere quantum fideli institutioni conuenire constabit, cætera ne noceãt respuere, aut enim superflua sunt, aut fini nostro aduersantia, quod autem superfluum est contemni debet: quod aduersarium repelli. De his enim psalmista ait, Nouit dominus cogitationes sapientum, quoniam vanæ sunt. Et Apostolus, Nolite (inquit) iugũ ducere cũ infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem consentio Christi cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo dei cũ idolis? Tantum abest igitur vt sapiens sit, qui ethnicorum sapientes præter modum æmulatur, vt etiam iniquus & infidelis esse possit conuinci. Et quoniam sola dei sapientia, quæ in sacris literis continetur, vera est sapientia, ideo ipse dominus per prophetam exclamat dicẽs. Nõ glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitiis suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum dominus qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam in terra, misericordiam vtique erga sapientes in bono: iudicium & iustitiam aduersus sapientes in malo. De quibus Ieremias ait, Sapiẽtes sunt vt faciãt mala, bene aũt facere nescierunt. Sapiẽtia ista doli, calliditatis, versutiæ, fraude est plena, ista deniq; non hominis, sed diaboli sapientia est. Hac armatus erat serpens qui decepit Euam, hanc sequuntur illi de quibus in euangelio dicitur, Prudentiores sunt filij seculi

Psal. 93. 2. Cor. 6. Ierem. 6. Ierem. 6. Lucæ. 16.

culi filiis lucis in generatione sua. Ab hac certè vir iustus abhorrebit, vt potius secundum deũ q̃ secundum seculum sapiens, sitac nequandò & ipse seculi sapientiũ capiatur sycophãtiis deũ cum propheta orabit, ab homine iniquo & doloso erue me. Psal.42.

Quod sapiens docere alios debet. Cap. 8.

DOcuimus & quæ sequenda sapientia, & quæ fugienda sit, reliquum est, vt eos qui vera, id est, diuina sapientia præditi sunt hortemur, ne creditum sibi salutaris eruditionis talentum in terra defodiant, sed illic dispensent, vnde cum vsuris exigi possit, & domino cui negotiantur, plurimum lucri accedat. Laxant igitur retia sua in capturam: alios doceãt quod ipsi didicerunt, & non sibi solum, sed aliis etiam prodesse studeant, tantoque accepto beneficio se dignos p̃stent. Vt quid enim bonum sapientiæ tu qui dei benignitate sapientiam adeptus es, cum proximis non cõmunicas, si nihil inde tibi deperit, si communicatum etiam augetur & excrescit? Quis est enim qui docet, & docendo non aliquid discat, & quod didicit non confirmet, cum de memoria facilè labi soleat & exciderit, quicquid relĩqui tur irrepetitũ? Ita perit, vt ipse quoq; dediscas nisi docueris. Doce igitur vt doctior sis, aut saltem ne obliuioni tradas quod didicisti. Imò quæ potissima alios docendi causa esse debet, doce vt beatior sis, quandoquidem qui erudiunt multos ad sapientiam fulgebunt (sicut scriptum est) tanquam stellæ in perpetuas æternitates. Cassus penè labor est, multa didicisse: Dan.12. & postquam didiceris, obmutescere. Nunquid non sapientia clamitat, inquit Salomõ, & prudẽtia dat vocẽ suã in sũmis excelsisq; verticibus super viã in mediis Prouer.8. semitis stãs iuxta portas ciuitatis, ĩ ipsis forib⁹ loqtur dicens. Viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hoĩm.

Cùm ergo docendi officio fungi debeat vir diuinæ sapientia eruditus, nónne sal fatuum erit si tacuerit? nónne verum est quod dicitur: Sapientia absconsa, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? Quid iuuat lucernam ascendere, & eam ponere sub modio? Profectò si sapiens fueris, nō sub modio illā pones, sed super cādelabrum & aliorum tenebras tuæ scientiæ luce depelles. Aut enim linguam exercebis in prædicando aut in scribendo manum, vt etiam de te dici possit: Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius. Plurimum quidem tibi apud deum meritorum accedet, quoties vel scripseris, vel dixeris aliquid, vel proprio ostenderis exemplo, vnde alij meliores effici queant. Qui enim fecerit & docuerit sic, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Ipse dominus noster Christus docuit, nec Apostolos suos passus est desidia otioq; torpere, sed spiritu sancto repletos per diuersas orbis partes dimisit, vt errantes docendo in viam veritatis reuocarent, atque illos quidem non itineris labor, non persecutionis immanitas ab officio deterruit, & te pigebit illorum saltem, à quibus nihil mali metuis, tuæ sapientiæ medicamenta conferendo, saluti consulere, & multorum animas domino tuo lucrari? Satis hæc de sapientia, nunc simplicioribus detegamus inimici dolos carnisque pugnas, ne ab iis incauti imprudentesque superentur.

Eccle. 20. Prouer. 31.

De dæmonum natura. Cap. 9.

SEd enim quo facilius calidissimi hostis machinamēta deuitemus, operæpretium erit, prius naturam eius moresque cognoscere. Dæmones igitur spiritus sunt, nocendi cupidi, iusti expertes fastu elati, astu

callidi inter cœlum terram'que habitantes, donec postremò ad infernum detrudantur, vt tanto eant inferius, quanto altius efferre sese conati sunt. Qui vt ei cuius iudicio ad hæc ima deiecti sunt aduersentur, homini inuident, atque illos maximè infestant, quibus beatitudinem, quàm ipsi amiserunt promissam cognoscũt. Gentilitas dæmones alios bonos, alios malos esse dixit, nos verò sub hoc nomine malos tantum intelligimus. Illos enim spiritus qui boni sunt, dei angelos atque ministros nuncupamus. Neque certè conuenit eos, quorũ diuersa est voluntas, eodem nomine confundere. Dæmones ergo nequitiæ pleni spiritus inuidiæ, acti stimulis hominem semper ad vitia prouocant, ne ad cœleste regnum, vnde ipsi deturbati sunt, transferri mereantur. Idcircò clamat Apostolus, dicens: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus rectores tenebrarum harum, aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus, non quod in cœlo sint dæmones, sed in aëre, qui quidem his plenus esse creditur. In cœlestibus autem dixit, iuxta consuetudinem diuinæ scripturæ, quæ volucres quoque cœli appellat, quas per aëra volitantes cernimus. Magnarum autem virium esse illos ostendit, principatum & potestatem & regimẽ eis attribuẽs, non hoc tamen in omnes homines, sed illos duntaxat, qui tenebræ sunt. In illos verò qui lux sunt, ius nullum habent, nisi tentandi incitandi'que ad peccandum, vt & ipsis relicto benè agendi lumine malignæ actionis tenebras diligere incipiant, & cùm id fecerint, tunc etiam ipsis dominentur ac præsint. Aequum est enim vt qui ab innocentia recedendo sub potestate dei esse noluerit, diaboli subdatur potestati. Potestas autem illi⁹ tanta est, quantam Deus permiserit qui eorum opera vtitur, tam in prauos puniendos, quàm in bonos probãdos, vt hi cum aduersarij tentamenta vicerint, plus Ephe. 6.

præmij mereantur & illi victi si ad pœnitudinem non redierint, tanto iustius crucientur, quanto diutius expectati sunt vt redirent. Præterea si dæmonis potentiã ex testimonio scripturarum pensare volumus, profectò homini intolerandam insuperabilem'que esse inuenimus. Hũc Beemoth & Leuiathan dici legimus, quorum alterum elephantum, cetum alterum interpretantur: quæ duo animalium genera cum omnium quæ in mari terra'que habẽtur, maxima sint, maximã dæmonis vim significare videntur: & elephas quidem dæmones aëreos designat, cetus aqueos. Nam in vtroque elemento habitare feruntur. Nemo itaque mortalium tantæ virtutis est, tantæ'que constantiæ, qui eorum viribus valeret resistere, nisi vt valeamus deus præstaret, coërcens illorum robur, & nostram simul adiuuans imbecillitatem. Stultus est igitur, qui non totam resistendi spem atque vincẽdi in deo posuerit. Sit ille licet Abraham, vel Moyses, vel Dauid, vel Iohannes Baptista, vel aliquis Apostolorum, si propria virtute, & non ope diuina niteretur, statim succumberet: In deo autem sperans, victoria potiretur: Beemoth, inquit, quasi bos fœnum comedet, hoc est, paleas igni comburendas, fortitudo eius in lumbis eius, & virtus eius in vmbilico ventris eius. Illecebris enim Venereæ voluptatis, quæ circa lumbos & vmbilicum præcipuè sentiuntur, frequenter impugnat. Ossa eius velut fistulæ æris cartilago eius quasi laminæ ferri, ad duritiam diaboli ista referuntur, quoniam à malitia quàm semel amplexus est, nequid remoueri, & ære & ferro magis obduratus. Sub vmbra dormit in secreto calami. Hoc illud est quod in

Psalm. 9. psalmo dicitur: Sed in insidiis in occultis, vt interficiat pauperem dum attrahit eum. De Leuiathan idem ferè aliis verbis prædicatur, & vis naturæ dæmoniacæ exprimitur supra modum potens atq; versuta: quæ vtique cuncta humana subuerteret, nisi freno arbitrij diuini

uini compeſceretur. Per gyrum, inquit, dentiũ eius formido, corpus eius quaſi ſcuta fuſilia, compactum ſquamis ſe prementibus, denique flammas fumum'que de illo procedere ait: Ignita enim ſunt iacula diaboli, quibus illi qui vulnerantur, vel obſcœnæ libidinis ardore incaleſcunt, vel fumo inanis gloriæ laborãt. De eius etiam in malo pertinacia dicitur: Cor eius indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus. De tranſlatione etiam eius à ſtatu ſuæ ſublimitatis dictum eſt: Cùm ſublatus fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur. Iuſti enim deum timent, cùm etiam aduerſus angelicam naturam ſe verum fuiſſe recordantur: & territi ſtudent, ſi quid deliquerint, pœnitentia expiare. Quod autem arrogantibus dominetur, & ſuperbos iugo premat mortiferæ ſeruitutis, ex eo patet quod conſequenter dicitur: Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret, omne ſublime videt, ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. Neque rex ſolum, ſed etiam pater talium nũcupatur, dicente domino: Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Sicut enim qui opera Abrahæ faciunt, filij Abrahæ ſunt, itaq; qui diabolum imitantur, filij eius dicendi ſunt, non natiuitate, ſed voluntatis corruptę ſimilitudine. Ille, inquit, homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia nõ eſt veritas in eo, cum loquitur mendacia, ex propriis loquitur, quia mendax eſt & pater eius. Mendacio quippe & fraude primos homines deduxit in interitum. In veritate autem non permanſit, quia à deo, qui veritas eſt, per elationem mentis receſſit. Timendus eſt ergo vt homicida, cauendus vt mendax. Nam etiam ſi quãdo vera loquitur, mendax propoſito eſt, quoniam ne verum quidem veri dicendi ſtudio exprimit, ſed cura fallendi, vt poſtquam per nonnulla verè prædicata ſyncereque monſtrata fidem verbis adeptus fuerit, credulos

Iob. 41.

Iohã. 8.

Ibidem.

credulos tandem in foueam præcipitet erroris. Idem quamuis intimas hominum cogitationes ignoret, eas tamen per exteriores motus atque gestus iudicat & deprehendit, tum quocunque aliquem magis inclinari videt, eo accommodatis tentationibus trahere nititur, suggerens quicquid illum magis appetere coniicit. Tu verò si vis istud vitare periculum, etiam cum mali aliquid cogitaueris (impossibile est enim ne quando mens ad illicita nō recurrat) caue ne ad gestum cogitationis indicem prorumpas, & enitere vt citius desinat cogitatio, intus in anima, quàm per sensus effusa se foris ostendat. Quòd si illa patuerit, acrius impugnaberis vt cogitata opere perficias, & fortasse crebriori certamine labefactus, tandem succumbes.

Quare creatus diabolus.

Cap. 10.

QVare, inquiet aliquis, creatus est dæmon, si tā malus erat futurus, atque homini ad similitudinem dei facto tam inimicus ac tam īfestus? Factus fuit quidem angelus dei, vt cum reliquis beatis eiusdem generis in cœlo spiritibus beatitudine frueretur æterna. Et licet futuri præscius deus nosset illum p arrogantiæ vitium à statu suæ conditionis repellendū, sciebat tamen iustis expedire vt crearetur, ne videlicet deesset illis aduersarius, cuius molestia ad prælium exerceantur, & tandem victoria potiti, gloriosius coronētur. Hac de causa profectò etiam malos homines in mūdo nasci ac viuere credimus, non ad suam ipsorum qui damnandi sunt, sed ad illorum qui saluādi vtilitatem, vt cum nullo malorum odio, nulla persecutione, nullis iniuriis à iustitiæ pietatisque proposito repelli potuerint, multò plus gratiæ sibi apud deum comparent, q̄ comparassent, si nihil in vita aduersi paterentur. Ad

hæc

hæc ipsa summi rerum opificis prouidentia cum bona multa condidisset, etiam mala quædam his contraria fieri iussit, vt bona malorum comparatione optabiliora redderet. Paradisum itaque magis desideramus, quia scimus & infernum esse: vitam propter metum mortis plus diligimus. Lucem iucundiorem nobis facit molestia tenebrarum, sanitatem anxietas ægrotationis præstat gratiorem. Et vt ad virtutis culmen studiosius niteremur proposita peccatoribus supplicia compulere. Ergo & diabolus ideo creatus, vt eius fœditate offensi, magis affectaremus inferi consortio angelorum. At etiã quæri potest, quomodo diabolus adhuc pugnat, cũ Paulus dicat, quod Christus dominus exuerit principatus & potestates triumphans eas in ligno crucis? Potestas quidem diaboli per crucem Christi ita fracta & triũphata est, vt eos ille dimittere liberos fuerit coactus, quos ei primorum parentum crimine corrupta origo subdiderat, quosque idem idolorum cultura subuersos iugo perniciosæ seruitutis oppresserat. Cessauit itaque mundus dæmones pro diis habere post Euangelij vulgationem, cessauit & infernus esse fidelium animarum receptaculum, cũ Christus in cruce se cõfitentibus promittere cœpit paradisũ. Coluber tamen tortuosus hac tanta potestate exutus, aliud fallaciarum genus comentus est, disseminare hæreses cœpit & ad vitia concitare. Atque hoc illi permissum sicut diximus, vt sanctorũ robur atque constantia innotescat & scelesti tunc saltẽ cùm damnati fuerint intelligant, quàm immundo spiritui obsecuti sint, quàm bono domino derelicto. In istos igitur & pro istis in Isaia exclamat deus, & ait: Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum, & ego creaui interfectorem ad disperdendum omne vas, quod fictum est contra te, & omnem linguam resistentem tibi iudicio iudicabis, diaboli itaque vasa sunt, qui erroribus catholicam fidem

Colloss. 2.

Isaiæ. 54.

dem impugnant, atque ab iis qui pro veritate resistunt damnandi, vt & victi pœnas, & victores gloriam sortiãtur: Sequitur enim: Hæc hæreditas seruorum domini & iustitia eorum apud me dicit dominus.

De nominibus dæmonum propriis. Cap. II.

AD hæc vt plenius dæmonum deprauata natura nobis nota sit, scrutemur in scripturis, nam variè aliquando appellati fuerint, & ipsa nominum diuersitas diuersa illorum vitia monstrabit. Atque vt à propriis peculiaribus'que incipiamus dæmones vocan-

Demones.

tur, non quia demones, id est, scientes sint, sed dimenim (vt Eusebius inquit) hoc est, terrere consueuerunt. Ter-

Diabolus.

rori enim sunt nobis cum visibiles apparent. Diabolus appellatur, quia peccatorum accusator est, quem enim

Satanas. Zabulon.

Græci diabolum, eum nos criminatorem dicimus. Satanas & Zabulon Hebraicum est, hic fluxus noctis interpretatur, ille aduersarius, quoniam in tenebris dæmonum sunt opera, & perpetuò odio persequuntur sanctitatem.

Spiritus nequam. Belial.

Hi etiam spiritus nuncupantur, sed non sine additamento malitiæ vel nequitiæ. Spiritus enim sunt, omni prorsus prauitate pleni, omni immunditia referti. Belial interpretatur absque iugo, vel absque domino. Nam superbia elatus, dixit: Ponam sedem meam in aquilone, & ero similis altissimo. Excusso igitur obediẽtiæ iugo, dominum pati noluit, ideo ad ima deiectus adhuc non cessat superbire, & homines cõculcare vel-

Asmodeum

le. Asmodeum in Thobia legimus. Interpretatur autẽ facturæ iudicium vel plasmatio iudicantis. Quia fact' est ad malorum vindictam, probationem verò bo-

Beelzebub.

norum. Beelzebub muscarum deum sonat. Nam cum omnibus retia intẽdat, muscas tantum, id est, infirmos

Mammona.

capit, fortioribus non præualet. Mammona Syrum

Hebræo

Hebræo mixtum vocabulum est, & diuitias vel cupiditates designat. His ille imprudentium mentes implicat, ne deo seruire queant, cum mammonæ cœperint famulari.

De nominibus dæmonum brutalibus. Cap. 12.

Dæmonibus præterea, quoniam ex angelica in brutalem quodammodo conuersi sunt naturam, bestiarum nomina tribuit scriptura. Vnde & Dauid orans dominum, dicit: Ne trades bestiis animas cõfitentes tibi. Et idem alibi: Increpa (inquit) bestias calami. Fragilis est enim vt calamus, qui se ab his vinci patitur, & non potius ad auxilium dei recurrit vt vincat. In Ezechiele quoque promittit dominus facturum se, vt cessent bestiæ pessimæ de terra, quod partim in primo Christi aduentu impletum, partim in secundo implendum credimus, cum omnes bestiæ istæ in barathrum inferni detrudentur. Hi & leones & dracones dicuntur, quia nunc apertè nos inuadunt vt leo, nunc occultè nobis insidiantur, vt dracones. Aspis quoq; diabolus est & basiliscus, illis duntaxat quos primo congressu superat. Aspis quippe morsu, basiliscus aspectu statim perimit, viro autem iusto dicitur: Super aspidẽ & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & draconem. Beemoth & Leuiathan in historia Iob legitur, quos elephantum & cetum vocari diximus, alter tamen propriè bestialis interpretatur, alter persequens eos, quasi enim ferocissima bestia nũquam ab hominũ persecutione conquiescit. Vulpes præterea, quia fraudulẽta est, appellatur vt in Psalmo, Partes vulpiũ erũt, & qui versutiam eius imitatur vulpes est vt in euangelio de herode: Ite, dicite vulpi illi. Sanguisugam Salomon vocat in prouerbiis: Sanguisugæ (inquit) duæ sunt filiæ, dicentes, affer, affer: quæ sunt istæ filiæ, quæ quantũ-

Bestiæ.

Psal. 72.

Ezech. 34.

Leones.
Dracones.

Beemoth.
Leuiathan.

Vulpes.

Sanguisuga.

quantumuis afferas non ſatiantur, nisi libido & auaritia: quibus qui illaqueatus fuerit, ei diabolus erit verè ſanguiſuga, exhauriens eius ſanguinem per concupiſcẽtiam & ſpiritum per concupiſcentiæ adimpletionem vt corpori ſimul animæque noceat. Idem ſerpens dicitur & ſcorpio. Mera enim venena ſunt quicquid ille ſuadet, huius tamen periculi metu ſeruos ſuos liberat ſaluator, dicens. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones. In Iſaia eſt ſcriptum, Implebuntur domus eius draconibus, habitabunt ibi ſtrutiones, & piloſi ſaltabunt ibi, reſpondebunt vlulæ & ſirenæ in delubris voluptatis. Dæmonum hæc nomina ſunt. Domus eorum es ſi perditè viuis, draco tibi eſt diabolus ſi viroſos eius afflatus non deuitas, ſtrutio tibi eſt, ſi terrenarum rerum curis implicaris. Licet enim pennas habeat ſtrutio, nunquam tamen à terra ſubleuatur. Piloſus tibi eſt, ſi in vitiis conſeneſcis, piloſa nanque eſt ſenectus. Vlula tibi eſt, ſi in tenebris vitam agis, & ab eo auerteris qui ait: Ego ſum lux mundi. Vlula enim eſt nocturna auis. Denique ſirena tibi eſt in delubris voluptatis, ſi cantibus amatoriis delectaris, citharæque ſono ad laſciuiam carnis concitante. Aiunt enim ſirenas olim in Siculo littore viros præter nauigantes cantu demulcere, & conſopitos laniare ſolitas, facile ab iis capietur, qui obturatis velut Vlyſſes auribus non pertranſierit. Dæmones præterea volucres cœli appellantur, quia ſemen verbi dei, quod in duro ſolo & nullo cõpunctionis vomere proſciſſę cecidit, rapiunt protinus & abſumunt. Sic autem indurato homini diuina in Ezechiele iuſtitia minaciter intonat & ait. Beſtiis terrę & volatilibus cœli dedi te ad deuorandum. Hi ſunt locuſtæ illę in Apocalypſi, equis ſimiles bellatorib⁹, quia feroces, & ſuper capita eorum coronæ ſimiles auro, quia ſuperbi, facies hominum & capilli mulierũ, quia vtrique ſexui inſidiantur, dentes leonum, quia quos vicerint

Serpens. Scorpio. Iſaiæ. 14. Strutio. Piloſus. Vlula. Sirena. Volucres. Ezech. 28.

cerint, perimunt: loricas ferreas habent, quia in malitia obduruerunt, alij perstrepunt, quia velociter omnia permaneant, caudas scorpionum aculeatas gerunt, quia vnus eorum finis est nocendi hominibus. Et habēt (inquit) supra se angelum Abyssi, cui nomen Hebraicè Abadon, quod est exterminans. Extorres enim à cœlesti patria facit, qui suæ consentiunt tentationi. Quis vnquam tam terribilium bestiarum, tam malignorum spirituũ, vel sæuitias vel dolos posset euadere, nisi periclitantibus dominus opem afferet, nisi furorem eorum vis diuina cohiberet, astum'que reprimeret? Abadon.

De nominibus dæmonum publicæ dignitatis. Cap. 13.

ET hæc quidem à brutis animalibus mutuata nomina, illa ab hominibus, quæ partim publicæ dignitatis sunt, partim conditionis priuatæ. Nam & rex dicitur, vt in Prouerbiis. Væ tibi terra, cuius rex est puer. Diabolus puer est, quia non senescit, nec ætatis damna sentit. Væ autem & terreno homini, qui in mundi spirit[9] imperio paret. Idem Pharao est rex Aegypti, rex tenebrarum, id enim interpretatur Aegypt[9] Pharao ergo est, qui populo dei est molestus, nolens eũ dimittere, vt sacrificiũ offerat deo sed vt sibi seruiat, ad terrena & lutea opera compellens. Est & Sion rex Amorræorum. Seon arbor infructuosa interpretatur & procera, vtrumque dæmoni conuenit, qui nullum ex se boni fructum gignit, & supra modum effertur superbia. Amorræi amaritudinem adducentes vel loquentes dicuntur. Quid autem amarius hæretica prauitate? Hęreticorum igitur Seon iste rex est, vt cum illo simul pereāt, si ab eo ad Christũ qui veritas est, nō conuertētur. Hic est ille Seon superbus qui fideles Israëlitas, nō finit in pace transire per fines regni sui, obstat'que armatus,

Rex. Puer. Pharao. Amor. Deut. 1.

matus, innito tamen prælio succumbit. Tentare enim dæmon sanctos potest, vincere non potest, deo cui seruiunt, protegente. Hic idem est Balaach rex Moabitarũ, qui Balaam diuinum compellebat, vt fideli populo malediceret: cui autem deus benedixerat, ei Balaam maledicere nequiuit. Balach exclusio interpretatur & deuoratio. Ideò ergo Balach est diabolus, quia seruos dei ab hæreditate cœlestium bonorum excludere molitur, & in illos infidelium excitat odia, persecutionibus cupiens auertere à fide, atq; aduersos deuorare. Idem & rex Gai, Gai præruptum dicitur siue vorago, quæ est infernus dæmonum domicilium. Hunc regem Gai Iesus in bello victum cœpisse memoratur, crucique affixisse, exercitum eius fudisse, vrbem verò igni succendisse. Ducem ergo Iesum sequamur, atque aduersus regem Gai bellãdo preualebimus: & si nos vexillum ferre crucis viderit, in qua Iesus noster semet crucifigendo illũ confixit, metu perculsus concidet, vel in fugam conuertetur. De quo per Isaiam fuit prædictum: A facie domini pauebit Assur virga: hoc est, cruce domini percussus. Vrbs autem eius cui dominabatur, gentiles erant, quæ tunc quidem concremata est igni, cum gentiles ad Christum conuersi. Ignem (inquit) veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? Hic idem diabolus Nabuchodonosor est rex Babylonis. Nabuchodonosor, sedens in angustia agnita exponitur. Diabolus enim creatori suo rebellis, quamuis agnoscat errorem suum: qua tamen superbia est, nunquam adduci potest, vt ipsum peccati pœniteat. Rex autem est Babylonis, in illos exercens imperium, qui errore aliquo confusi sunt, nam Babylon confusio dicitur. Hic obsedisse Hierusalem describitur, hoc est homini fideli tetendisse insidias, propriis tamen viribus ciuitatem capere nequiuit, donec rex Ioachin, idẽ, rationalis animę pars vltro se illi tradidit. Captus igitur Ioachin iste, quia

Balach.

Rex Gai.
Iosue. 8.

Isaiæ. 30.

Nabuchod.

quia capi voluit, de Hierusalem transfertur in Babylo-
nem, de virtutibus ad vitia. Itaque nisi nostra spontè
manum dederimus diabolo, & eius malignæ suggestio-
ni consenserimus: oppugnare quidem arcem animę no
stræ poterit, expugnare non poterit: & hæc sanè sunt
publicæ potestatis magis insignia nomina, quibus illũ
dignum non sua merita, sed hominum peccata fecerũt,
veniamus ad priuata.

De nominibus dæmonum priuatæ conditionis. Cap. 14.

PRimogenita Aegypti sunt dæmones inter omnes Primogeni-
nequitia primi, dicente domino: Meum est omne ta Aegypti.
primogenitum, ex quo percussi primogenitos in
terra Aegypti, sanctificaui mihi quicquid primum na
scitur in Israël. Certè nisi dominus noster Iesus Chri-
stus primogenitos Aegypti percussisset, principatus (vt
Apostolus ait) & potestates aduersas traducens & triũ-
phans in cruce, sanctificatio eius, qui primogenitus om
nis creaturæ ad nos peruenire minimè potuisset. Qui
ergo nos vult cum primogenitis Aegypti percuti, per-
maneat in benedictione primogeniti Christi, vt saluus
fit. Hi etiam Sydonij nominãtur, id est, venatores. Qui Sydonij
autem homines erunt & non bestiæ. Sydoniorum isto-
rum venatione capi non poterũt. Ad bestiarum enim.
non ad hominum capturam pertinet venatio. Ille ta- Psal.48.
men ex homine in pecudem vertitur, qui peccat, dicẽ-
te propheta, Homo cũ in honore esset nõ intellexit, cõ
paratus est iumentis insipientibus, & similis factus est Chaldæi.
illis. Hi etiam Chaldæi nuncupantur, quos in Abacuc, Abacuc.1.
propheta se suscitaturum minatur dominus aduersus
iustorum contemptores, Ecce (inquit) ego suscitabo
Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem
super latitudinẽ terrę, vt possideat tabernacula nõ sua.

Chaldæi quasi dæmones, vel quasi feroces interpretantur, & quoniam per latitudinem ambulant quæ ducit ad perditionem, tu tibi econtrario viam arctam elige, quæ ducit ad salutem, & Chaldæi isti non ingrediūtur tabernaculum in quo habitare viderint Christum, sed tabernaculum virtutibus vacuum, & vitiis patens, hoc est, praui hominis animam, quæ ante peccatum dei erat: post peccatum verò data est satanæ in possessionē, vt sua sit per reatum, quæ sua non est per naturam. In eodem propheta malignos spiritus etiam Aethiopum vocabulo significatos cōstat. Pro iniquitate (inquit) vidi tentoria Aethiopiæ. Tentoria Aethiopiæ sunt omnes iniqui, increduli, impudici, auari. In his enim habitant, horum carnibus vescūntur. De eiusmodi homine in psalmo est dictum. Dedisti eum escam populis Aethiopum. De iusto autem & fideli dicitur, Coram illo procident Aethiopes, horum interpretatio tenebrarum & caliginis est. Quàm ergo miserum est, quàm omni calamitate infelicius, seruire tenebris, & à deo qui lux est recedere? Dæmones præterea sunt gigātes, quos in Isaia aduersus Babylonem, id est, animam in peccatis confusam à domino suscitandos legimus. Sunt etiam calumniatores, vt in psalmo, Humiliabit calumniatorē. Vir etiam iniquus & homo inimicus est dæmon, vt in psalmo. A viro iniquo eripies me. Et in Euangelio, Inimicus homo in medio tritici superseminauit zizania. Idem est Barrabas, qui adhuc inter Iudæos homicidia peragit incredulitatis, & ne ignoremus angelum aliquando dei fuisse, post reatum etiam angelus nominatus est, non tamen bonus, sed malus, non dei, sed diaboli. Vt est illud in psalmo, Immissiones per angelos malos, & illud in euangelio, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Qui quoniam transfigurat se aliquando (vt Apostolus ait) in angelum lucis, prudentia opus est ad dignoscēdos spirit⁹.

Abac. 32. Aethio. Psal. 71. Gigantes. Calūniatores. Vir iniquus Homo inimicus. Barrabas angel⁹ mal⁹

Ex fru-

Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Quoties mali aliquid vel à fide alienum suggerere cœperint, certum erit, sub illa luce dæmonis tenebras latere, & simplicibus laqueum intendi.

De dominatione dæmonum à rebus inanimatis. Cap. 15.

POstremò vt apertior eius nequitia sit, nonnulla nomina etiam à rebus inanimatis sortitus est. Nã & gladium & clypeũ appellatum in sacris literis apparet in Ezech. Gladius exacutus & limatus vt cædat victimas, & paulò pòst: Veniat (inquit) gladius regis Babylonis. Hoc gladio impios concidendos minatur dominus, nisi corrigantur. In Naum propheta dicitur: Clypeus fortium eius ignis. Iste ignitus clypeus homines vrget in libidinem, vt per stupra adulteriáque traductos mactet gladius exacutus. Turpis enim voluptatis finis est interitus, breuissimum est quidem quod delectat, quod autem torquet & excruciat, æternũ est. Rursum in Ezechiele mons Seir nuncupatur. Hæc dicit dominus deus: Ecce ego ad te mons Seir, & extendã manum meam super te, & dabo te desolatum atq; desertum. Seir interpretatur hispidus & pilosus. Diabolus quippe Esau pilosi partes secutus aduersus populum Iudæ, id est, confessionis illos videlicet qui Christum confitebantur, sese erexerat, & montis instar superbia elatus, regnabat inter infideles. His autem ad Christũ conuersis, ille desolatus est & desertus, quod futurum de eodem monte Zacharias quoque vidit cum diceret, Quid tu mõs magne? coram Zorobabel in planum. De Zorobabel enim natus est Christus, cuius virtute concidit regnum diaboli. Hic ille mons est, de quo etiam in Euangelio dicitur: Si habueritis fidem vt granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc & transibit. Non

Gladius. Ezec. 21. Nume. 2. Clypeus. Mõs Seir. Ezech. 35. Zach. 4. Matt 17.

itaque montes per fidem transferendos dixit dominus, quid enim id iuuaret? sed diabolum repellendũ Reor hunc ipsum ab Apostolo profundum dici, vbi ad Ephesios scribens, ait: Vt possitis comprehendere quæ sit latitudo & longitudo & profundum & altitudo, hoc est, vt queant intelligere & ista media quæ in latum longumque tenduntur, & quæ in imum potestates inferas, & quæ in sublime, angelicas virtutes, vt videlicet præsentia benè disponant ratione futurorum, in quibus necesse est, aut supplicia pati, aut beatitudine perfrui. Ad hæc pluuiam illam & flumina & ventos in Euangelio, quorum impulsu domus mala fundata euertitur, dæmones esse intelligimus, qui neminem quidẽ supplantant facilius, quàm eos qui in se, cum solubilis arena sint, confidunt, & Christo qui petra veritatis est non innituntur. Diabolus præterea via peccatorum dicitur, dicente Psalmista: Viam peccatorum disperdet. Et alibi: Via impiorum peribit. Si diabolum sequi desieris, & Christo cœperis adhærere, via peccatoris peribit, & anima pœnitentis erit salua. Idem humani generis perpetuus hostis, etiam olla ardens dicitur, dicente Ieremia: Ollam succensam ego video, in ea excoquendi sunt habitatores terræ, & nõ peregrini neque aduenæ, quorum cõuersatio in cœlis est. Idẽ postremò mors appellatus est, dicente domino: Ecce posui ante oculos tuos vitam & mortem, hoc est, me vitam & diabolum mortem. Si ergo Christũ tibi elegeris, viues: si diabolũ, morieris. De quo Apostol9 etiã dixit: Nouissimus inimicus destruetur mors. Illis duntaxat destruetur, qui à dextris iudicis consistere iussi erunt. Aduersum sanctos enim nullum ius vltrà diabolo erit, ne tentandi quidem. Quoniam hi cum Christo ibunt in vitam æternam, diabolus autem & angeli eius & omnes impij in ignem æternum. Ac ne plura id genus perquirere otiosum sit, hic ille est, cui nomina mille, mille nocẽdi artes,

Ephe.3. Profundum

Pluuia. Flumen. Ventos.

Psal.141. Via peccatorum.

Olla ardens Ieremiæ.1.

Deut.30. Mar.

artes, cuius viribus quis resistet, cuius insidias quis euitabit, nisi qui fidei speique & reliquarum virtutum armis munitus fuerit & cum aduersario congressurus vincendi fiduciam non in se, sed in deo habuerit? Hæc de nominibus, nunc reliqua distinctius dispositiusque cõsideranda sunt.

Quòd tentationes pati necesse sit, maximè circa principia conuersionis. Cap. 16.

QVādiu in corpore viuimus, aut à diabolo, aut à sensuum nostrorum concupiscentia molestias pati necesse est. Propterea quidem in ecclesiastico est scriptũ: Fili accedẽs ad seruitutem dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuã ad tẽtationem. Et in Iob: Tẽtatio est vita hominis super terram. Ille verò qui vitam magis religiosè ducere decernit, maiorem sustinet dæmonum inuidiam. Nam cum ipsi à deo recesserint, ei maximè irascuntur, quem deo proximè accedere animaduertũt. Vnde Apostolus: Omnes, inquit, qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur. Eos etenim nequissimi spiritus vel per insomnia illudere contendunt, vel per horrendas apparitiones terrere, vel per blandimenta turpis voluptatis irretire, & quãuis victi semper discesserint, semper rursum ad pugnam armantur, semperque occasionem nocendi quærentes nusquã absunt, repulsi astant, fugati redeũt, dicta factaq; nostra, gestus insuper ac motus speculantur, quæ si ad malum inclinari viderint, lętãtur, & modis omnibus ad perpetrãdum scelus vrgẽt, in sũma, facere quippiã nequimus, quin illi omni loco, omni tempore circa nos sint, nobiscum commorentur.

Eccle. 2. Iob. 7. 1. Tim. 3.

Iosue.15. Sic filij Iudæ superare quidem Iebusæum potuerũt, delere non potuerunt, vnde cum eis etiam habitasse dicũ
Iosue.16. tur. Sic filij Ephraim & Manasse subiecisse certè sibi
Iosue.17. Chananæum feruntur, non tamen eum interfecisse. Tẽtationes igitur vincere possumus, ne autem tentemur efficere non possumus. Quòd si dominum serpens tortuosus & in omne nefas confidentissimus, tentare ausus est, quanto magis domini seruos? Nunquid non in euangelio legimus, quod ipsos etiam domini apostolos inuasit quandoque tentatio? nec inuasit solum, verumetiam superauit. Iudam vicit auaritia, Petrum timor, filios Zebedæi honoris appetitio, quosdam quis ex ipsis maior esset, contentio: quosdam dominicæ resurrectionis in credendo ambiguitas. Ex omnibus tamen vnus Iudas periit, quia veniam desperauit. Cæteris verò benignitas domini subuenit, veniam'que indulsit, quia & ambitionem conuerterunt in humilitatẽ, & contentionem in concordiam & dubitationem in fidei firmitatem, & metum in audaciam, etiam inter sæuientes tyrannos
Ephe.6. Christum confitendo. Datus erat & Paulo angelus satanæ, qui eum colaphizet, vnde exclamans, ait: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus rectores tenebrarum harum, aduersus spiritalia nequitię in cœlestibus. Quomodo enim fortissimi atlethæ virtus probaretur, nisi ipse contra fortissimos dimicaret? Nobis verò vt minus perfectis, ex diuina dispensatione minor incumbit lucta: adhuc enim & aduersus carnem pugnamus, & dæmonum inferiorum insidias patimur, quoniam nondum tantum virium concepimus vt cum principibus & potestatibus manum conserere valeamus. Procerum ecclesiæ istud certamen est, vt cum potentibus pugnando, plus gloriæ referant ex victoria. At verò postquam carnis desideria pietatis ac iustitiæ studio mortificauerimus, tunc & ipsi poterimus dicere:

Non

Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem. Interim si in hac leniore ac proletaria pugna non vicerimus, quomodo in magis graui bello principum atque rectorum vincemus? Porrò, si strenui militis operam in turba præstiterimus, iam certè altius promoueri merebimur, vt videlicet inter decuriones, vel cẽturiões vel tribunos etiã ac duces cẽseamur. Quo si peruenire cupimus, ipsa militiæ nostræ rudimẽta atque principia fortiter constanterque nobis exequenda sunt, nec committendum, vt à lixis & calonibus vincamur, qui principes quoque eorũm optamus Christo adiuuante subiugare, vt quo difficilior fuerit victoria, eo maius quoque speremus premium.

De duobus tentationum generibus. Cap. 17.

Tentationum autem duo sunt genera: Aut enim à deo tentamur vt probemur, aut à carne & diabolo vt peccemus. Tentauit DEVS Abraham vt obedientissimum sibi esse ostenderet. Tentauit filios Israël, quemadmodum in Deuteronomio legitur, quadraginta annis per desertum deducendo, vt notum foret quantæ constantiæ sint in illis obseruandis, quæ sibi mandata præceptaque erant. Vnde in psalmo dicitur: Probasti nos deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Igitur tentatio domini, tentatio probationis est, non malitiæ neque præcipitationis. Quapropter Iacobus Apostolus ait: Nemo cùm tentatur dicat quoniam à deo tentatur, & ne ambiguum relinqueretur, de qua tentatione hoc diceret, subiunxit: Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tẽtat ad malum, vnusquisque verò tentatur à concupiscẽtia sua abstractus & illectus, deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm con-

Psal. 45.

Iacobi. 1.

consummatum fuerit, generát mortem. Tentatio ergo carnis & diaboli, semper prouocat ad peccãdum. Quare de istorum tentationibus nobis assiduè aduersantibus nũc est tractandum: & prius quidem de ipsa diaboli tẽtatione, qui carni simul insidiatur & spiritui. Aperiamus igitur dolos eius tendiculaq́ue & laqueos vt deprehensis inimici fallaciis facilius euitetur mortis periculum, vt certius vitæ æternæ bonum speretur.

Diabolus. Hic est ille teterrimus Pharao, qui nos vetat exire de Aegypto, seculiq́ue vanitatibus renuntiare, & Moysen sequi in desertum, ac tandem Iesu duce promissionis terram intrare. Hic est leo rugiens qui circuit quærẽs quem deuoret. Hic est fur & latro qui non venit nisi vt furetur & mactet. Hic est denique lupus rapax, domini co ouili semper insidians, rapiẽs & dispergens, & nullo vnquã sanguinis haustu satiatus, nunc promissis allicit, nunc terret minis, nunc assentatione blanditur, nunc etiam verberibus compellit. Promissis quidem primos nostros parentes prostrauit. Eritis, inquit, sicut dij sciẽtes bonum & malum, & nequaquam moriemini. Minis autem grassatus est in martyres pariter & verberibus, cum idololatras vt in eos desæuirent, concitasset. Prima nobis documento sunt, vt neque blandimentis neque pollicitationibus eius vllam adhibeamus fidem. Secundi, vt omnia prius extrema pati parati sim⁹, quàm deo

Ierem. 41. peccare. Nec bellum igitur minanti pareas, nec pacem offerenti credas. Pax eius pax Ismaëlis est, qui Godoliã amicè inuitatum, nihilq́ue mali suspicantem inter epulas interemit. Bello autem neminem superat, nisi qui inductionibus ei⁹ assentit. Deniq; quicquid agit, quicquid molitur, eo tendere noueris, vt fallat: cumque deceperit, vt interimat: & quidem morte illa quæ semper cruciat, & mori cupientes mori nunquam finit. Idẽ signis etiam præstigiisq́ue mentem hominis nititur obstupefacere transmutatq́ue se in angelum lucis, vt

cum

eum dei angelum vel sanctorum aliquem esse credideris, facere non dubites quod imperabit. Apparet aliquando sub specie comptæ formosæque mulieris, vt ad libidinem incendat, aliquando monstrosum & horribilē se ostendit, vt exterreat. Tu ergo tātæ malignitatis atque fraudis nō ignarus, diligenter animum aduerte, atque tecum tacitus examina quo tendant eius verba, q̄d gestus exigant, quo alienę imaginis figmenta prouocet, & caue ne quid committas aut à fide alienum, aut ab honestate diuersum, aut voto castitatis cōtrarium neque vt susceptum pro amore dei vitæ perfectioris propositum vanis inimici terrorib⁹ agitatus derelinquas. Nihil tibi diabolus nocere poterit, quandiu tu cū deo tuo constanter ambulaueris, dicens: Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. Fortior cunctis dæmonibus est, qui innocentiam seruat, & in deo confidit. Quòd si etiam verus tibi de cœlo angelus vel sanctus aliquis apparuerit, nihil offendes inquirēdo an verè is sit qui videtur. Iesu Naue vir multæ pietatis atq; fidei, cum visibili specie angelus ei occurrisset non dubitauit interrogare illum, dicens: noster es an aduersariorum? Nec antè iussis eius obediuit, quàm quòd angelus dei esset, compertum habuit. Gedeon quoque ad liberandum ab hostili vastatione populum electus angelum vidit, loquentemque audiuit, & tamen da mihi signum, inquit, quod tu sis qui loqueris ad me: accepto autem signo, credidit. Vterque tibi exemplo sit, ne visis eiusmodi nimis citò fidem adhibeas, donec argumēto aliquo tibi veritas constet. Tum si qua adhuc residua erit suspicio, illi qui ætate & sapientia præstant, erunt consulendi, ex eorum sententia iudicium faciendum. Arrogantis est, dubiis in rebus proprio sensu niti, & aliorum nolle audire consilia, facileque erroribus patet qui suæ semper plus tribuit, quam prudentiæ alienæ. Vbi autē non auri neq; argēti, sed quod his preciosius

Iosue. 5. Iudit. 6.

preciosius est, animæ periculum imminet, etiam tuta metuere sapientis est.

Quòd diabolo imminutæ sint vires.
Cap. 18.

VEruntamen si qua solito grauior ingruerit tentatio, non cadamus animis, imminutę sunt diabolo vires in saluatoris nostri aduentu, ipso dicente: Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mũdi eiicietur foras. Eiectus est enim de cordibus multorum, qui idola colebant, desiit ille nequam ita latè regnare vt solebat, nec iam tantum in se confidentiæ alit licet arrogantissimus sit, & audito tantum Christi nomine contremiscit. Postremò ita ille diuinæ erga nos miserationis constringitur freno, vt nocere nisi ꝑmissus nequeat. Nam si expulsus ab homine intrandi in porcos non habuit potestatem donec concessit ipse cuius iussu pellebatur, quanto minus offendere poterit hominem nisi deus voluerit. Bono igitur animo simus, & certissima vincendi spe ad pugnam accingamur. Dominus noster non sinet nos tẽtari supra id quod ferre possumus, sed faciet (vt apostolus ait) cum tentatione prouentum, vt possimus resistere. Permisit sanè etiam patientissimum virum Iob tentari, & calamitatibus affici non vt diabolo faueret, sed vt hominis virtutem manifestam faceret. Non potuit inimicus neque opum rapina, neque filiorum orbitate, neque corporis in tabem conuersi morbo, illius vincere constantiam, & quẽ deiicere sperabat ei, maioris gloriæ adipiscendæ præbuit occasionem, vt inter ærumnas beatior fieret, quantum prosperitatibus abundaret. Quis enim antehac patiẽtiam eius laudauit, quam postea omnes admirati sunt. Hæc est igitur causa quare nobis dominus dederit aduersarium

Ioan. 6.

Matth. 8.

Iob. 1.

uersarium, quare ab eo nos tentari voluerit, vt videlicet cum vicerimus, milites suos imperator benignissimus tanto magis remuneret: quanto magis promptè ac strenuè certauerimus: ad pugnam quippe non ad quietem in hoc terræ theatro missi sumus, vt neque fortes nisi præcedentibus meritis mercedem accipiant, neque ignaui mulctam, nisi cum ab hoste victi apparuerint. Non est otiosa dei militia. Placuit ei fideles suos laboribus, fatigationibus, ærumnis, persecutionibus, malorum odiis iniuriisque experiri. Vnde angelus ad Tobiam: Quia acceptus eras deo inquit, necesse fuit vt tẽtatio ꝓbaret te. Idcirco nec in oratione dominica petimus ne tentemur, sed ne inducamur in tentationem & seducti viam salutis relinquamus. Quam rem petendo apertè ostendimus, nos quidem ad repugnandum impares esse nisi ipse adiuuet, qui solus potest omnia, qui etiam infirmitatem nostram miseratus, contra angeli mali vim atque versutias vnicuique nostrum angelum bonum dedit, qui regat, qui custodiat, qui à nequitia auocet, & occultis conscientiæ stimulis ad virtutes capessendas impellat. Et si tanta est deo cura salutis nostræ vt suos angelos pædagogos nostros esse voluerit, haud multum timendus est mortis machinator diabolus, quia semper vincemus, si semper angeli de cœlo nobis missi monitis inspirationibusq; parebimus, & à domini nostri mandatis nunquam discedemus. Omnem igitur vincendi spem in deo collocemus: & quoties vincimus, ei soli victoriæ gloriam dedicemus: ei gratias agamus, dicamusque cum Psalmista: Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in brachio virtutis tuę dispersisti inimicos tuos,

Tob. 12.

Psalm. 88.

Quomodo vincitur tentatio.
Cap. 19.

In-

INuidia diaboli mors introierat in orbem terrarũ, sed hac morte per Christũ liberati sumus & ad vitam, quàm propter præuaricationem primorum parentum amiseramus, reuocati. Gaudebat inuidus ille sanctissimos etiam viros in infernum descendere, & quasi victor quia primos vicerat, de omnibus triumphare. Sed gaudium istud versum est ei in luctum. Legauit fortem fortior dominus & domum eius intrauit, & vasa eius diripuit, suo aduentu absoluens illos qui in carcere vincti tenebātur, de tenebris transferens in lucem. Quin etiam vulgata euangelij veritate, regnum mundi eripuit diabolo, quo magis ille doleret, ne in gẽtibus quidem ius esse sibi relictum, omnibus iam à falsa ad veram religionem conuersis. Hac ergo potestate atque hoc regno priuat⁹, quid ageret, quo se verteret, nesciebat. Rursum tamen nouo fraudum genere vsus, in illorum qui conuersi erant cordibus (vt suprà est dictum) inserere hæreses cœpit: vt in quibus idololatria iam desecerat, non deesset mendax de vera religione sententia. Atque ita non paucos quibus in credendo mens leuior erāt, subuertit. Quos autem firmos ac stabiles in fide vidit, eos perniciosæ voluptatis illecebris ad peccādum prouocare cœpit, vt quos fidei defendit synceritas, mandatorum saltem transgressio condemnet. Nos ergo qui in Christum credimus, qui dei filium confitemur, tantæ in nos inimici inuidiæ non ignari, quoties delinquendi concupiscentia mentem solicitare cœperit, meminerimus dolos esse carnificis nostri, nihilque agamus, in quo deum offendi nonimus, & ob quod si egerimus, de altitudine paradisi quā speramus, in abyssum inferni quam timemus, deturbandos nos esse certū sit. Cùm itaque molestior difficiliorque sese ingesserit tentatio, & cordis intima lacessere cœperit, tunc ieiunium nobis pro scuto sit, pro gladio oratio, dicente domino: Hoc dæmonium non eiicitur nisi in ieiunio & oratione.

oratione. Nam & ipse dominus tunc ieiunabat cum tentatorem vicit. Et idem. Vigilate, inquit, & orate ne intretis in tentationem. Apostoli quoque cùm naufragium timerent, dormientem illum clamoribus excitant. Adiuua nos (inquiunt) domine, perimus. Tunc ipso vẽtis fluctibusque imperante, facta est tranquillitas. Nulla est igitur tam grandis tentatio, quam deum deprecando non vinces, & rursum nulla tam parua, à qua nõ superaberis propriis viribus confidendo. Quare in deo sperans ora, & dic: Velociter exaudi me domine, defecit spiritus meus. Eripe me de inimicis meis ad te confugi. Doce me facere voluntatem tuã, quia deus meus es tu. Quòd si sanctus propheta sic orabat, quomodo peccator poterit resistere, nisi & ipse instanter orauerit? Igitur quanto violentiorem motum intra te senseris, tanto ardentius auxilium inuoca. Iosaphat ab inimicis circundatus, clamauit ad dominum, & illis protinus auersis, periculo liberatus est. Ita & tu, si toto cordis affectu precatus fueris, inimici aduersum te machinamenta statim dissoluentur, teque omni molestia liberum ac pristinæ quieti restitutum continuò cognosces. Cumque hoc tibi contigerit, deo gratias age, qui tam citò satanam pedibus tuis subiecit. Nisi enim ille opem tibi laboranti miseratus attullisset, nunquam vicisses. Tanta est autem domini nostri erga nos benignitas, vt etiam pro eo quod ipso adiuuante vincimus, remuneret victores, & suum beneficium in nostrum transire patiatur meritum, modo post victoriam ne insolescamus, sed humiles ac submissi de omnibus ei laudem demus, ita enim etiam pro his quæ domino tribuerimus, ipsi præmium merebimur atque mercedem.

Psal. 142.

2. Para. 18.

De ten-

De tentationibus carnis. Cap. 20.

NVnc quoniam paris periculi est, à propriis cupiditatibus per carnis blandimenta superari, qualiter cum his quoque nobis decertandum sit videamus. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem: hæc sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Hæc Apostolus. Deinde quis vtriusque finis sit ostendens ait: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum dei non consequentur. Expositis autem quæ carnis sunt, continenter enumerat quæ ad spiritum referuntur. Fructus (inquit) spiritus, est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Ex his perspicuum est, quanta sit diuersitas inter carnem & spiritum, cum alteri vitia, alteri tribuantur virtutes. In medio istorum anima libertate sui arbitrij vtens in quam partem voluerit, potest conuerti. Sed si carni consenserit, regnum dei non possidebit: sin verò spiritum suum, id est, innatum sibi rationis lumen secuta carnis appetitionibus repugnauerit, victo aduersario mercedem capiet æternæ beatitatis. Quamobrem spiritu, inquit, ambulate, & desideria carnis non perficietis: hoc est, bonum quod ratio suadet, mali cupiditas ne destruat. Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Quos ergo concupiscentia superat, & quibus caro dominatur, hi non sunt Christi. Neque enim fieri potest, vt ali-

Gal. 5.

vt aliquis & seruus Christi sit, & vitiorum mancipiũ. Si spiritu, inquit, viuimus, spiritu & ambulemus. Qui sit autem iste spiritus, quo viuimus, declarat saluator in euangelio, dicens: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: Caro non prodest quicquam. Domini igitur nostri præcepta spiritus & vita sunt, ea obseruã do viuemus, carni autem quæ non prodest, consentien do mori necesse est. Caro enim absque spiritu viuere nõ potest. Tunc autem absque spiritu est, cũ à mandatis diuinis se auertens propriam sequitur voluntatem, & pecudum more præsentia appetit, futura non considerat, visibilium amore capitur, inuisibilia contemnit, neque quod ratio discernit, sed quod appetitio suggerit, sequitur. De qua carnis violentia conqueritur Dauid, & ait: Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem tota die contristatus ingrediebar, quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus & nõ est sanitas in carne mea, Et Apostolus: Condelector (inquit) legi dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in mẽbris meis repugnantem legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrũ. Igitur ego ipse mente seruio legi dei, carne autem legi peccati. Quæris quare contrariæ inter se volũtatis sint spiritus & caro? quia caro ex Adam qui peccauit, propagata est, animam verò & spiritum non ab Adam, sed à deo accipimus. Idcirco spiritus expetit ea quæ deo placent, caro autem magis illa concupiscit, quæ ipsam delectant & ad peccandum est prona, quia traducitur de peccato tantaque eius vis est aduersus spiritum, vt luctanti repugnare spiritus ipse per se non sufficeret, nisi virtus diuina quæ illum creat & creando infundit, & infusum conseruat, etiam periclitantem adiuuaret. Quis me liberabit, inquit Apostolus, de corpore mor-

Ioh. 6.

Psal. 37.

Roma. 7.

Quæritur quare caro aduersetur spiritui.

tis huius, hoc est, de corpore in quo primi parentes nostri cum non obedissent deo, mortui sunt, respondet & ait, Gratia dei per Iesum Christum. Nos igitur in Christum credentes, à carnis violentia non nostræ vires, sed diuina liberat gratia. Quamuis autem ab Adæ maledictione tunc absoluimur, cum in Christo per baptismũ regeneramur, manet tamen in nobis fomes peccati, vt hi qui Christi sunt in certamine suę carnis probentur, & qui vicerint eo ascendant, vbi æternæ pacis ineffabili bono perfruantur. Hac tanta ergo proposita mercede constanter pugnemus, & omnes perniciosæ cupidinis ictus perseueranti conseruandæ innocẽtię studio irritemus. Quòd si & à bestiis & ab hominibus & ab omni prorsus periculo nos defendimus ac tuemur, ne vitam istam breuissimam ac miseriarum plenam amittamus, quanto acrius improbis præsentium voluptatũ appetitionibus renitendum est pro vita illa felicissima & immortali quàm talium appetitionum victoribus in mercedem tribui certissimum est.

De remediis contra carnis tentamenta. Cap. 21.

ET quoniam malum illud quod caro suggerit, cogitatio concipit, cogitatio ipsa quàmprimum cohibenda est, ne pariat quod conceperit. Vipereum intra te fœtum ne sinas crescere. Solet adultus venena effundere, & animam hominis enecare. Protinus abige pestiferam cogitationem dum paruula est. Dum parũ virium habet, non difficulter opprimitur, sponso in cãticis dicente: Capite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas, & vineæ nostræ florebunt. Cùm enim vitiosa extinguitur cogitatio, animus ad prosequendũ virtutum propositum vegetatur, & saluberrimis vitæ fructibus exhuberat. Cæterùm si malarum cogitationum insultus

Cant. 2.

insultus non ita crebros, neque ita vehementes pati desideras, claude fenestras sensuum tuorum, per quas mors ad animam ingredi consueuit. Auerte oculos ne videant vanitatem. Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire. Pone ori tuo frenos, ne in verbo labaris, neq; gulæ aliquid vltra necessitatẽ indulgeas. Naribus odoramẽta luxuriæ subtrahe. Manus contine, ne quem iniustè offendas, neve quid impudicè tangas, denique modis omnibus obserua & caue, ne extranei portas Hierusalem ingrediantur, id est, animæ tuæ domicilium. Et si ingressi fuerint, cura vt expellantur: neque malignos cogitatus ibi remorari finas, vbi cum inualuerint, perniciem generant. Veruntamen sæpe fit, vt ipsi cogitatus etiam inuitis nobis ingerant se se, & suapte vi ab iis quæ iusta atque honesta sunt, auertere animum nostrum tentent, ac quemadmodum paralyticus ille in euangelio, qui portabatur, non poterat præ turba offerri saluatori vt curaretur, ita nobis cogitationũ quandoque officere solet congeries, vt non quod volumus, sed quod nolumus, animo voluamus: tunc inter orandum quid lingua loquatur, mens non attendit, & cũ corpore in ecclesia simus, animo foris per diuersa vagamur. Huic ingruenti turbæ totis viribus reniti decet, & non cedere, neque si mali quicquàm suaserint consentire. Quod vt succedat, eorum industriam, qui paralyticum gerebãt, imitari oportet. Illi tecto domus in qua Christus erat, patefacto, ægrotum coram Iesu submiserunt, & morbo receperunt liberatum. Nos quoque abiecta terrenarum rerum cura, culmen cœlestis contemplationis incendamus, & per ea quæ creata sunt, mente ingressi, inueniemus creatorem: & cùm inuenerimus, ei nos reuerenter submittamus, vt quod altitudo meditãdi contulerit, humilitas deiiciendi sese conseruet, & mens iam sanata gaudeat se iam obstantis turbæ impedimẽta non sentire. Quãto minus mortalia curabimus, tanto

Marci. 2.

tanto etiam minus cogitationum secularium stimulis inquietabimur. Quisquis autem ab his crebrò ac frequenter solicitatur, reor quòd nondum vt debet, seculo renunciauerit, sed aratrum tenens adhuc post tergum respiciat, si non respiceret, non iam præterita neque præsentia, sed futura cogitaret. Abscindamus igitur & proiiciamus procul à nobis membra scandalizātia, nulliusque rei afficiamur studio, quæ propositum vitæ sanctioris turbet, & charitatis ardorem, quē deo

Matth. 5. debemus, restinguat. Si oculus dexter scandalizat te, erue eum: si manus dextra, abscindde illam. Membra ista carnales affectiones sunt, quibus quidem si dextræ fuerint, non illicitè vtimur, veruntamen si à spiritali contemplatione vel actione auocent atque interpellent, repelli debent. Quæ enim propter se licita sunt, si vna cum illis meliora periclitantur, illicita erunt. Quòd si ea etiam quæ dextra sunt, quoties impediunt, abscindi iubeātur, quanto magis illa quæ sinistra sunt, id est, quæ mala sunt, declinare ac fugere debemus, & eisdem neque oculum intendere, neque manum porrigere, vt neque cogitemus aliquid prauum ac detestabile, neque faciamus. Restat igitur vt & malis præferantur bona, & bonis meliora si ad summum bonum volumus peruenire. Cùm præterea continentiam semper oppugnet lasciuia, & liberalitatem auaritia, & humilitatem ambitio, & breuiter probitatem nequitia, assiduum nobis cum vitiis bellum est. Nunquam igitur quiescamus, sē

Iohel. 1. per repugnemus. q̄diu repugnamus, vincimus: quoties autem quiescimus, non quiescente aduersario, superamur: irruentibus malis dissipantur bona, nihilq; homini illi relinquitur, qui carnis cupiditatibus vltro se subiicit, euenitque ei quod dictum est per prophetam:

Iohel. 1. Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustę comedit brucus, residuū bruci comedit rubigo, aut quid boni in illo remanere poterit, cui vitia dominantur?

Strenuis

Strenuis autem et accinctis, assiduéque contra improbæ voluptatis illecebras luctantibus tuta sunt omnia. Neque enim superseminatur zizania in medio tritici, nisi cum otio dediti dormimus, & à custodia bonæ frugis cessamus. Atque ideo sanè vigilare & orare nos iubet dominus, ne tentationibus succumbamus, hoc est, diligentes esse & intentos, & solicitos, ne per desidiam spiritus caro, quę ancilla esse debet, dominari incipiat, & præualere permittatur Madian aduersus Israël, is videlicet qui se cultui dedicauit diuino, subuerti si natura nequitia.

De reparatione lapsi.

Cap. 22.

CAeterùm, si quando victi superatíque fuerimus, ad pœnitentiæ remedia conuertamur, nec desperemus aduersus victores victoriam, si ab iis quibus manum dedimus, deficere voluerimus atque ad illa transfugere, quæ insipienter dereliquimus. Tunc enim speciosa deserti, quæ peccatorum ignis absumpserat, rursum germinare & bonorum operum fructu abũdare cernemus. Ciuitas à rege magno obsessa (vt Ecclesiastes ait) à paupere viro, sed sapiente liberatur. Quis autem pauperior illo qui vitiis seruit? quis sapientior quàm qui ab iis dum licet fugit, & ad studium se confert virtutum? sed ne rursum in eodem luto more porcorum relabamur, non otiosè neque segniter est agendum. Nam sicut per negligentiam victi fuimus, ita per sedulitatem curámque certandi vincemus. Cuius rei nequaquam ignarus Apostolus admonet, & ait: State succincti lumbos in veritate, & induite loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela maligni ignea extinguere, & galeam salu-

Eccle. 9.

Ephe. 6.

tis assumite,& gladium spiritus, quod est verbum dei per omnem orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu,& in ipso vigilantes in omni instantia. Profectò qui armis istis contra carnis infestationes dæmonumque dolos munitus fuerit, sicut mons Sion non mouebitur in æternum. Erit veluti turris fortitudinis à facie inimici,& tanquam nauis validis cõpacta trabibus, pertransiens mare istud magnum & spatiosum, nec fluctib⁹ fracta, nec procellarũ turbine subuersa. Si quando tamen ingrauescere carnis pugna, spiritumque vehementius lacessere cœperit, caro ipsa tenuanda erit ieiunio, fatiganda laboribus, domanda vigiliis, oratio nunquam pernoctationibus quasi vinculis constringenda. Durũ erit illi contra huiuscemodi stimulos calcitrare. Lasciuiẽti iumẽto adde onus,& quietius incedet, subtrahe aduersario vires; & desinet esse molestus. Semper autem obstandum est principiis, Inueterata enim difficilius corriguntur, nouella euelluntur facilius, euulsaque arescunt. Præterea & locum illum & hominem quãtum potes declina, in quo vel delinquendi periculum, vel exercendæ virtutis impedimentum times. O o o fugite, inquit dominus, de terra aquilonis, de terra vtique in qua charitas friget; & abundat malitia, de terra in qua nihil agitur, nihil dicitur, nisi quod ad corporis pertinet voluptatem,& præsentis luxuriæ irritamẽtum,& multorum scelerum incentiuum. Zach.2. Rarò tibi cum seculi amatoribus miscendus est sermo, quia colloquia mala corrumpunt bonos mores, rarius cum fœminis. Primam fœminam decepit diabolus, illa virum. Diaboli ergo laqueus est fœmina. Quem diabolus per se non potest capere, per illam capit, fugiendo melius vitabis hoc periculum, quàm resistendo.

Oratio

Oratio contra tentationem carnis, & post victoriam actio gratiarum. Cap. 23.

SEd quoniam quocunque fugerimus, carnis nostræ lucta carere nequimus, in omni carnalium tentationum discrimine, ad orationum subsidia fugere tutissimum erit. Ad dominum igitur supplices confugiamus, quia dominus fortitudo plebis suæ, & protector salutationum Christi sui est. Vim patiens loquatur spiritus & dicat: Eripe me de inimicis meis domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia deus meus es tu. Ab homine iniquo & doloso erue me, ab homine isto exteriori, qui interiorem hominem ad similitudinem tuam factum, iniquè & fraudulenter quærit subuertere, per voluptatis illecebras, per concupiscentiæ blandimenta trahere me nititur, vt peccem tibi & peream. Ab his ergo mei tuique aduersarij insidiis libera me. Esto mihi in deum protectorem, & in locum munitum, vt saluum me facias. Ventum domine validum, quo in diuersum impellor, metuo, & iã inter frementes vndas mergi incipiens, ad te clamo. Tu igitur miseratus dexteram tuam extende, & sicut Petrum cum fluctibus operiretur saluasti, ita me de pernicie carnalis suggestionis ereptum tibi restitue, vt tuam potius voluntatem quàm meam faciã. Nostra enim voluntas pdit nos, tua verò saluat semper. Fiat voluntas tua sicut in cœlo inter sanctos, ita & inter nos in terra, vt tuis parendo mãdatis, ad te in cœlum ascendere, & non eis cõtraria operando in profundum demergi mereamur. Si sic oraueris, non frigidè, sed ardenter: non proteruè, sed humiliter, tentationum constrictus angustiis, exaudiet te dominus, & non dabit in commotionem pedem Psal. 140.

tuum, neque dormitabit, qui custodit te. Petite, inquit, & accipietis. Quid tu poscere pigritabis, cum idem dominus & rogari velit, & quod piè rogatur, promptè se daturum promittat? Si sicut decet supplicaueris, circũdabit te scuto veritas eius, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Ipse enim dominus de illo qui fideliter orat, & constanter sperat, respondẽs ait: Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum quoniam cognouit nomen meum: clamauit ad me, & ego exaudiam eum: in tribulatione eripiam eum, & glorificabo eum. Exauditus autem nõ solum carnis concupiscentias auertes atque fugabis, verumetiam virtutibus magis proficies. Testatur hoc ꝓpheta ad deum dicẽs: In quacunque die inuocauero te, exaudi me, multiplicabis in anima mea virtutem. Omnemque difficultatem ab eo adiutus ipse idem superaturum se affirmat, cum ait: A te eripiar à tentatione, & in deo meo transgrediar murum. Ille ergo postulationibus tuis annuens, dicet: Et stabit spiritus procellæ, ipse imperabit ventis & mari, & obedient ei, & turbulentos motus conuertet in tranquillitatem. Ille precantibus & periculum formidantibus, continuò aderit dicens: Ego sum, nolite timere. Tunc tu naufragio imminenti liberatus, gratias age liberatori, cuius opera factus es teipso fortior, atque aduersus lasciuientes malarum cupidinum titillationes inuictus. Ad ipsum igitur mente cõuersus, dicas: Benedictus dominus deus qui nõ dedit nos in captionem dentibus eorũ, hoc est in prædam voluptatum illecebris, delinimentisque vitiorum quibus tu impugnabare, vt domino tuo peccares, & cœli terræque conditoris maiestatem offenderes. Ad hæc quoniam diuinis quoque disciplinis instructus vincere didicisti ne ingratitudinis arguaris, illud quandoque tecum repetas: Benedictus dominus deus meus, qui docet ma-

Psal. 90. Ibidem. Psal. 1?9. Psal. 18. Psal. 143.

cet manus meos ad prelium, & digitos meos ad bellum. Misericordia mea & refugium meum, susceptor meus & liberator meus, in ipso speraui, qui subdit populum meum sub me, id est, qui carnem meam meo seruire spiritui compellit. Nisi enim ipse certare doceret, ipse protegeret, ipse liberaret, ipse aduersarios nostros nobis subiiceret, fragilitas nostra neque carnis passionibus preualere neque dæmonum laqueos euadere vnquã potuisset. Ingratus est igitur tentationum victor, qui deo acceptum non refert quòd vicerit: & si laudẽ victorię sibi arrogare non dubitet, victus est temeraria inanis gloriæ cupiditate, dumque se non lapsum fuisse gloriatur, labitur & delinquit. Vnde abhorrẽs ab ista iactatione sanctus propheta Dauid, clamat: Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Si vicisti, humilitatem conserua, & ad dei tui miserationem refer, quod non succubueris. Quale autem victoriæ huius meritum sit, audi: Saluator noster tentatus vicit, discessit ab eo diabolus, accesserunt angeli & ministrabant ei. Quod præcessit in capite, cur non speremus euenturum in membris? quandoquidem quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse memorantur. Tentationum igitur victorem dæmones timebũt, angeli comitabuntur & custodient. Veruntamen non semel aut pluries vicisse proderit, vsque in finem vitæ producenda victoria est, vt tandem à domino mereamur audire: Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mẽsam meam in regno meo. Non est autem esca neque potus regnum dei. Edemus ergo & bibemus non corporalia, sed spiritalia alimenta, diuini conspectus perennẽ & nunquam defuturam dulcedinem, ineffabilisque claritatis gloriam, & hęc quidem erit militiæ nostrę merces, si modo victores & non victi de isto certaminis cãpo, in

Psalm. 115.

Luc. 22.

po, in quo nunc positi sumus, decesserimus.

Quòd oportet conformari Christo. Cap. 24.

Atque is demum & vitia calcabit, & virtute proficiet, qui quotidie Christi domini gesta considerabit, & per eius vestigia ingrediens ipsi quàm proximè accedere contendet. Exemplum, inquit, dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Primum igitur in omnibus humilitatem seruemus. Hic enim qui dei filius erat, dignatus est fieri hominis filius, qui deus erat, factus est homo. In Bethlehē exiguo oppidulo nasci voluit, & quidem non in hominum habitaculo, sed in pecudum stabulo: non in cunis colore diuerso picturatis auroque linitis, sed in præsepio ad præbēda iumentis pabula lentis viminibus contexto. Cumq; esset dominus omnium, à seruo voluit baptizari, ac de de seipso dixit: Filius hominis venit non vt ministraretur ei, sed vt ministraret. Apostolos non de stirpe nobilium, sed piscatorum genere sibi adsciuit, & eisdem pedes lauit. Hierosolymam intraturus veterinum animal asinam ascendit: & cū pro salute mundi mori vellet, despicatissimum mortis genus elegit crucem. Talia ergo nobiscum sæpenumero reuoluentes nec de stirpis claritate gloriemur, nec vulgaribus coæquari erubescamus, cum omnium vnus creator sit, atque vnus pater deus, omnium vna generis conditio, vna humanitatis natura, vna regenerationis gratia, cùm denique nullum sit hominū apud deum discrimen, præterquàm vitæ ac morum. Quanto autem se quisque magis humiliauerit, tāto magis merebitur exaltari. Ab eodē obedientiæ quoq; petamus exempla. Apparentibus quæsitus respondit: Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quę patris mei sunt, oportet me esse: Hoc

Homili.

ideò

ideò, vt prius obedientiam præstemus deo, secundo autem loco parentibus obtemperemus, quibus & ipse se submiserat, teste euangelista, qui subiungens ait: Et descendit cum eis, & Venit Nazareth, & erat subditus illis. Veruntamen si quid iusserint parentes, quod legem offendit diuinam, deo potius pareas q̃ illis: vel si nõ officit legi, & tamen tibi ad obsequendum deo impedimẽto est, dimitte parẽtum imperium, & ad seruitium deo præstandum conuertere. Nõ est, inquit, me dignus, qui patrem aut matrem plus quàm me diligit. Ad obediẽdum deo inuitat cùm ait, Meus cibus est vt faciam voluntatem eius, qui misit me vt perficiam opus eius. Et iterum, Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me patris. & ad patrem, Non mea voluntas, inquit, sed tua fiat. Hinc discat monachus, se non esse suæ voluntatis, sed eorum qui præsunt monasterio, vt nõ quod ipse deliberat faciat, sed quod illi concesserint. A domino discamus & patiẽtiam, Odia Iudæorũ æquo animo tulit, quos vno verbo omnes perdere poterat, ab his probra, maledicta, vincula, flagella, verbera, contumelias, alapas atque sputa sustinuit, ab his coronari spinis, clauis in cruce configi, felle & aceto potari, lancea confodi & occidi passus est. Quin etiam iisdem qui sibi talia tam immaniter inferebant vt ignosceretur, patrem orauit. Si ipse iustus ab iniustis tanto ludibrio habitus, tam impiè dilaceratus, vindictam nõ appetiit, sed dimitti eis postulauit, cur tu peccator inimicis tuis irasceris, & ad vlciscendã iniuriam exardescis, cui nulla iniustè queat irrogari, cũ quotidie domino tuo pecces, nec tãtum offensæ passus es, quantum delicta tua atq; peccata merebantur. Quoties ergo mali aliquid patimur, ꝓtinus ad cõsciẽtiã scelerũ nostrorũ recurramus, & cũ nõ immeritò id nobis accidere cognouerim⁹ patiẽt tolerem⁹, & dñi nostri exẽplo ꝓ inimicis etiã nostris orem⁹, ꝓ malo reddẽtes bonũ, ꝓ iniuria beneficium.

beneficium. Sic nostra nobis remittentur peccata, & patientiæ virtus præmio maiore compensabitur: & mala quæ passi sumus, in nostrum commodum cõuertentur.

Iactantia vitanda.

Sed eorũ quoq; quę benefacimus, iactãtiam vitare à domino discamus. De monte descendens, mundato leproso iniunxit ne cui diceret. Cæcis etiam sanatis, Videte (inquit) ne quis sciat. Et cum plurimos vario morborũ genere laborantes curasset, ne ipsum manifestum facerent, præcepit. Cumque puellam mortuam ad vitam reuocasset taceri iussit. Nõnulli ex discipulis adhuc terrena sapientes. Manifesta te inquiunt mundo. Ille autem ostendens quod non quæreret mundi gloriam, sed mundi salutem, dixit. Ego gloriam meam non quæro, est qui quærat & iudicet. Hic gloriam suam non quæsiuit qui se vltro ignominiæ ab impiis perferendæ exposuit. Ille tamen gloriam eius quæsiuit, qui cum illo erat. Glorificauit enim deus hominem quem assumpsit, à morte suscitando, in cœlum transferendo, quod semel assumpsit nunquam dimittendo, adorandum & angelis & hominibus proponendo. Iudicauit autem iudicio damnationis Iudæos incredulos, & gentiles in errore obstinatos, & fideles fidẽ operẽ destruentes. Quod ergo non quæsierit gloriam suam, ad humanitatem pertinet, quod autem quæsierit & iudicarit, ad diuinitatem refertur. Quamuis enim humanitas & diuinitas vna persona Christi sit, sæpe tamen & dicere aliquid & facere illi placuit quod non erat vtrique naturæ commune, vt per ea quæ hominis sunt, hominem agnosceremus, & quę dei, deum. Nam in Christo vel hominem sine deo vel deum sine homine confiteri, hæreticorum impietas est. Cûm igitur dixit se gloriam suã non quęrere, nobis insinuauit, ne hominum plausus laudationesque venemur, sed in omnibus vt deus laudetur curemus. Qui enim ab hominibus gloriã quærunt, gloriam veram ac stabilem, quæ à deo est, accipere

Lucæ. 8.

Iohan. 8.

re non meretur. Ad hæc obseruãdæ paupertatis domini exempla nobis abundè suggeruntur. De virgine paupercula nasciturus, non habuit locum in diuersorio, editur in stabulo, reclinatur in præsepio. Iam in ætate adulta, nihil se habere confitetur, & ait, Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis nõ habet vbi caput reclinet. Et cùm portorium exigeretur, non fuit soluendo, donec piscis captus in ore didrachmam attulit, qua ipse satisfecit. Bestiis imperabat, & inter pauperes censeri volebat. Per domos alienas discurrens hospitabatur, quia suam non habuit, mulierum comitãtium eleemosynis alebatur, in cruce nudus pependit, mortuus etiam aliena inuolut⁹ est syndone, alieno conditus sepulchro. Beatos vocat pauperes, & apostolis ne quid ferrent in via, præcipit non virgã, non peram, non panem. Prohibuit eis calceamenta, ꝓhibuit duas tunicas, & nolite (inquit) soliciti esse quid mãducetis aut quid bibatis, aut quid induamini. Quærite primum regnum dei, & hæc omnia apponentur vobis. Qui ergo propter Christum in terra pauper est, cum Christo diues erit in cœlo. Gloria enim & diuitiæ in domo eius. Victu quoque modico ac tenui, & qui corpus tantum sustentet. Contentus erit qui Christũ imitabitur. Per dies quadraginta ille neque comedit, neq; bibit, postea (vt euangelista ait) esuriit, & tunc quidem diaboli maligna tentamenta vicisse describitur, vt noscamus ieiunio & esuritione opus esse, si carnis illecebras dæmonũque captiones cupimus superare. Ante mẽsam gratias agit, post mensam hymnum dicit, vt semper deum laudemus, cuius donum est & cibus quo vescimur, & vita qua viuimus. Panes hordeaceos habebat cũ pauit turbam, aquam ad bibendum à Samaritana muliere petiit, ne rudes fastidiamus cibos, neque vina delicatiora exquiramus. Carnem nisi in paschate non comedit, minutis pisciculis vsus est. Erubescant, qui paupertatem

Matth.8. Matt.17. Lucæ.9. Mat.6. Parsimonia Mat.4. Mat.26. Iohan.6. Iohan.4.

pertatem professi, diuitum dapibus delectantur. Ne autem vilia contemnamus alimenta, fel & acetum in cruce positus gustauit, denique beatos dicit esse esurientes, quoniam saturabuntur, & ecõtrario: Væ vobis inquit, qui saturati estis, quia esurietis. Nunc tandem ad charitatis conuertamur documēta: Pro hominū salute de cœlo in terrā descendit, deus homo factus est, labores, vigilias, supplicia pro nobis tolerauit, ꝑ nobis mortuꝰ est, pro nobis ad inferos descēdit, pro nobis resurrexit, pro nobis in cœlum ascendit. Postremò nihil vel dixit vel fecit quod non eo spectaret, vt æterna nobis donaretur beatitudo, Matthæum de publicano Apostolum, Petrum de negatore cœlestis regni clauicularium, Paulum de persecutore fidei fecit propugnatorem, mulieri peccatrici peccata dimisit, & non veni (inquit) vocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam. Denique pastor bonus animam suam posuit pro ouibus suis: & quos dilexit vsque in finem dilexit eos. Quia nihil prodest diu diligere, nisi semper diligas. Et sicut (inquit) dilexit me pater ita dilexi vos. Et qui diligit me, diligetur à patre meo. Tunc autem & Christum diligimꝰ, & à deo patre diligimur, cum ipsum quem peccando offendimus, pœnitendo placamus. Porrò cum etiam inimicis nos benefacere beneq; optare iuberet, hoc prior ipse præstitit, illis à quibus conuitia, vincula, flagella, colaphos, verbera, spinas, clauos, fel atque acetum iniquè passus fuerat, ignosci postulans, & sæuitiam illorū sui ignoratione excusans, vt postea cognita veritate locum haberent pœnitentiæ & non perirent. Non est itaque Christi discipulus qui bonum pro malo nescit reddere, & pro inimicis quoque suis Deum deprecari. Eiusdem domini exemplo discamus, non nostræ tamē saluti, sed etiam aliorum prospicere, vitæ disciplinis eos imbuendo, & exhortationibus piis vt ad virtutis viam dirigantur solicitando. Circuibat ille totam Iudæam,

Charitas.

Ioan. 10.

Ioan. 15.

Prædicatio.

dæam, totam Galilææ, per castella & vicos, docens ignaros, & verbo curãs ægrotos vt corpore simul & animo, saluos redderet. Præcepta dedit discipulis in monte in planitie plebi, vt discas altiores mysteriorum sensus illis qui magis capacis ingenij sunt prædicare: simplices verò simplicibus vitæ præceptis instruere, ac ne fortè pretij alicuius gratia id agas, sed affectu salutis eorum, quos doces. gratis accepistis (inquit) gratis date. Accipere tamen ab offerentibus quãtum victui necessario satis sit, si indigueris, ne nefas putares ait: Dign⁹ est operarius mercede sua. Mercede videlicet quę inopiæ succurrat non quę luxuriam paret. Porrò sicut ipse docuerat, ita discipulis suis prædicationis officium imposuit dicens. Euntes docete omnes gentes seruare omnia quæcunque mandaui vobis. Optimi itaque Christi imitatores illi sunt, qui faciendis ad populum benè beateq; viuendi sermonibus operam impendunt, & quod alios docent, ipsi præstant: ne bonum quod verbo ædificant, morum dissimilitudine destruant. Cælebs præterea & castus sit oportet Christi discipulus, virgo est, & de virgine genitus & à virgine baptizatus, quem sequeris, vt, que scias quanti sit apud ipsum virginitas de Johanne Apostolo quia virgo erat, in euangelio dicitur: Discipulus ille quem diligebat Iesus. Nam licet Iesus etiam reliquos omnes diligeret, de nullo tamen sic est expressum, sicut de isto quem mentis corporisque puritas cõmendabat. Hic solus in sinu Christi cunctis ad mensam sedentibus recubuit, quia solus fortasse intemeratæ virginitatis laude illi proximior erat. Præcellit autem virginitas viduati & viduitas matrimonio. Quandoquidem euangelici seminis centesimus fructus ascribitur virginitati, sexagesimus viduitati, tricesimus matrimonio, in Apocalyp. etiam illi qui sequuntur agnũ quocunque ierit, & canticum nulli alij cantabile concinunt, virgines esse memorantur. Porrò, ipse Salua-

Mat. 10. Ibidem Matt. 18. Castitas. Matt. 12. Apoc. 14.

Mat.14. Saluator vt monstraret, præcipuè castis deberi regnũ dei, Sunt eunuchi inquit, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, hoc est, qui nubendi libertatem in propositum verterunt castitatis quo prius expeditiusque deo seruirent, & cum angelis in cœlo socij essent, qui angelicam vitam in terra vixissent, de quibus est dictum, neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli dei in cœlis. In eo quoque dominus continentiã
Marc.22. seruis suis videtur imperasse, quod apostolis præcepit,
Lucæ.12. vt lumbos præcinctos haberent. In lumbis quippe generãdi semina sunt, qui autem in carne seminat, de carne & metet corruptionem: sed qui seminat in spiritu, de spiritu & metet benedictionem. Preces etiam qualiter
Oratio. deo sint offerendæ, nobis documento est dominus no-
Mat.15. ster. Orandi enim rationem, quam verbis monstrauit, opere perfecit. Orare iubet in abscondito, & ab illis quæ impedire possent separato loco, vt mens tunc magis intenta esset cœlestium contemplationi cum ipsum cœli terræque regem lingua serui alloqueretur. Ideò
Marc.22. saluator quoque noster dimissa turba montem ascen-
Mat.26. dens solus orauit, & iterum, Sedete hic, inquit, donec vadam illuc & orem. In monte autem orauit vt orando
Ibidem. postulemus non terrena quæ in imo sunt, sed quæ in alto cœlestia. Quòd verò etiam in villa Gethsemani orasse dicitur, docemur inter orandum seruandam esse humilitatem, atque ideò & positis genibus orasse, & ad orandum in faciem procubuisse. Quod præterea patrem precatus, ait: Non sicut ego volo fiat, sed sicut tu: significauit vt in omni postulatione nostræ voluntati
Marci.14. præferamus dei voluntatem. Tertio autem eundem ser
Idem.1. monem orauit, ne tibi cessandum putes, si tam properè quam velles non fueris exauditus. Ad hæc in Marco scriptum est, quod valdè diluculo surgens abiit in deser
Lucæ.6. tum locum, & ibi orabat: Et in Luca, quod noctibus exiens in monte Oliueti morabatur, quodque pernoctaba

ſtabat in oratione. In quo quidem & tempora & loca orationi magis accommoda nobis requirenda eſſe innuit, vt autem perſeuerantius oremus, factus in agonia prolixius orauit. Sublatis quoque in cœlum oculis oraſſe traditur, vt & tu dum oras, mentis oculos ad deum cui ſupplicas, intendas & non alio verba, alio cogitationes ire ſinas. Parum efficax eſt lubricæ vagæque mẽtis oratio, & non illuc intentæ vbi vult exaudiri. Ac ne ſingula perquirere nimis prolixum ſit, omnium virtutum, omniſque ſanctitatis cum præceptum tum exemplum, à ſaluatore noſtro ac domino, & tutius petitur & iucundius conſideratur. Chriſtus enim quia veritas eſt, non errat, quia bonitas eſt, non fallit, quia ſapientia eſt nouit omnia, quia virtus dei eſt, poteſt omnia, quia denique ſaluatio populi ſui eſt, quicquid egit, quicquid dixit, ad omnium ſpectat ſalutem. Seruiamus igitur illi in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus noſtris, memores beneficiorum ſuorum, atque aſſiduè nobiſcum recolentes ea quæ non ſolum verbis docuit, ſed etiam re atque opere probauit, vt his inſtructi eidem quantum fieri poteſt ſimiles effici curemus, & cuius virtutes imitati fuerimus, eius beatitatis atque gloriæ participes eſſe mereamur.

Idem. 22.
Iohan. 11.

Omniũ virtutũ exẽplũ vn⁹ Chriſt⁹

De conſortio fugiendo.

Cap. 25.

Conferet plurimum ad vitæ ſanctioris cultũ, noſſe quorum conſuetudine vti debeas, quorum nõ debeas: cum quibus conuiuere, colloqui, conuerſari, quos declinare ac fugere oportet. Relinquendi ſũt, quorum tibi nota fuerit peruerſæ mentis pertinacia, id eſt, qui vel errorem ſuum depoſituri non videntur, vel à ſcelere in quo perſeuerant, receſſuri. Nocuit Iſraëlitico populo habitaſſe cum Aegyptiis. Inde enim Moy

se duce egressi ritu eorum viuere volebant, crapulari, ludere, diis gentilium sacrificare, atque hæc causa fuit, vt posteri quoque eorum toties inimici subiecti seruirent.
Eccle.41. Rectè itaque dicitur: Filij abominationum sunt filij peccatorum, & qui conuersantur secus domos impiorum. Contagione quippe trahitur vitium, si conuersaris cũ vitioso, ac veluti pestilentiæ morbos afflatu ta-
Iere.51. ctuque ægrotantis inficere solet sanos, ita infidelium familiaritas plerunque fideli viro perniciem parit. Idcircò per os Ieremiæ clamat nobis dominus: Fugite de medio Babylonis, vt saluet vnusquisque animam suã.
Osee.4. Et per os Osee. Nolite ingredi in Galgala, & non ascenderitis in Bathauem, loca videlicet prophana idolorũque polluta culturis atque immunda. Saluator etiam
Matt.16. noster & dominus: In viam gentium, inquit, ne abieritis & cauete à fermento pharisæorum. Hoc idem admo
2.Cor.6. net & hortatur Paulus Apostolus, dicens: Nolite iugũ ducere cum infidelibus: quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? quis autem conuentus templo dei cum
Tit.3. idolis? Vos enim estis templum dei viui. Et ad Titum scribens, ait: Hæreticum hominem post vnam & secũdam correptionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Eiusdem sententiæ est, quia & eiusdem spiri
2.Ioan.1. tus Iohannes Apostolus, cum ait: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum nec aue ei dixeritis, qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis. Quòd si salutare quoque illos quibus nulla debetur salus, nefarium sit, quãtomagis in consortium recipere? Cauenda est igitur infidelium hominum cõuersatio, maximè eorum qui ita auersi sunt, vt nulla supersit spes futuræ illorum cõuersionis & hoc Apostolorum ipsorum exemplo, qui cum vidis-

vidissent incredulos Iudæos Christum nolle recipere, ab eis discedentes aliis euangelizare dei verbum cœpere. Itaque ne perfectis quidem conuenit ad obstinatos accessio, cum ne in docendo operam perdant, tum ne molliter blandéque alloquendo fauere illorum errori videantur. Non minus declinandi sunt, qui in flagitiis obduruerunt. Peccantem (inquit dominus) corripe inter te & ipsum, si te nõ audierit, adhibe alium, si neque illum audierit, dic ecclesiæ, si neque ecclesiã audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Pro infideli ergo habeatur, quem peccasse omnino non pœnitet quíque nulla correptione ad emendandum flectitur. Quòd si cũ tali conuersari te delectauerit, mores quoque diligere incipias necesse est. Alioqui ipsa vitę diuersitas citò vestram dirimet societatem: & vbi dissimilis intercesserit voluntas, conuictus concors esse non poterit. In Prouerbiis dicitur: Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Nõ hoc præcipitur, ne benè illi optes, & si poteris, facias, sed ne illo familiariter vtaris. Iracũdus enim is est, qui facile ac leuissima de causa irascitur. Est aũt difficile sẽper irascenti atque insultanti non aliquando irasci, & contra furentem non indignari, & ex indignatione nõ peccare. Ita superbo etiam si comes fueris, arrogans elatúsque euades, testatur hoc Ecclesiastic⁹, dicẽs: Qui tetigerit piscem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo, induet superbiam. Cum enim hominis ingeniũ ad vitia magis quàm ad virtutes procliuè sit, magis verendum est, ne vir bonus malo adhærens corrumpatur, quàm sperandum vt malus æmulatione boni mores emendet. Quamobrem Apostolus diuersis vitiis inquinatos in vnum colligens, ait. Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum

Mat. 18.
Prouer. 22.
Eccl. 13.
1. Cor. 5.

huiusmodi nec cibum quidem sumite. Sciebat enim quia iuxta fornicationem periclitetur castitas, iuxta auarum liberalitas, iuxta idololatram religio, iuxta maledicum patientia, iuxta ebriosum temperantia, iuxta rapacem alieni abstinentia, & non esse tutum pro-
Isaiæ.6. bo viro cum iniquis commorari. Ingemiscit Isaias & angitur animo vehementer, quod habitaret in medio populi labia polluta habentis, séque ex eo labia sua pol luisse confitetur atque fœdasse. Et si sanctus propheta viuendo inter iniquos detrimentum sentit, quis est tã-tæ constantiæ, vt cum flagitiosis conuersando lapsum non timeat? Vis nosse quia scelestis & prophanis homi nibus iungi displiceat ipsi deo. Iosaphat regis Iudæ na
2.Para.20. ues tempestate confractæ sunt, deo indignante, quod in sortem earum admisisset Ochoziam impiissimum Sa mariæ regem. Id quidem hac ipsa de causa Eliezer fi-
2.Reg.vl. lius Dodau de Maressa prædixerat futurum. Iterum requisitus Iosaphat noluit iungi illi, satis damno suo edoctus viride lignum arido applicatum simul combu-
Mat.2. ri solere, & temerarium esse rursum committere, quod iam apertè intellexerat deo non placere. Magi Christum natum piè quærentes cum fortè ad Herodem diuertissent, syderei luminis ducatum amiserunt, & tene bras patiuntur quàm diu cum illo teterrimæ mentis homine manent. Facessat igitur pessimus quisque à cõsortio tuo, ne cum illo manendo inquineris, ne illũ fru stra docendo operam perdas, ne illi adhærendo deum offendas. Mulierum conuersatio & castitatem professis
Prouer.5. est vitanda, dicente in Prouerbiis Salomone. Lõge fac ab ea viã tuam, & ne appropinques foribus domus eius. Quod si multi aspectu illius, multi colloquio semel inito, multi ipsa visæ formæ cogitatione irretiti sunt, nõne maius periculum imminet, vbi propius assidetur, frequentius verba miscentur vbi ridetur, vbi crebra congressio mutuæ quoque tactionis fecit licentiam? de

hoc

hoc plenius suo loco disseremus, restat videndum cũ ab his discesserimus, ad quos accedere, cum quibus nos frẽquentes esse nobis proderit.

De consortio habendo.

Cap. 26.

SI fortè ille quo die familiariter vsus es, à via virtutis declinauit, retrorsum abiit, & sæpe admonitus redire noluerit, dimitte eum, & membrum quod te scandalizat, abscide atque à te proiice: melius enim tibi est sine illo ingredi regnum dei, quàm cũ illo mitti in gehennam. Dimitte igitur mortuos sepelire mortuos suos, tu CHRISTVM qui vita est sequere, & viuas & æternæ mortis expers efficiare. Quòd si adhuc illi se vltro ingerunt tibi, tu auersus cum Psalmista exclama: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, declinate à me maligni, & scrutabor mandata dei mei. Nisi enim à turba hominum semoti fuerimus, libere deum contemplari nequimus, quanto magis impedimento erunt iniqui, si ab iis non fugerimus Quorum consuetudini idem propheta se penitus renũciasse gloriatur, cum ait: Nòn sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo, odiui ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Ita ergo hominibus vtendum est, vt pomis, donec recentia & integra permanent, grata sunt, & gustui seruantur, cum autem corrupta & Marcida fuerint, proiiciuntur. quia neque gustum delectare queunt, neque odoratum. Propheta igitur malorum consortio refutato, quos aditurus, cum quibus concessurus sit, continuò declarat dicens: Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum domine. Quid est illud, nisi quod idẽ præcepit & ait: Cum sancto sanctus eris, & cum inno-

Psal. 6. Psal. 118. Psal. 25. Psal. 17.

cente innocẽs eris,& cũ electo electus eris,& cũ peruer so peruerteris. Inter innocentes autem manus lauare, est eos imitando iustitiæ operationibus exerceri. Altare autem domini circundat, qui sacramenta eius alta mẽte contemplatur,& cœlestium meditationum fruitur iucunditate. Sed nisi cum magis discedere curaueris ab Herode,& illos comitari, illis adherere studueris, quorum vitæ splendor & sanctimoniæ claritudo tibi dux esse poterit vsque ad Christum, neque manus dignè lauare, neque altare domini cõmodè poteris amplecti, audi ipsum ad discipulos dicentem, In quamcũ-

Mat.10. que ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit,& ibi manete donec exeatis. Denigratur enim boni viri fama hospitio infami, honesto autem & pudico commendabilis redditur,& quali quisque consortio gaudet, talis esse & ipse iudicatur. Optimorum similitudo morum Ionathan iunxerat Dauidi, Elizeum Eliæ, Paulum Petro, reliquos etiam apostolos innocentia inter se animique simplicitas copulauerat. Solus cum illis nequiuit permanere sacrilegus Iudas, quia eum quem illi amabant, ipse vendidit,& hic quidem de grege domini egressus faucibus incidit lupi, ac periit. Ipsos verò concors inter se erga dominum affe-

Matt.18. ctus saluauit, Quibus ille in euangelio ait: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quancunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est. Vbi autem sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sũ in medio eorũ. Porrò illi in nomine Christi congregati sunt, qui pari mente atque animo Christo seruiunt, & piis orationum actionumque obsequiis deo famulantur. Optimi cuiusque lateri crebrò adhærẽs, nunquam non addisces aliquid, vel dictum sapienter, vel factum prudenter, vel obseruatum sanctè. Adde quod neque pcepta, neque exempla, quæ literis mandata legimus, ita mouent, vt sanctorum hominum viua vox, & præsens oris

teris aſpectus,& vitę totius tenor oculis expoſitus ac manifeſtus. Miranda, ſiquidem plurimorum geſta audimus, nonnulla tamen, quia difficilia factu ardua'que videntur, ſuſpenſo animo accipimus, vix fidem adhibentes relationi alienæ, de his autem quę oculis intuemur, quæ præſentes inſpicimus, dubitare non eſt, neque ambigere, aut cuius teſtimonio credemus, ſi noſtro contēti non fuerimus? Cum igitur nihil certius eſſe poſſit, q̃ quòd ipſi coram audiuimus, coram'que ſpectauimus, nihil etiam magis ad capeſcendas virtutes nobis proderit, quàm ſemper, ſi fieri poteſt, cum ſanctiſſimis viris & colloqui & conuerſari. In illis enim cernendo nō diſſimilia iis quæ de aliis legimus, cum firmius quæ à ſcriptoribus tradita ſunt, credemus, tum ardentius quæ à nobis viſa, cognita'que fuere, imitabimur, conſiderantes quàm munificus, quàm benignus domin⁹ noſter ſit, qui mira quæ'que operandi confert gratiam credentibus in ſe ac ſperantibus. Niſi enim ille bona cuncta ſuppeditaret, ad tantam ſanctitatis perfectionem hominis imbecillitas nunquam perueniſſet.

De paupertate colenda. Cap. 27.

SEd gratiam iſtam accipere non merentur mundi diuitiarum'que amatores. Vt igitur & ſanctorum virorum conſortio digni ſimus, & ipſos imitandi donetur nobis facultas, victu tantum neceſſario contēti, Chriſto ſeruiamus. Magni animi eſt caduca contemnere, & ea quæ ſtabilia æterna'que ſunt ſectari. Si Chriſti diſcipuli fieri cupimus, meminerimus quod non de diuitum turba ſibi diſcipulos elegit dominus, ſed de pauperum grege & egenorum. Petrus, Andreas, Iohannes, Iacobus, piſcatione victum ſibi quærebant,

relictis retibus & naui, secuti sunt Christum. Ex his postea Petrus cum Iohanne cuidam claudo eleemosynam petenti respondit: Aurum & argentum non est mihi, quod autẽ habeo hoc tibi do, in nomine Iesu Christi surge & ambula. Quis diuitum talem eleemosynã dare vnquam potuit, qualem tunc hi pauperculi dedere, vt claudus qui baiulabatur, statim ambularet? Denique de ipsa Apostolorum inopia, quod euangelia testantur, olim in prophetis fuit prædictum, vt illud plurimi faciendum scias, de quo neque noui scriptores, neque veteres tacuerunt. In Isaia legitur: Pauperes homines in sancto Israël exaltabunt, sanctificabunt sanctũ Iacob & deum Israël prædicabũt. In Sophonia ad Hierusalem loquitur dominus: Derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum, & sperabunt in nomine domini. Indecens enim ac valde incongruum foret, vt diuitias possiderent serui, & dominus ediuerso paupertatis angustiis gauderet. Qui propterea quidem in terra paupertatem coluit, vt suo exemplo doceret, terrena contemnenda esse, & cœlestium tantummodo curam habendam, nec fragilibus delectari oportere, sed æternis. Nihil enim in terra habere voluit saluator noster, quod ipse fatetur, dicens: Non habet filius hominis vbi caput suum reclinet. Non habuit vnde vnius stateris tributum pro se & Petro solueret, & vt penuriã istam non necessitatis esse, sed voluntatis agnosceres, in ore piscis primum capti quærere statêrem iussit, & inuentum exactoribus dari. Maluit pecuniam qua satisfaceret mirabiliter comparare, quàm apud se repertam offerri. Poterat lapides in gemmas, in aurum ligna cõuertere, qui de ore piscis fecit staterem repentè adesse, & tamen semper alieno vsus est hospitio, semper oblata ab aliis stipe sustẽtatus est, nudus iacuit in presepio, nudus pependit in cruce, atque is qui cœli terræq; erat dominus, nec syndonem suam habuit, qua velaretur mortuus

Actu.3.

Isa.39.
Sopho.3.

Matth.8.
Mat.17.

tuus, nec suum quo conderetur sepulchrum. Quòd si omnium dominus in tanta rerum egestate in hoc seculo viuere voluit, pudeant sacerdotes, erubescant episcopi, amplas sibi ędes construere, cumulandis pecuniis operam impendere, vestibus pretiosis renitere, omnibus denique mundi deliciis diffluere, & se Christi seruos pfiteri. Non tales elegit Christus, non talia pręcepit, nec talem semetipsum exhibuit.

De diuitiarum confidentia.

Cap. 23.

ECclesiæ cura nobis commissa est, inquiunt: vt ego ipsa ecclesia ab aduersariorum iniuria tuta sit necessarium est nos opibus viribus'que pollere. Qua si verò infirmata sit dextra excelsi, & eam ecclesiam quam labore pauperum fundauit & auxit, præsidio pauperum tueri nequeat, seruare non possit? Dicant igitur cum populus Christianus multo grauiores persecutiones pateretur, quam modo patitur, quia tunc antistitũ eius diues erat? quis arma tractabat? quis vim viribus repellebat? Cædebantur quidem Christiani, sed Christi religio perire non poterat. Quinimò quanto magis infideles tyranni sæuiebant, tanto mirabilius credentium numerus augebatur. Creuit ergo Christi ecclesia, non diuitiis, non potentia hominum defensa, sed sola vt diuina protecta, & nunc seruari non poterit, nisi opulenti fuerint, nisi locupletes atque potentes extiterint, qui ei præsunt? Quid est autem quod propheta clamat: Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi, eripiens inopem de manu fortiorum, ęgenum & pauperem à diripientibus eum? Igitur non in pecunia, non in viribus potentiæ humanæ, sed in domino confidite. Quòd si ei seruiendo perituras opes, vt debetis, contẽpseritis, oĩbus inimicis vestris fortiores eritis, illo qui oĩa potest, protegente ac tuente. Si vobis curæ erit, cõ- Psal. 34.

tinen-

tinentius viuere, mandata dei perficere, ecclesiæ opes non in vestrum vsum conuertere, sed indigentibus distribuere, aut defendet vos dominus ab infidelium violentia, aut non defendet, si defendet, tuti eritis, si non defendet, p patientiã martyrij à domino coronabimini, & ecclesia dei gloriosius ędificabitur in cœlo, quàm permanet in terris. Neque enim lapidei parietes isti, vel prædia, vel vrbes vel prouinciæ, vel regna ecclesia dei sunt, sed ipsa Christum credentium atque confitẽtium congregatio, quæ cũ de terra tollitur, in cœlum transfertur, vt quæ inter mundi turbines fideliter militauit, iam supra mũdum secura triumphet, & omni terrena potestate sublimior dicat: Super inimicos meos despexit oculus meus, Sacerdotis arma, sanctæ orationes sunt, Vos itaque cum Mose & Aarone orate in monte, & victu necessario contenti, cætera cedite inopi, viduæ, pupillo, miserorum sepulturæ, captiuorum redemptioni, oppressorum tutelæ, pietatis operibus, p pugnatoribus quoque ac ducibus militiæ Christianæ, vt comparatis plurium virib⁹ hostili impietati forti⁹ resistant: & illi quidem non in se, sed in deo confidendo, vestrisque precibus adiuti vincent. Quandiu his cõtraria agitis, Ecclesiam quoque pati contraria necesse est. Quę quoniam vobis commendata est, sanguis eius de manibus vestris requiretur: quia non quomodo Christus, neque quomodo Apostoli pro illa statis, sed qualiter vestra vobis persuadet libido: non vt oportet viuendo, sed potius vt delectat. Latos agros, regias domos, tyriantinas vestes, auream argenteamque supellectilem, phaleratos equos, venaticos canes, nobiles seruos vultis possidere, non vt Christi discipulos decet, sed terræ dominos & ea rerum copia, quæ nec veteri, nec noua lege conceditur vobis, abundare. Nam cũ populus Israël ad terram promissionis translatus esset per singulas tribus diuidendam, sacerdotali tribui est à

Psal. 15.

Nume. 18.

domino

domino dictum: In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hæreditas vestra in medio filiorum Israël. Possessionem itaque non sunt sortiti sacerdotes, sed tantum decimas ac primitias quibus sustentarentur, & loca in quibus habitarēt, habebant. Nouis verò, id est, Christi discipulis, dicitur: Nolite possidere aurum, neque argētum, neque pecuniam in zonis vestris. &, Qui renuntiauerit omnibus quæ habet, nō potest esse me⁹ discipulus. &, Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me. &, Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me, nihil terrenum promittitur sacerdotibus, vt cœlestia tantum affectent, de cœlestibus prædicent, & portionem in cœlo consequantur, qui in terra diuitias habere noluerunt. Quare ergo ecclesiæ agri, villæ, vici, vrbes donatæ sunt, & sacerdotibus episcopisque distributæ? Certè non vt in his ipsi luxurientur, sed egenos pascant: non vt sibi nummos indè congregent, sed vt inopum turbæ dispensent, vt miserorū necessitati succúrrant, & stipendia quoque militibus ministrent, qui pro religione, pro fide, pro iustitia cōtra infideles decertēt. Ecclesię igitur bona pauperū sūt, quorum sacerdos non possessor, præter vitæ necessaria sed dispensator est. Qui autem dispensat, fideliter dispenset, & audiat Apostolum dicentem: Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus, nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueū diaboli & desideria multa inutilia & nociua, quę mergunt homines in interitum & in perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidā appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem ò homo dei, hæc fuge, ad Timotheū enim scribebat. Qui ergo talia non fugiūt, sed augendi peculij cupidine ducuntur, nō hoīes dei sunt, sed mammon

Mat. 10.
Lucæ. 14.
Mat. 16.
Mat. 19.
1. Tim. 6.

mammonæ serui. Homo dei est, qui cum Christo pauper est, vt in Christo diues sit.

De diuitiarum malo, & paupertatis bono. Cap. 29.

Prouer. 30. Vidit & Salomon quantum periculi in diuitiis esset, & præcatus est deum, dicens: Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est dominus: aut egestate compulsus furer, & periurem nomen domini mei. Sed quoniam suprà modum locupletatus fuit, in id quod timebat incidit: Diuitiarum copia delinitus, voluptatibus seruiuit, mulierum quas adamauerat, diis tẽpla posuit. Et si vir alioqui sapiẽtissimus sic insaniuit, quis confidit continentem se fore, si diuitiis affluere sibi contigerit? Diuitię luxuriam pariunt, luxuria turpis libidinis est mater, turpem autem libidinem dementia comitatur. Diues præterea ad inferẽdum iniuriam promptus est, ad tolerandam impatiens, inanis gloriæ cupidus, æqualibus inuidens, humiles despiciens, ac proinde aliorũ famæ non facilè parcens, opulentiæ ostentator, paupertatis irrisor, ad vitia audax, ad bonum animi tardus. Diuiti quoque multi inuident, plurimi insidiantur & spoliis eius ditari cupiunt. Sed quamuis nemo insidietur, ille tamen metuit domi fures, foris latrones & cibus illi pariter suspectus est & somnus: nec min' interdum animi solicitudinibus quam fortunis abundat.
4. Regũ. 14. Ierem. 39. Pauper verò vbique tutus est, vbique securus. Capta Hierosolyma Nabuchodonosor Chaldæorum rex omnia transtulisse Babylonem dicitur, solos pauperes reliquisse ne ignores paupertatem etiam inter hostes quãdoque manere illæsam, nec frustra esse dictum. Paupe- Isaiæ. 14.

res

res fiducialiter requiescent. Idē submissius supplicant efficacius exaudiuntur, iuxta illud: Deprecatio pauperis vsque ad aures perueniet, & illud in Psalmo, Exaudiuit pauperes dominus, & vinctos suos non despexit. Quorum autem exauditur oratio, iis pro breui inopia, æterna tribuitur beatitudo, dicente domino: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. &, Beati qui nunc esurietis, quoniam saturabimini, de diuitibus verò econtrario est dictum, quod facilius trāsibit camelus per foramen acus, quàm diues ascendet ad regnum cœlorum. Cui sententiæ & illud euangelicum congruit, Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Quid enim illo homine magis vanum, diuitiis, quas mox vita decedens relinquere cogitur, diu se fruiturum sperauit? aut quid felicius illo, cui pro terrenorum contemptu bona compēsantur cœlestia? Ideò piissimus Tobias filium consolabatur dicens: Noli timere fili mi, pauperem quidem vitā gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene. Melius est igitur (vt Psalmista ait) modicum iusto super diuitias peccatorum multas. Et Salomon in prouerbiis: Melius est parum cū timore domini quàm thesauri magni & insatiabiles. Nam qui in humilitate sanctam colit paupertatem, postea in paradisum translatus exaltatur in gloria. Quoniam deus suscitat à terra inopē, & de stercore erigit pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui, hoc propheta in psalmo ait, quod in alio affirmat dicens, Iudicabit dominus pauperes populi, & saluos faciet filios pauperū. Parcet (inquit) pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet. Et iterum alio loco, Pauper & inops laudabunt nomen tuum. Ne cui tamen fraudi sit, de paupere humili, iusto deumque timente ac spontaneo ista p̄dicantur, nō de illo qui inuitus indiget & indignatur,

Eccl. 31. Psal. 68. Tob. 4. Psal. 36. Prouer. 15. Psal. 112. Psal. 73. Psal. 23.

& intemperanter concupiſcit, & ne inopia quidem oppreſſus humiliatur. Nec de illo qui pauper ſub humilitatis pallio hypocriſim nutrit, vt quaſi ſanctus laudetur ab hominibus. Hic enim quanto pluris vulgi opinione æſtimabitur, tanto vilior coram deo contemptibiliorq; apparebit. Simulata ſanctitas aurũ adulterinũ eſt, exterius quidem precioſum apparens, intus viliſſimum exiſtens, cum frangitur, tunc manifeſtum fit quale fuerit, & inter rudia æramenta deſpectum abiicitur. Qui verò nihil doloſè, nihil fictè agunt, ſed libenti animo ſua omnia relinquunt, vt pauperes pauperem ſequantur Chriſtum: hi apoſtolicæ beatitudinis atq; dignitatis conſortes efficiuntur, & ab ipſo domino ſimul

Matt. 19. audiunt: Amen dico vobis quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicãtes duodecim trib⁹ Iſraël: & omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meũ, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Omnib⁹ diuitiis præferẽda paupertas, omni auro, omnibus gemmis precioſior, cui tanta ac talia promittuntur.

Ne quis timeat neceſſaria ſibi defutura Cap. 30.

Actorũ. 5. VEruntamen ne quis Ananiæ & Sapphiræ vano abductus timore, ne ſibi neceſſaria deſint, ſi relictis omnibus Chriſtum ſequi voluerit, partemque reſeruare in animo habuerit, audiat ipſum dicen-

Matth. 6. tem: Nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater veſter, quia his omnibus indigetis, quærite ergo primum regnum dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Hoc

vete-

veterum nouorum'que nobis euenta confirmant. Israëliticus populus cum esuriret, mãna de cœlo nutritus est, cum sitiret, aquam de petra repentè manantem bibit. Agar cum puero eiecta in solitudine angeli inditione siti periret, aquam inuenit. Sampsoni sitienti de maxillę asinæ molari aqua effluxit, Elias cum hominum subsidia non haberet, à coruis pascitur, & viduæ quæ se filios'que suos defraudans panem prophetæ porrexerat, hydria farinæ non defecit, nec lecythus olei fuit immi nutus. Idem propheta qui fuit Elias Thesbites, cum Iezabelem fugeret, & fame siti'que fatigatus mori optaret, somno experrectus, reperit ad caput subcinericiũ panem & vas aquæ, & refocillatus est. Idem viginti panibus hordeaceis centum viros deo præstantę satiauit, ita vt etiam superesset. Daniel morti addictus, & in lacu leonum conclusus allato mirabiliter prandio reficitur, & inter ferocissimas bestias manet securus. Dominus noster Iesus Christus, sine quo factũ est nihil, quinque panibus & duobus pisciculis in deserto quinq; milia virorum exceptis mulieribus ac paruulis reddidit saturata, & reliquiæ collectæ duodecim cophinos impleuerunt. Iterum pari miraculo quatuor milia hominum pręter paruulos & mulieres panibus tantum septem memoratur satiasse, fecisse'que vt satiatis septem fragmentorum sportæ superessent. Discipulos ergo inter nauigandum anxios'que panes ferre secum obliti essent, iusta correptione incessuit, dicens: Quid cogitatis inter vos modicæ fidei quia panes non habetis, nõdum intelligitis neque recordamini, quinque panum & quinque milium hominum, & quot cophinos sumpsistis? neque septem panum & quatuor milium hominum, & quot sportas sumpsistis? Vt que nobis constaret, nihil omnino quod necessarium sit, seruis CHRISTI defuturum, alias ab eodem interrogati illi, cùm ad prædicandum missi essent. sine sacculo,

Agar. Sampson. Elias. Vidua. Elias. Daniel. Mat. 14. Lucæ. 21.

ſacculo, ſine pera, ſine calceamentis, an aliquid ipſis defuerit? reſponderunt, defuiſſe ſibi nihil. Proinde experimento iam edocti, nec ſitim, nec famem, nec nuditatem timebant, quia nihil habentes, quaſi omnia poſſidebant num nullius rei egerent, & modico contenti eſſent, vt magna mererentur. Quod autem ſequitur: Sed nũc qui habet ſaccũ, tollat ſimiliter & perã: & qui non habet, vendat tunicam ſuam & emat gladium, nõ reor eſſe ſimpliciter præceptũ, ſed imminentis perſecutionis cauſa denunciatum: per ſacculum quippe ac peram, famis ac ſitis futuræ malum innui: per gladium, patientia martyrij deſignari mihi videtur: Sacculus enim & pera victui ſeruit, gladio autem fidei ab impietate perſequentium defendimur. Porrò per ea quæ ſuperius dicta ſunt, rerum quærendarum ſolicitudo tollitur, non otium imperatur. Quærite, inquit, primum regnũ dei. Sed qui regnum dei quærit, non ſolum cœleſtium contemplationi, aut impartiendæ aliis doctrinæ vacat, ſed etiam manibus operatur, partim alimenta ſibi paret, partim ne deſidiæ ſe dedat, & quieſcente corpore, feruor quoque animi diuina ſucceſſi tepeſcat. Sic fecit Paulus, tantummodo ſabbatis cum Iudæis diſputans, cæteris diebus arte ſcœnofactoria ſe exercens. Quòd ſi ad victum labor non ſuffecerit aliunde id quo indiges tibi adiicietur. Licet enim & ab iis accipere quos doces, quia dignus eſt operarius cibo ſuo, & qui altari ſeruit, fas eſt ei viuere de altari, id eſt, de his quę templo offeruntur, Omnis enim rerum vtendarum oblatio, pauperum cenſus eſt, non eorum quibus ſua ſatis ſunt. Cum autem omnia defuerint, tunc demũ manum ſuam porriget Deus, & qui mundo quoque ſeruientes, alit: ſibi ſeruientibus deeſſe non poterit. Ideò reſpicite, inquit, volatilia cœli, quæ non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater cœleſtis paſcit illa, nonnè vos pluris eſtis illis? Deinde conſiderare nos iubet lilia agri quomodo creſcant

(Margin: Actu. 18. — Matth. 6.)

do crescant, quali colore tegantur, & si, inquit, fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei? Vnde ipse deus veluti non habens quorum iustius curam gerat, quàm eorum qui sibi in paupertate famulantur, in Isaia ait: Ad quem respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos. Hinc illa Psalmistæ adhortatio est: Timete dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum, diuites eguerũt & esurierunt, inquirentes autem dominum non minuentur omni bono. Quæris quomodo diuites eguerunt? Ille qui purpura induebatur, qui lautè opipareq; cœnitabat, in inferno sepultus, gutta vna aquæ indiguit. Rursum quæris quo pacto pauperculi deo seruientes bonorum compotes fiant? Lazarus mendicus erat, ulcerosus, esuriensque micas illas, quæ de diuitis mensa cadebant, translatus autem in sinum Abrahę in locum beatorum omni bono cœpit abundare. Quis vtriusque fine perspecto non dixerit, & illius infelicissimas diuitias, & huius infelicissimam mendicitatem? Breuis est præsentis paupertatis toleratio, futuræ verò remunerationis hubertas perpetua est & perẽnis, quod testatur Iacobus Apostolus, dicẽs: Nõnè deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni? Ne quem igitur dum domino seruit, paupertatis grauent angustiæ, cogitet quàm grandè beneficium sit ab ipso eligi, fide ditari, & cœlestis regni fieri hæredem.

Isaiæ. 69. Psal. 18. Iacobi. 2.

LIBRI III. FINIS.

EVANGELISTARII MARCI MARVLI LIBER IIII. de charitate, et iis quæ charitatem conſequuntur vel euacuant.

De charitate erga deum. Cap. I.



VAE, ad fidei ſpeique virtutem magis pertinere arbitror, hactenus dicta ſunt, reſtat vt charitatis quoque officia deo adiuuante exponamus, eaſque ſimul partes tractemus, quæ illi cõgruere videbuntur, bonis mala more noſtro cõferendo: vt legentes, & quid ſequendum ſit, & quid vitandum, diſcant. Diliges (inquit ſaluator) dominũ deũ tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum eſt autem ſimile huic:
Matt. 22. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & prophetæ. Maxima igitur charitas eſt, quam deo debemus: huic propinqua qua homines proſequendi ſunt. Deum ex toto corde tunc diligimus, cum nihil eius dilectioni æquamus, ſed quæcunq; nobis clara ſunt, ſecũdo loco habemus, quod niſi præſtabimus, Deo frui non poterimus. Ait enim: Qui

Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus,&qui amat filium aut filiam plus quàm me, non est me dignus. Ex tota autem anima deum diligimus,cũ ne vitę quidem nostræ parcimus,dum ei obsequimur nihil timendo eos qui corpus occidunt,sed illum potius,qui & corpus & animam potest mittere in gehennam,cum ipse dicat:Qui perdiderit animam suã propter me,inueniet eam.Hoc quidem sancti præstiterunt martyres,qui temporalem vitam pro Christo offerentes,accipere meruerũt æternam. Ex tota verò mẽte deum diligimus quando fide certissima,quicquid de deo sancta sentit ecclesia complectimur,& cuncta quæ vel animo voluimus,vel opere implemus,ad ipsius cultum atque honorem dirigimus,nec quicquam omittimus,quantum in nobis est,quod eius dilectionem referri possit.Diligamus ergo dominum deum nostrum toto corde, ne quid illo charius habeamus, tota anima, ne pro illius nomine corporis tormenta mortem'q; ipsam,si casus inciderit,aut quicquam formidemus:tota mente,vt omnis nostra cogitatio omnis'que actio ad vnum finem tendat,placendi videlicet deo,eius'que conspectu perpetuò perenniter'que fruendi.Super hoc triplici proposito fundata charitas nõ ineptè fortasse sub illo contineri videtur fermento, quod acceptum mulier,anima deo dedita abscondit in farinæ satis tribus, hoc est,in corde,in anima, in mente, donec fermentetur totum,donec ipsa tota in charitatem conuersa, & quod fide tenebat, & quod spe præstolabatur, hoc in deo,quẽ super omniá dilexit atque coluit,iã possideat, & bono incõmutabili quod possederit, fœliciter perfruatur.Isto charitatis genere dilexit Christum suum Petrus,quando concupiuit cum illo habitare in monte quando viso Iesu super quas ambulante de naui desiliẽs,ad illũ ire cõtẽdit solus,reliquis in naui residẽtibus,admirãtibus'q; hominis audaciam,nihil metuẽtis,

Lucæ.13.

Petrus.

nisi cum mergi cœpisset, quando ei de sua cruce prædicenti respõdit. Et si me oportuerit mori tecũ, nõ te negabo. Tametsi præstare nequiuerit quod promiserat, promisit tamen tanquam præstaturus, & certè præstasset, si non suæ imbecillitati, se dei virtuti confidens promisisset. Quando præterea Christo dño seruis suis pedes lauanti, indignum ratus vt dei filius ad tantam descenderet humilitatem, respondit: Non lauabis mihi pedes in æternum. Postquam tamen audiuit, se non habiturum partem cum illo, nisi ab eodem lauari permitteret, continuò mutata sententia, domine, inquit, non tantum pedes, sed manus & caput, vsqueadeò expauit, ne ab eo separaretur, quem totis animi affectibus diligebat. Quando etiam stans pro domino solus aduersus armatam cohortem strinxit gladium, percussit'q; principis seruum, plures forsitan percussurus, donec inter multorum arma & ipse concideret, nisi furentis animũ eiusdem domini iussa repressissent. Post resurrectionẽ quoque eius gloriosam, cum de naui illum in littore stãtem agnouisset, non expectauit donec remigãdo ad terram perueniret, sed omnis moræ impatiens misit se in mare, vado'que percurrens primus omnium illi se coniũxit. Cæteri enim post eum nauigio applicuisse dicuntur. Et quoniam semper præcipui erga dominum suum amoris ardore flagrauit, dignus iudicatus est, cui cura dominici gregis committeretur. Atque vt charitatis merito id sibi tribui intelligeret, interrogatur à domino an ipsum amaret, & affirmanti statim dicitur, vt eius quem se amare confessus est, oues custodiret, ecclesiastici'que pastoris officio fungeretur. Ter rogatus, ter se eum quem negauerat, diligere respõdit, & trina charitatis confessio, trinæ negationis crimen deleuit, atq; ipsum confitentem, vt cæteris præesset, dignum reddidit. Sunt & alia in Euangelio amoris eius argumenta, quæ consulto prætereo ne prolixior sim. Illud tantum commemo-

Ioan. 21.

commemorabimus, quod ei cum aliis fuit commune. Omnes quippe Apostoli, omnibus quæ habebant relictis, secuti sunt dominum, magis eligentes in paupertate cum Christo viuere, quàm in diuitiis cum hoc mundo, & persecutiones & verbera & necem cum illo sustinere, quàm cum terræ regibus honorari, cùm semel gustassent, quàm suauis, quàm dulcis est dominus animæ quærenti eum. Sed nec mulierum illarum modica charitas fuit, quæ cũ animo tum corpore eum secutæ, de propriis facultatibus (vt euangelista ait) ministrabant ei, & sicut egentem sua ope sustentabant, ita in patibulo pendenti lachrymas lamentaque obtulerunt, sepultũ quoque cum aromatibus quæsierunt, nihil omittentes quod singularis erga amatum dilectio videbatur exigere. Nec solum officiosas, verum etiam audaces amor fecerat. profectæ eni vt corpus vngerẽt in sepultura, neq; noctis tenebras, neque sepultura chori custodes timuerunt, Quod si hæ vt in sepulchro tunc iacentem honorarent, omne contempserunt periculum, quantum culpandi sunt illi, qui dum aliquid tale metuũt, iam in cœlo regnantem offendere non formidant? Eandem animi magnitudinem pro eius amore præstitit Ioseph, qui de sepeliendo corpore anxius, non est veritus illud à Pilato poscere, & concessũ tollere, & syndone inuolutum in nouo condere monumento. Hunc in amore audacia, Nicodemum commendat liberalitas. Mixturam ad corpus vngendum myrrhę & aloes attulisse fertur, quasi libras centum. Non pepercit impensæ, dum suo erga dominum satisfacere nititur affectui. Hi ergo cũ in finem vsque Christum suum dilexissent, ostenderũt perseuerantia opus esse in amando. Perseuerauit Maria ad monumentum plorans, & prima resurgentis domini gloriam videre meruit: & quia proposuerat, nisi inuento dilecti corpore, inde non recedere, digna fuit cum reuiuiscente priusquam cæteri colloqui, & tam

Sanctæ mulieres.

Marci.15.
Matt.28.

Mat.27.
Nicodemus

admirandæ eius resurrectionis nuntia fieri. Hanc charitatis continuationem ipse etiam dominus præcepit
Ioan.15. discipulis, dicens: Manete in dilectione mea. Et qua ratione in illa permanere queant, docet subiungens. Si pcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Quisquis ergo se dei sui amatorem profitetur, & mandatis eius non obtemperat, mendax est, cum libera mādatorum obedientia, veri in deum amoris indicium sit.
Luc.7. Quanto autem vsui nobis existat ista charitas testis est peccatrix illa, de qua dictum est. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, testes sunt discipuli, quibus dominus dixit, Ipse pater amat vos, quia vos me amastis. Amādo igitur & à peccatis absoluimur, & deo chari efficimur, non ea charitate qua etiam improbos diligere dicitur vt creator, sed qua electos duntaxat amplectitur vt saluator. Hæc de charitate quam deo debemus, dicta sint satis, si quicquam de illa satis dici queat, sine qua nihil est salutare, nihil sanctum, nunc in proximo amoris officia pensemus.

De charitate erga proximum.

Cap. 2.

Mat.22. SEcundum charitatis mandatum superiori simile esse dixit dominus: Dilige proximum tuum sicut teipsum. Homo ad imaginē & similitudinē dei factus est, non ad æqualitatem. Ideò simili charitate & nō pari est prosequendus. Fieri enim non potest vt creatori æquiparetur creatura, & finitum idem sit cum infinito. Deum ergo dilige plus q̄ teipsū: hominē sicut teipsum. Tunc autem teipsum diligis, cū illa agis quæ tibi ratio suggerit, non quæ voluptas blāditur: hoc est, cum viam illam arctam quæ ducit ad salutem ingrederis, nō illā latam, quæ ad præcipitium tendit perditionis. Quod si sic aliis quoque agere, sicque incedere

optas

optas, & quantum in te est compellis, veræ dilectionis præceptum obseruasti, æquè ac teipsum proximos tuos amando. Qui verò luxuriæ deditus, perniciosas mortiferasq; sequitur voluptates, atque ad eas vsurpandas cæteros hortatur, certum est ab illo neque se quidem ipsum diligi, neque proximũ suum. Hic nempè seipsum non modo non diligit, sed etiam odit maximè cum nemo ei capitalior hostis sit quàm ipse sibi, quãdiu vitiis maleque animi libidini seruit. Quid enim magis noxiũ esse potest homini quàm peccatũ, per quod & summũ bonũ amittitur & ad summũ malum peruenitur? Vera est igitur illa charitas, qua tũ nosipsos tũ ꝓximos nostros ita amamus, vt & pctã caueantur, & colatur virtus, ac simul iuuetur proximus, & honoretur de⁹. Oportet itaque finem esse bonũ quo dirigatur charitas, qui si malus fuerit, quicquid vel sibi vel amico blanditus egeris, non charitas est, sed sub charitatis persona latens exitiale odium. A quo quidem discipulos suos cauere volens dominus ait: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Igitur sicut Christus dominus nos diligit, ita & nos diligamus nosipsos, proximosque nostros, non ad pompam, non ad honores, non ad delicias neque ad opes cumulandas, sed ad earum rerum exercitationem atque cultum, quibus æternum cœlesteque bonum comparatur. In hoc, inquit, cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Nõ ergo loqui linguis, neque prophetare, neq; nosse mysteria, neque habere fidem, neq; bona pauperib⁹ erogare, neq; postremò corpus tradere vt ardeat, discipulum Christi probant, sed sola ista talis, qualẽ debere esse dixim⁹ dilectio. Quàm vt auidius capiamus, iterum idem dominus superiorẽ sentẽtiã repetit, dicens: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. Et sequitur: Maiorẽ hac dilectionem nemo habet, quàm vt animã suã quis

Iohan. 13.

Iohã. 15.

 ponat

ponat pro amicis suis. Deinde paulò post: Hæc mando (inquit) vobis vt diligatis inuicem per hoc quod præcipiendo replicat sæpius de dilectione, maiore studio & diligentiore cura sequendam esse demonstrat. Quicquid enim magis persuadere cupimus hoc crebrius auditorum auribus inculcamus. Maximam autem charitatem illam dixit, quæ ne vitæ quidem nostræ parcere nos hortatur dũ consultũ volumus proximorum saluti. Et certè præferendum est cuiusque hominis animæ perenne bonum, caduco ac transitorio vitæ nostræ bono. Exempli gratia: Sæuiente in Christianos persecutione aliquis tormentorum necisq; metu videtur Christum negaturus, tunc tu debes animum eius in spem vitæ melioris erigere, nec pati, vt te tacente & mortis vitante periculum ille separetur à Christo, iungaturque diabolo, & in æternum pereat. Mori tibi multo magis expedit, ne frater tuus in tartarũ corruat, quàm viuere, & ei in tanto animæ periculo fluctuanti non succurrisse. Quod nisi ita affectus erga proximum tuum fueris, præceptum (vt ego reor) non implesti charitatis. Quomodo enim alterum diligis sicut teipsum, si tibi parcis & illum perire permittis, cum præsertim patiẽdo pro domino & te & illum saluare possis, & vna cum

1.Pet.2. illo ad martyrij coronam peruenire? Dominus pro seruis passus est, & tu pro fratre tuo pati recusas? Apostolique sententię resistis, dicentis: Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius, sed memento quia sicut dictum est, nullam esse maiorem charitatem erga proximum quàm pro illo animam, id est, vitam istam ponere, ita maioris charitatis maius esse meritum & apud dilectionis remuneratorem deum excellentius præmium, Vnde saluator noster notum esse volens, quare mulieri peccatrici multa dimisisset peccata, causam intulit & ait, Quia dilexit multum, simulque subiunxit, Cui autem minus dimittitur

mittitur minus diligit. Cæterùm in omni vitæ necessitate ordo tenendus est indigentibus subueniēdi. In rerum pari inopia, propinquioribus prius opem feras, quàm min⁹ propinquis, & domesticis quàm extraneis, & fidelibus quàm infidelibus, & bonis denique quàm malis. Iesus enim dominus noster ante se à pastoribus qui in Iudæa erant quàm ab alienigenis adorari voluit, & ante in Nazareth, vbi nutritus & educatus fuerat, Isaiæ prophetiam recitando se manifestum fecit quàm Hierosolymis, & ante Iudæos ea quæ fidei sunt docere studuit, quàm alienigenas nationes. Quam quidem rē postea apostoli quoque ipsi confessi sunt, ad illos dicentes: Vobis oportuit primum prædicare regnum dei, sed quia indignos eo vos fecistis, ecce conuertimur ad gentes. Itaque in distribuendis ex charitate rebus in eos qui pariter indigent, ratio aliqua ducenda erit cognationis, conditionis, religionis ac bonitatis, & hoc quoties opus erit vel docere ignaros vel corripere delinquentes, vel exhortari pigros, vel consolari afflictos, vel tolerare iniuriosos, vel etiam pro persecutoribus orare, Item cum oportebit pascere esurientes, potare sitiētes, inuisere infirmos, suscipere peregrinos, tegere nudos, redimere captiuos, & funerare defunctos, Atq; hęc ferè sunt charitatis pietatisque officia lucis æternæ mercede compensanda, nisi fortè aliquo inanis iactantiæ fumo infecta fuerint atquę obscurata: de quibus singulis erit suo loco differendum. Interim autem etiam inimicos amare à domino discamus.

Eleemosynę distribuēdę ratio.

Actu. 13.

De charitate erga inimicos.

Cap. 3.

Diligite (inquit) inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calūniantibus vos. Quoniam tribus quidem modis

Mat. 5.

ab

ab aduersariis nostris offendimur, his iisdem vt illis ꝓpitiemus iubemur, hoc est, corde, opere, & ore. Illi in corde odium seruant, tu retine dilectionem: illi opere lædunt, tu beneficiis contende: illi ore detrahunt, conuitiantur, maledicũt, tu pro eis vt sese corrigant, & correcti saluentur deprecare, sequitur enim: vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Vide quanta est huiusce dilectiõis merces, bonum pro malo reddẽdo filij dei efficimur, deoq; similes reddimur, Ille solis pluuiæque beneficium, hoc est, temporalium bonorum vsum, tam malis q̃ bonis communem esse voluit: vt tu & charitatem tuam sicut cum amicis: ita & cum inimicis communices, omnibus prodesse, nulli nocere cupiens. Quod autem inter amicorum inimicorũque dilectionẽ intersit, declarat, dicens: Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quã mercedẽ habebitis? nõne & publicani hoc faciũt? Et si salutaueritis fratres vestros tantũ, quid ãplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciũt? Amare quippe amantem naturæ lex est: amare verò inimicũ, filiorũ dei propriũ est & sectatorũ Christi, Quãobrem concludens ait: Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. Sicut ille perfectus est secundum immensitatem diuinæ naturæ, ita & vos estote perfecti iuxta mensuram atque prauitatem naturæ vestræ humanæ, sed nemo in se confidat, vnusquisq; imbecillitatis suę memor, ad illum qui solus potest omnia, confugiat & ab ipso gratiam postulet, sine qua pfecti esse non possumus. Porrò quemadmodum superius diximus, proximum esse diligendum, eodẽ fine & inimicus erit diligendus. Id enim ei potissimè optandum cẽseo, id p̃standũ, ex quo ab iniuria cessando melior fore speratur, & correctis tandem moribus creditur salutem consecuturus. Cæterùm si illum qui tibi infensꝰ est, tam peruersi inhumanique ingenij esse nõ ignoras,

vt

vt cum ei benefeceris, magis aduersum te insolescat, cũ submissè comiterque respõderis, magis irritetur, huic tali præstabis beneficium, si à beneficiis cessaris, si à mitibus responsis destiteris, si tacueris, si denique furentẽ tacitus preterieris atque recesseris ea duntaxat de causa, vt ille minus culpabilis sit, cũ sæuierit minus. Quòd si fortè ideò inflatur superbia, quia diuitiis abundat, quia viribus præstat, quia rerum prosperitatibus fruitur, ac propterea melioribus inuidet, multos contemnit, nec paucos afficit iniuria, haud equidem illicitum reor, optare ei aliquam opum iacturam, corporis debilitatem, fortunæ minus ex sententia fluentis iniuriam, vt elati animi vulnus, quod lenibus medicamentis suppuratur, asperioribus curetur. Videndum tamen, ne dũ talia imprecaris illi, à quo mali aliquid sustines, odiũ vel inuidia te moueat, sed sola prouocet charitas, qua inimicum tuum meliorem effici cupias non miseriorẽ, & emendatum, non afflictum neque hoc propter te, ne ille tibi noceat, sed propter deum, ne deus offendatur, & proximum, ne domino suo peccãdo pereat. Dicet aliquis arduum nimis & difficile esse in eos beneuolentiã seruare, à quibus grauiter offensus fueris. Difficile quidem esse fatemur, impossibile negamus. Hoc fecit Dauid erga Saulem regem, & Absolonem filium, vtriusq; necem fleuit, cũ vterque vitæ eius fuisset insidiatus, & alter eidem gloriam militarẽ inuideret, alter regnũ. Stephanus quoque protomartyr pro illis à quibus lapidabatur orauit. & Paulus de iis qui ipsi infesti erant. Cupio (inquit) anathema fieri à domino pro fratribus meis. Ante istos dominus noster Ies⁹ Christus eis, à quibus vt interimeretur comprehensus fuerat, vsque adeò beneficium se præstitit, vt vni eorum abscissam auriculam statim restituerit, sanamque reddiderit, & discipulũ suũ qui eam absciderat, increparit. Denique pro illis à quib⁹ vincula, calaphos, flagella, vulnera, fel, atq; acetum

Dauid.

Stephanus, Paulus.

acetum passus fuerat, in cruce pendens ignosci petiit, & errorem excusauit: Pater (inquit) ignosce eis quia nesciunt quid faciunt. Talem itaque se inimicis suis exhibuit charitatis magister, quales nos, si perfecti fieri volumus, esse debere præcepit. Non meretur dici eius discipulus, quisquis aliter aduersus inimicum suum animatus fuerit. Ac ne quid excuses, ne quid causeris, non iuberis in homine amare odij crimen, sed dei opus hominem ipsum. Quomodo autem deum diligis, si opus eius perire cõcupiscis? Quàm ergo graue peccatum sit, hominem odisse, hinc iam speculari incipiamus, vt cũ cognouerimus quantum hoc cauendum sit, magis ad quenquam amandum animo alliciamur.

De malo odij. Cap. 4.

Opus dei odit, qui hominem odit. Quomodo autem potest deum diligere, qui id quod ab illo factum est valdè bonum, non diligit? Porrò deum nolle diligere, qui prior dilexit nos, quid est aliud, nisi reprobos imitari spiritus & ab eo à quo conditus es, desciscere atque alienari? Cùm ergo is qui homini malè optat, conditori eius aduersetur & diabolum sequatur, restat vt cuius mores sequitur, cum eodem supplicia in inferno patiatur. Falluntur illi qui odium suum excusant, dicentes, malos homines deo quoque inuisos esse, iuxta illud: Odiui ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Et illud: Ite maledicti in ignem æternum, & quos deus odit, inquiunt, cur eosdem & nobis odisse non licet? Non omnia seruo conueniunt, quæ conueniunt domino. Domini interest imperare, seruo obedire, ad dominũ ptinet pro scelere punire, ad seruũ pati verbera, non inferre. Odiui ecclesiã malignantiũ, inquit dominus. Malignitatem hominum odio se habere his verbis testatur, nõ homines ipsos. Iniquos quo-

que ęterno igni deputandos ait, vt illi pro reatu puniãtur, non vt ipse opus suum damnet, quasi pœniteat eũ fecisse quod fecerit. Odio ergo habet deus hominis peccatum, non naturam. Ita & tu in vno homine habes alterum quod odisse debeas, alterum quod diligere. Plectere autem delinquentes præpositi officium est, Inter æquales alteri in altenum nullum ius est nisi commiserendi, quod si dereliquerit, commonendi ne delinquat: optandi atque orandi, vt post delictum pœnitentiam agat, & veniam consequatur, & sperandæ salutis gratiam quam peccando amiserat, emendando recuperet. Cæterùm qui odit hominem, tam iniquè de illo deliberat, vt etiam illud quod rectè probéque agentem viderit, obloquendo infamet: iniuriæ patientem timidum vocat ecclesię limen terrẽtem hypocritam appellat, & subditos corripientem iracundum esse criminatur, & quod virtuti ascribere deberet, hoc ad proxima ei vitia trahere nititur. Tales erant illi qui de Iohanne neque edente neque bibente, dæmonium ei inesse dixerunt, & de domino edente cum aliis ac bibente: Ecce vorator & potator vini & publicanorũ amicus. Qui ergo sic odit proximũ suum, non Christianus fidelis, sed infidelis pharisæus est. Ipsi quippe pharisæi cum vidissent Christum ægrotos in die sabbati curantem, non est, inquiunt, hic homo à deo, qui sabbatum non custodit. Cum à dæmonio vexatos eius ope liberari conspexissent, dixerũt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Noluerunt dicere in virtute dei, ne quis illum ex hoc deo charum acceptúmque esse existimaret, sed reprobum potius & impium, vt qui non dei auxilium imploret, sed prophanis dæmonum inuocationibus vtatur. Quid multa? Si cui inimicus fueris, torquebit te inuidia, quoties alios aliter de illo sentire cognoueris, & non mendacio, non probro, non maledicto abstinebis, atque vnum

Mat. 11.

vnum odium in plura te præcipitabit vitia, dum morũ tuorum iacturam nihil pendis, vitæ cupiens obesse alienæ. Et cùm tam immoderatè ferri cœperis, ad iurgia vsque contumeliasque peruenies, post rixas ne manib⁹ quidem temperabis. In nullo prorsus pharisæis cedes, qui tentarunt prius illum quem oderant, capere in sermone, vt captum accusarent, & eadem malitia eorum qui ipsum in Hierusalem euntem laudibus prosequebatur, obstruere volebant, iubentes vt taceret. Deinde etiam edicto statuerant, vt si quis eũ cõfiteretur. Christum, extra synagogam fieret. Postremò cum nullum finem inueniret inuidia, quandiu viueret ille cui inuidebatur, falsis testimoniis circumuentum accusant, & totis animis ad necem innocentis maleuoli homines cõcitantur. Neque ideò te excusatũ putes, quia pharisæi iustum persecuti sint, tu peccatorem. Neminem sic odisse debes, vt nocere velis. Proindè æquales patienter feras, in minores ita animaduertas, vt crimen detestari, illos autem diligere videare. Ob hoc scelestus plectitur ab illo qui præsit, vt à scelere desistat, & alij pœna eius territi, tale aliquid committere vereantur. Quòd si dominus etiam seruum puniẽdo diligere debet, quomodo tibi fas erit in conseruum tuum debacchari, vel sæuire velle? Quem certè nisi corde odisse desinis, quãuis re atque opere offenderis, tanti criminis reus comprobaberis, quantum mali ei optabis. Cuicunque enim ex odio perniciem concupieris, eius interemptor es, dicente Iohãne Apostolo: Omnis qui odit fratrem suũ, homicida est. Nemo itaque odio erit habendus, qui ad imaginem & similitudinem dei creatus est, qui Christi sanguine redemptus est. Si malus, improbus, scelestus fuerit, cura si potes, si non potes opta, & deum pro illo deprecare, vt dimissa nequitia abiectisq; vitiis ad virtutis viam conuertatur & viuat.

1. Iohan. 3.

De pace

De pace publica & priuata. Cap. 5.

POrrò ipsius charitatis vinculum pax est. Concorditer viuant oportet, qui diu inter se amare cupiunt, non incongruè igitur de pace colenda nunc differendum occurrit. Pax quædam publica est, quædã priuata. Publicam pacem dicimus, cum ab armis fœdere intercedente quies est, & nec offensam metuit ciuitas, nec offendere exteros parat, sed multa status sui trãquillitate gaudet, ac rebus quas possidet fruitur p quã iucundè. Cæterum huic tãtæ ciuium quieti subrepere otiũ solet atque ignauia, exinde luxurię vitia scaturiũt, quibus corrupti multorum animi, dum externam pacem fouent, domesticam perturbant, & inter se diffidere incipiunt, postquam foris hostem diu non senserũt. Quod ne tibi contingat summopere erit prouidendũ, id est, pax quæ prodesse debet ne tibi noceat. Cum ergo & prædiorum tuorum prouentus nullo dirripiente integer intactusque seruabitur, & ex commercio liberæ negotiationis lucri accedet, deo grratias age, & ea quæ benignè suppeditantur, non ad luxum tibi dari existima, sed ad exercendæ virtutis occasionem. Quantum personæ ac dignitati conuenit rebus tuis vtere, quicquid autẽ superefluere videris, totum ad munificentiam liberalitatemque conuerte, & hoc quod luxuria exigit, quod ambitio exposcit, quod turpis consumere appetit voluptas, incipe pauperibus dilargiri, peregrinos hospitio suscipe, esurientem pasce, nudum operi, ære alieno oppressos redime, subsidia ęgrotantib9 mitte, mortuis iusta exolue. Ita tibi pax ista publica benè ac psperè succedet, dũ copiã præstat inopiæ subueniẽdi alienę, deũq; demerẽdi. Pax aũt priuata illa Pax priuata dici-

dicitur, quæ singulis iungit singulos, ediditque concordes: veluti fuit Dauid & Ionathas, Elias & Elisæus, Paulus & Barnabas. Hac tu iucundæ frui poteris, si omnibus facilem mitemque te præstabis, si neminem lædes, & omnib⁹ quantũ in te est, prodesse studebis, si iniuriam magis pati quàm inferri disces, vt dicere possis: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: si denique tecum ipsemet pacem habebis, etiam cum aliis habere poteris. Qui enim secum ipse discordat, quomodo cum aliis firmam concordiam tenebit? Tecum autem pacem habebis, cum repugnantem carnem spiritus imperio subdideris, & concupiscentiæ motum compuleris obedire rationi. Quod cum feceris, tunc demum & intra te animi trãquillitate perfrueris, & exterius nemo tibi erit molestus, quia tu nemini eris iratus ad lædendum aut mali aliquid optandum. Charitas tamen aliquando postulat vt irascamur, & irascendo pacem illi quęramus, qui peccando offendit. Siquidem irasci delinquentibus vt corrigantur, nihil est aliud, nisi eos reuocare velle vt & deo cui peccauerunt, reconcilientur: & bonis omnibus morum synceritate concordent. Tunc autem pace cum aliis composita rectè vtimur, cum eius finis potissimus est, vt deo placeamus. Nam pax quæ deo displicet non pax dicenda est, sed malorum conspiratio: & odium potius erit eligẽdum, quàm ad malum consensus. Quoniam & saluator noster cum idola vana colentium concordiam discindere pararet, non veni, inquit, pacem mittere in terram, sed gladiũ, veni enim separare hominem aduersum patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socerum suam, & inimici, hominis domestici eius. Itaque multo magis proderit gladius, qui putrida membra à sano corpore separet, quàm pax quæ morbidas partes fouens, totum corpus corrumpi patiatur. Denique bonum est bellũ illud quo dirimitur mala pax. Bonũ est, inquam,

Matth. 10.

inquam, cum vno oculo intrare in regnum cœlorum, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam. Oculus qui scandalizat, quē proiici & abiicere iuberis, est amicus vel consanguineus, qui tibi blanditur, vt sibi in vota rei iniquę assensum præbeas, opémve præstes. Expedit autē eiusmodi hominis inuidiam potius pati iniusta non concedendo, quàm concedendo beneuolentiā amplecti. Omnium quippe hominum pasci solius dei pax semper est præferēda, & pro hac vna omnium inimicitiæ subeundæ.

De pace seruorum dei Cap. 6.

PAX illa dei est, quæ bonorum animos mutuo amore deuincit, quæ Christo seruientes vnum corpus efficit. Et hi quidem idem volūt, idem nolūt, quia omnes pariter ad vnum finem deo placendi tendunt. Non est inter illos est & non, sed iuxta domini p̄ceptum, est est, non non. Concordi mente & corpore deo seruiunt, & ad omne opus bonum vnanimes concurrunt. Quid hac pace dulcius? quid vtilius? quid laudabilius dici queat? Hanc admirans Psalmista, exclamat: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Talis pax atque consensio, vel in cœnobio, vel in solitudine procul à turbis commorātium si fuerit, gaudeant: quia & preces eorum exaudiuntur, & contubernalem suum habent Christum ipso dicente: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quacūque petierint, fiet illis à patre meo. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum. Quod astruit Apostolus ad Corinthios dicens. Pacem habete, & deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Consensus in eandem fidem, in eundem inuicē diligendi, inuicem iuuandi affectum facit pacem istam.

Psalmo.132. Mat.18. 2.Cor.13.

T De hac

Ioan,14. De hac dicebat saluator: Pacem relinquo vobis, pacē meam do vobis, non quo modo mundus dat ego do vobis. Mundana enim pax non de deo idem sentire, nec iisdem moribus viuere, sed tantum ab iniuria offensis'que iubet inter se abstinere. Christi verò pax in quibus fuerit concordes reddet in fide, conformes in proposito, similes in dilectione, compares in humilitate. Quod breuiter explicat propheta, cum ad dominum conuersus, ait: Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalū. Et alius propheta: Si in via dei ambulasses, inquit, habitasses vtique in pace super terram. Vera igitur certa'que & stabilis pax est, in dei seruitio adunatorum, diuina'que sequentium præcepta legem'que colentium. Eorum rete plenum magnis piscibus, id est, eorum concordia virtutibus professionis referta non scinditur, eorum pacis tunica incōsutilis, quam à Christo acceperunt, non diuiditur, neq; scissuras patitur rixarum, nec tineas inuidiæ sustinet, sed domini præsidio munita, inuiolata illęsa'que perdurat, tunc felicius & sine fine duratura, cum de terris transferentur in cœlum, vt qui pacifici fuerant filij dei fiant & vocentur. Ad pacem istam capessendam Corinthios hortatur Apostolus, dicens: Obsecro vos fratres per nomen domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes & non sint in vobis schismata: Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia. Plurimi sanè hoc faciendum esse ostendit dum cum tanta exigit obsecratione, & dum adiurat per nomē, quod est super omne nomen testatur fidelibus maximè necessariam esse pacem atque concordiam. Quod apertè declarat, vbi ad Hebræos scribens ait: Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit deū. Ne quis præterea generis conditione alteri se præferēs dissidium concitet. In vno spiritu omnes nos, inquit, in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue

Marginal notes: Psal.118. (beside "mes in proposito"); Baruc.3. (beside "minum conuersus"); 1.Cor.1. (beside "thios hortatur"); Heb.12. (beside "vbi ad Hebræos"); 1.Cor.12. (beside "sidium concitet")

siue serui, siue liberi, & omnes in vno spiritu potati sumus. In tantum autem Dominus fidelium suorum pace delectatur, vt in salutationibus quoque pacē offerri iubeat dicens, Intrantes domum, salutate eam dicentes, Pax huic domui. Et ipsemet post resurrectionem suam apparens discipulis, pax vobis, inquit, & in cœlum ascensurus, pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Quin etiam tunc in carne nasci voluit, cum terrarum orbis cessantibus bellis pacē agitaret, quādo gladij iuxta Isaiæ vaticinium mutati sunt in vomeres, & lanceæ in falces, quādo angelorum vox audita est de cœlo canentium, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ob hoc equidem reor ipsum Christum ab Apostolo significatum, cum in fine epistolæ ad Romanos dixit, Deus autem pacis sit cū omnibus vobis, Amen. Deus enim pacis est qui inter deum & hominem pacem ponere venit, qui Iudæos & gentiles inter se dissidentes in vna fide copulauit, qui noua veteribus coniunxit & vtraque fecit vnum. Christus itaque & deus pacis, & dei pax & pax nostra est. Ex quo satis constat illos ab eo esse alienatos, vt non gratiæ, sed iræ filij sint qui odio habēt pacem, & fraternæ discordiæ sunt autores. Ipsum autē salutandi morem à domino traditum, Apostolos postea vsurpasse scripta eorum testantur. Siquidem epistolas Pauli ferè omnes sic incipere & sic definere manifestum est. In principiis enim habent: Gratia vobis & pax à deo patre & à domino nostro Iesu Christo & similiter in fine. A pace ergo exordia sumebant, pace postrema concludebāt. Nec aliter Ioannes Apocalypsim orditur, nec Petrus epistolas. Vsque adeò iam trita ac peruulgata erat inter christi discipulos pacis offerendæ salutatio. Quod nostris quoque temporibus obseruari cernimus ab iis qui CHRISTVM Apostolosque eius imitantur. Præterea in lege veteri nomen pacis celeberrimum fuisse

Matth.10. Iohan.14. Isaiæ.2. Lucæ.12.

apparet,&res ipsa ante omnia optabilis ac iucũda. Fuit
3.Regũ.7. olim hostia quæ dicebatur pacificorum. Fuit Gedeonis
2.Reg.7. altare vocatum domini pax. Legimus & Salomonem in
diebus pacis imperasse,& ipsum pacificũ appellatũ,atq;
ideò electum qui deo templum poneret, & in hoc opus
4.Reg.22. Dauidi patri prælatum,non quia melior, sed quia pacis fuit obseruator. Ezechias, quoniam iactabundus gazã omnem legatis Babyloniorum ostendendo peccauerat,per prophetam audiuit,illam eidem genti prædam
Isaie.39. futuram,& humiliatus,Bonus(inquit)sermo domini,si tantum pax & veritas in diebus meis. Cum itaque non tam pro thesauro,quàm pro pace esset solicitus,calamitas dilata fuit ad posteros,ipse in pace quàm diuitiis prætulerat, quieuit. Iudas quoque Macchabæus dux bello strenuus,illis quos vicerat pacem petentibus non negauit,quare videtur nihil aliud armis quæsisse quàm pacẽ, iustaq; esse bella illa,quæ bonę pacis fine geruntur: sicut iniusta & iniqua, quæ aliena occupandi cupidine denuntiari atque inferri solent. Cum igitur tanti habenda sit pax,non immerito vt eã acquiramus possideamusq ue precibus à domino solicitandum esse admo-
Psal.121. nemur,dicitur enim. Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem. Fiat pax in virtute tua,& abundantia in turribus tuis. In pace quippe affluere solet rerum copia, quàm bello sæuiẽte minui ac deficere necesse est. Quãobrem ad populum quoque de Hierusalem in Chaldęã translatum ait dominus: Quærite pacem ciuitati ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea,quia in pa-
Baruc.1. ce illius erit pax vobis. Alibi etiam est dictum. Orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis & pro vita Balthasar filij eius,vt videlicet diu viuãt illi, sub quibus & ipsi quietè se victuros ac securè sperabant. Hoc
1.Tim.2. idem Apostolus præcepit,dicens: Obsecro primum omnium fieri obsecrationes,orationes,postulationes,gratiarum actiones,pro omnibus hominibus, pro regibus

&

& omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Amplexanda est igitur pax cum adsit, precationibus quærenda cum desit, & pro illis orandum, sub quorum imperio atque tutela vitæ tranquillitate frui contingit vt sopito bellorum tumultu, nulla'que interpellante molestia, animus noster ad deum contemplandum expeditior atque liberior assurgat.

De pace animæ & corporis.

Cap. 7.

Nisi enim ideò pacem amplectandam duxerimus, vt virtutibus, ob quas deo chariores sumus, nemine impediente liberius incumbamus, bono pacis abutimur, & quod prodesse debuerat nocet. Alienis à virtute tunc planè latior peccandi campus panditur, cum illi aduersariorum non carpuntur molestiis cum videlicet non metuunt, ne segetem iam maturam hostis incendat, aut frugiferas deuastet arbores, aut pecudum greges in prædam abducat, aut obsessos intra mœnia fame siti'que perire cogat, aut captos bonis'que exutos vel ferro interficiat, vel in perpetuam redigat seruitutem. Fit autem sæpè dum talia formidantur, vt luxuriæ libidini'q; locus penè nullus sit. Et quoniã ab his continere se summæ laudis est, haud dubium quin voluptuariis hominibus pl⁹ mali pax afferre soleat quàm bellum quia incontinentiores reddit, & in omne vitiũ oblata securitate proniores. His ergo bellum potius optetur, vt malè viuendi licentia coërceatur solicitudine periculorum. Modestis verò & temperantibus viris, vt animo excolendo officiosius operam impendant, belli impedimenta submoueri desideremus. Ita enim exteriore aduersario peccato ac cessante, facilior cum isto quem assiduè intra nos patimur, erit pugna.

Quem certè nisi domueris, nisi animi in quo ratio est, ditioni subiecerimus, nihil proderit ab illis inimicis q̃ foris sunt donata pax, dũ ab hoc qui intus est inquietamur. Inimic⁹ aũt domestic⁹ noster atq; ĩtestin⁹, ipsa carnis cõcupiscẽtia est. Pacẽ agimus q̃diu illi nõ cedit q̃diu repugnatur, neq; quod caro affectauerit, quod fieri spiritus permittit. Caro post voluptates abire nititur, & in vitia semp̃ est prona. Spiritus verò qui est ratio ipsa, ab his abhorret ne deo peccet, cõsiderans quàm sit grãde scelus prauæ cupidini morem gerere, qua deus offenditur, & à continentiæ virtute recedere qua placatur.

Psal. 33. Ob hoc quidem exclamat propheta & ait. Diuerte à malo & fac bonum, inquire pacem & persequere eam. Diuertimus à malo cum carnalibus blanditiis non acquiescimus, facimus bonum, cum iussis pręceptisque paremus diuinis. Pacem in quirimus, cum carnis petulantiam ieiuniis, vigiliis, laboribus domando compescimus. Et quoties in hac contentione obnixè ac perseueranter stamus, pacem illam quæ cum deo est sequimur, & eam quæ cum concupiscentiis est refutamus. Pellantur igitur ab animo vitia, & locus virtutibus detur, dominetur spiritus, vt spiritui subiecta obediat caro, vt pacem quæ omnem sensum superat, quæ omnibus præferenda est diuitiis, assequi mereamur. Pacem, quæ nos deo conciliat, angelis æquat, sanctis copulat, & post victoriam in cœlo coronat. Victoria enim opus est, non compositione, vt pacem cum corporis quoque sensibus animus habeat.

Visus. Qui quidem sensus non nisi superati quiescunt, certare autem nolenti dominantur. Repugnandum est igitur illis, & si fluxa fragiliaque proposuerint, ad ea quæ æterna sunt dirigantur. Si visus prouocat ad comptam videas mulierem, & in choreis lasciuientes cernas iuuenes, auerte oculos tuos, ne quod diu-

Auditus. tius considerauerint, facilius concupiscant. Tuas etiam

aures

aures sepi spinis,& linguã nequam noli audire, neque amatoriis obscœnisque cantibus vel impudicis poëtarum lectionibus eas accommodes, ne forte turpe aliqd ab iis receptum ad cor penetret,& per blanditias intu sum,animam feriat. Odoramenta quoque muliebrem mollitiem præ se ferentia fuge: quos ea delectant, illis ipsa sordet virtus: effœminatique & enerues duriora pœnitentiæ officia subire nequeunt. Gulæ etiam impera,& si cibos ganeatos vinaque preciosa tibi concupiscenda proposuerit,tu illi econtrario recole Iohãnis locustas & mel syluestre,& sicere vinique abstinentiam,& panes hordeaceos Apostolorum,quibus dominus turbam satiauit in deserto. Obiice & multorũ qui in solitudine Christo seruierunt, crudas herbas atque radices vel syluestrium arborum fructus, & frigidæ aquæ pocula. Si demum ad turpem tactum libidinosa cogitatio te solicitat,comprime manum, auerte te ab aspectu fœminæ,refer ab ea pedem, tolle te de medio, vim ingere cupidini,& quod bonum sit mulierem non tangere,non mihi,sed Apostolo crede, Postremo singula quæque vitia oppositæ virtutis rememoratione exclude,& in carnis rebellantis periculo, ad illas cogitationes quæ spiritus sunt confuge. Quoties te inanis gloriæ lacesserit appetitio,responde illi: Dominus resistit superbis,humilibus autem dat gratiam. Quoties cor iracundia incalescere cœperit,dic ei: Qui irascitur fratri suo,reus erit iudicio,&, Ira viri iustitiã dei nõ operatur. Quoties diuitiarum cupido animũ titillauerit, oppone illi paupertatem Christi, apostolorũq; inopiã memorare diuitis purpurati in inferno miserias, Lazariq; mendici in Abrahæ sinu beatitudinem. Atq; ita carni imperando & nunquam cedẽdo vincere assuesces: & vt semp vincas,semp time ne vincaris. vtq; semp tutus sis,nũq̃ esto securus. Nã in carnis certamine cũ sępe superior euaseris,nisi quotidie victã vinculis cõstrĩgas

Odoratus.

Gustus.

Tactus.

1.Cor.7.

tu per pacem, non stabit conuentis,& cùm frenum me momorderit,trahet te quo volet,veluti sessorem effrenis & indomitus equus. Tamdiu igitur pacem cum illa habere poteris,donec vinctã cõpeditã'q; tenebis,ac tanquam fugitiuum seruum ,nunc verberibus,nunc laboribus premes,nunc tenuabis inedia atque vigiliis.Desinit calcitrare iumentum pabulo subducto,in saturitate lasciuit.Ex his quæ diximus,satis constat,animæ atque corporis pacem laboriosam admodum esse & inquietam,& solicitam,& quæ fatigationibus non solum comparetur,sed etiam retineatur.Is tamen eius fructus est,quod possessorem suum ad æternæ pacis bonum feliciter transmittat,si ipse vsque in finem ita vt dictum est egerit.Quo cum peruentum fuerit,tunc demum(vt
Isaiæ.32. in Isaia legimus)erit opus iustitiæ pax,& cultus iustitię silentium & securitas vsque in sempiternum , & sedebit populus meus in pulchritudine pacis & in tabernaculis fiduciæ & in requie opulenta,inquit domin⁹.Per quotidiana igitur certamina & ipsam certaminum victoriam , qua malarum cupidinum vires conterimus, ad sempiternæ tandem quietis triumphum peruenitur .Restat nunc,vt etiam pacis malignam simulationem omnibus fugiendam consideremus.

De pace simulata.
Cap. 8.

MVLtiplex animus & fraudulenta simulatione imbutus, pacem præ se ferre videtur, & ex insidiis incautos aggredi parat,Blando vultu delinificis'que verbis beneuolentiam ostendit, & in corde meditatur carnificinam . Talis pax Saulis fuit erga Dauidem,cui se pacatum ideò respondebat,vt occasionem nancisceretur ipsum perimendi:quod certè perfecisset , nisi lanceæ ictus ab eo qui petebatur , fuisset

cui-

uitatus. Talis pax & Ioab in Amasam collegam suum fuit, erant enim ambo Dauidici exercitus duces, amicè ac familiariter ipsum alloquendo pugione transfixit. Talis pax & Ismaëlis extitit, qui amicissimum se ostendens ad Godoliam cum decem virorum comitatu venit, & cum iisdem conuiuio gratanter fuit exceptus, nulla tamen benignitate amici motus est ne perficeret quod animo versabat, inter epulas ipsum primo Godoliam, deinde illos qui in præsidio erant, concidit, oppidumque occupauit. Eo loci postea octoginta viros Hierosolymam ad sacrificandum pergētes, vt ad se in Masphat diuerterent, rogauit, veluti pro magno habiturus, si tales hospites habere sibi contigisset: cùm autem venissent, rebus vitaque simul spoliauit, præter decem, quibus non pietate, sed auaritia ductus pepercit, quòd thesaurum in agro defossum se illi indicaturos dixerant. Talis pacis non pauca exempla in annalibus quoque habentur Macchabæorum. Nam Antiochus Eupater eam pacem iurasset præsidio Sion, intra arcem receptus violauit iuramenti fidē: & muros quos obsidione capere non poterat, fraude intercœpit, diruique iussit, Sic & Alchimas pacem Assidæis iureiurando firmatam cum dedisset. sexaginta ex eis die vno interimi fecit. Et Triphon Antiochi regis adolescentis exercitus præfectus, primo Ionathan regis amicum simulatæ beneuolentiæ blanditiis illectum interfecit, deinde regem ipsum: atque hac tanta vsus perfidia, Asiæ regnum possedit. Et Ptolemæus Abibi filius Simonem liberosque eius Mattathiam & Iudam ad Hierichuntem in arce Doech inuitatos, & iam vino epulisque graues inuadens, repenti cæde sustulit. Andronicus quoque Antiochi regis præfectus, Oniam sacerdotem, cùm iurasset nihil se ei nociturum, de asylo euocatū trucidauit, nec tamē impune huic fuit. Ipsum enim rex capite plecti iussit, comperto quod ab Oniæ æmulis

Ismaël. Ierem. 41.

1. Mac. 8. Antiochus. 1. Mac. 7.

Alchimas. Triphon.

1. Mac. 12. Ptolemæus. Andronicus

lis pecunia corruptus id egisset. Nonne pax istorum omni fuit detestabilior bello, omni aperta simultate deterior? Superata est tamen (vt ad nostra veniamus) Iudæ Iscariothi scelere. Dominum suum, qui est omnium dominus, omnium credentium redemptor, omnium saluator, à quo in Apostolatum ascitus fuerat, quem sibi pedes lauisse sciebat, cum quo pascha comederat, cuius corpori & sanguini cõmunicauerat, quem tot miracula fecisse iam viderat, quẽ iustum, quem pium, quem sẽper innocentem & in omnes beneficium nouerat, eum (proh nefas) ad necem prodidit, & in manibus quærentium sanguinem eius dedit, triginta non amplius argẽteorum precio allectus, quos à Iudæis accepit. Non fuit ergo verit⁹ tam prophano animo, tam mente impia ad talem dominum accedere, & ei osculum pacis offerre, quem tam prauo iam vendiderat. Sed vide huiusce nefandi flagitij terribilem exitum: conscientia pulsatus veniam desperauit, quam certè si petiisset imperasset, & qui pro suis crucifixoribus orauit, proditori quoque pepercisset. Ille tamen dolore superatus, ipse sibi mortem consciuit, laqueo se suspendens, & infelicem animam æternæ mortis tenebris tradens. Ne igitur vel Iudæ vel aliis infidis & execratis, quorũ modo fecimus mentionem, similis habearis, maximè in pace conciliãda conseruandaque cauendum tibi erit, ne quid similes vel dissimiles, & erga eum cui blandiris, aliam faciem oris, aliam cordis præstes. Alioqui dicetur tibi, quod
Eccle.2. in Ecclesiastico est scriptum: Væ duplici corde & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingrediendi duabus viis, vel illud Abacuc prophe-
Abac.2. tæ: Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius. Si te ista parum terrent, vt paulo perplexius dicta, audi etiam illud in
Iere.9. Ieremia scriptum, quo nihil planius apertiusque dici queat. Sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta

est

est:in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias:nunquid super his non visitabo dicit dominus,aut in gente huiuscemodi non vlciscetur anima mea?Sunt præterea qui amicè admodum ac beneuolè loquuntur cum altero, & statim eidem absenti detrahunt. Vbi audit, commendant & extollunt: vbi autem non audit, carpunt ac sugillant, & quem modo laudauerant, rursum dictis petulantibus incessere non verentur. Istos quoque dei sapientia reprobat in prouerbiis,dicens:Arrogantiam & superbiam & viā prauam & os bilingue detestor. Displicet igitur illi,cui nullum placere potest malum,simulata pax,non solum illorum qui factis offendunt,sed etiam istorū qui de absente verbis obloquuntur, de quibus in Iob scriptum est,Simulatores & callidi prouocant iram dei. Ne ergo in iram istam, qua nihil est horribilius, incedere tibi contingat,noli fratri tuo intendere dolos, noli verbis lenibus eum palpare, vt nihil metuentem facilius euertas, vel securius infames. Quod si tibi tuæ fraudes, vt ex diuinæ scripturæ sententiis didicisti, magis nocebunt quàm vlli alij, quæ dementia est,simulata pace alios lædere velle,& teipsum in æternum damnare? alios leuiter ferire, & teipsum lethali plaga afficere? alii, fortunas,vitam,famam,auferre, & tuam propriā animam, quæ his omnibus longè est preciosior, igni inextinguibili sine fine cruciandam tradere? Quicquid dolosè maligneq́ue agis, latere potest homines, DEVM nihil latet, cogitationes tuas inspicit, cor tuum intuetur. Quod si fortè à pace, quam proximo tuo debes, alienatum viderit, ipse suam pacem, quæ omnem sensum exuperat, iratus tibi denegabit. Non est pax impiis, ait Dominus, si non est, haud dubium quin neque erit. Ideò enim non est, quia neque dum cogitant malum neque dum operantur conquiescunt, & post commissum ipso conscientiæ morsu

Prouer.8. Iob.36. Isaiæ.48.

morsu torquentur. Ideò autem non erit, quia vita quo'que defuncti eo descendunt, vbi nulla est quies, nullum otium, sed assiduus labor, sempiternus horror, supplicia nunquam finienda. Talia quippe manent simulatores ipsos pacis, & sub amicitiæ persona latentes insidiatores. Non enim deo obediunt, sed prauæ mentis libidinem secuti, quod ipse prohibet hoc agunt. Dei omnipotentis lex est, Non mentiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suum. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. Hi verò contra vetita ire audent, mentiendo, decipiendo, calumniando, opprimendo, odiendo, & odium sub pacis nomine tegendo, ac dissimulando, vestem'que malignæ duplicitatis induendo, cum lex & hoc prohibeat, dicens: Vestem quæ ex duobus texta est non indueris. Quanto autem magis deo inobedientes fuisse conuincętur, tanto acerbiora inferni supplicia subire cogentur. Hi sunt enim quibus propheta in psalmo per spiritum sanctũ stimulatus imprecatur, dicẽs: Labia dolosa in corde, & corde locuti sũt, disperdat dominus vniuersa labia dolosa. Et iterum in alio psalmo: Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, da illis secundum opera eorum, & secũdum nequitiam adinuentionum ipsorum. Et paulò post infert: Destrue illos, & non ædificabis eos. Quod si destruendi & non ædificandi sunt, quis illis spei locus erit relictus, tormenta illa quæ in inferno sunt euadẽdi? Sed fortasse cum processerint doli, cũ malum quod cogitauerant peregrini, se quieturos cõfidunt? Audiant ergo Apostolum dicentem: Cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Quod si quicquam consummato scelere lætari cõtigerit, momentanea profectò ac breuissima est cuius'q;

Leuit. 19.

1. Thes. 5.

fla-

gitij delectatio, sed nisi pœnitudo intercesserit, dolor subsequetur perennis, & nullo prorsus fine claudenda pœnarum inquietudo. Quoniam pro peccato quo deus infinitus offenditur, infinita debet esse punitio. Ista nobiscum euoluentes demus operam, ne quid maligna mẽte fingamus coram aliis, ne quid simulemus, quod vel illis vel nobis noxium fore nouimus, aut iniquũ, ant turpe & inhonestum. Simpliciter sine fraude, sine inductione, sine malitia sine fuco omnes diligamus, tam verbo quàm opere, vt pacem synceram, puram ac veram & cum aliis & nobiscum habeamus, ipsíque deo pacis placere possimus, qui de cœlo veniens pacem attulit terræ, pacem iis qui longè, & pacem iis qui propè, neminem credentem respuens, omnes autem ad pacem inuitans mutuę inter nos dilectionis, vt huius pacis merito, quæ in præsenti est, illam perpetuam atque perennem, quæ est in futuro, consequamur. Si enim in simplicitate fraternæ pacis ambulabimus, si passiones nobiscum pugnantes rationi subiugando domabimus, in Christo requiescimus, in Christo exultabimus. Ipse est pax nostra. Ipse posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te. Ipse diligentibus pacem propitiabitur ac fauebit, & eosdem cum ad iudicandum venerit, in suum suscipiet consortium cum charitate perpetua atque perfecta, vt impleatur quod dictum est. Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Psal. 84.

De bonitate. Cap, 9.

ET quoniam ex his quę diximus colligitur pacem prodesse omnino nõ posse, nisi bonis, nisi honestis, nisi iustis, & virtuti sanctitatiq; deditis, opportunum videtur de bonitate ipsa nunc disserere. Bonum igitur id esse dicimus, quod iustum ac honestum censetur,

tur, quod'que vt fiat lege diuina iussum est, sic econtrario id esse malum quod turpe, quod iniustum, & à ratione alienum, quod'que fieri cœlesti interdicto prohibitũ apparet. Cætera verò quę neq; vetita neque consulta esse constat, in medio posita sunt, & nec bona nec mala iudicantur, sed si bene vtaris, bona erunt: si malè, mala, vt diuitiæ, & dignitates, & eiusmodi cætera. Si ad multorum vtilitatem te conuerteris proderunt: sin autẽ luxuriæ te libidini'que tradideris, nocebunt: atq; his contraria paupertas iuuabit, si patienter feres, & cõtemptis opibus nihil amplius, quàm quòd sustentandæ vitæ satis est appetes, vt Christo seruias. Offendet autẽ si per impatientiam Deum probro aliquo lacessieris, vel ad furtum rapinam'q; auaras porrexeris manus. Cũcta igitur id genus bona erunt, si admixta illis virtus fuerit, mala verò si adhæserit nequitia. Ad bona autem mala'que diiudicanda sapientum acquiescendum esse consilio ratio admonet. Sed sapientia in quam nullus cadere potest error, Deus est. Diuinis ergo præceptis institutis'que niti, & eorum autoritate de omnibus decernere tutissimum erit. Indicabo tibi ô homo, inquit Micheas propheta, quid sit bonum, & quid dominus requirat à te, vtique facere iudicium & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum deo tuo. Bonam esse ait iustitiam, bonam misericordiam, sed bonorum omnium quæ agimus finem in deo constituendum esse docet. Nã cum omne bonum expetibile sit, & quo melius, eo magis expetendum: nihil autem deo esse potest melius, qui solus cuius'que boni fons & origo est: nihil ergo desiderari, nihil concupisci supra deum debet. Ille itaq; naturæ rationi'que repugnat, & diuinæ refragatur voluntati, qui ea quæ benè agit, alio quàm in deũ dirigit. Quod si omne datum optimum & omne donũ perfectum, de sursum est descendens à patre luminũ,
Iacob. 1. vt Iacobus Apostolus ait, in quem iustius decentius'que

omnes

omnes bonæ animi atque corporis actiones referri potuerunt, quàm in eum à quo sunt? & pro quibus ipse se tibi donat, dicens: Ego sum merces tua magna nimis, id est, summa & vltra quàm nihil habetur expetendum, quaque adepta beati sumus, & propter quam solam studio incumbitur virtutum, vitiaque vitantur. Falluntur igitur illi, qui in virtute hominis beatitudinem collocant cum beatitudo præmium sit virtutis, & nō virtus, qui bona corporis vel fortunæ ei adiungunt, cū omnia caduca fragiliaq; sint, nec per se bona esse queant, Stabile autem bonum beatitudo est & perenne, & perpetuum, cuius adipiscendi gratia etiam aduersa pati, bonum esse dicimus. Et prosperis insolescere malum. contra vitia pugnare bonum, illis verò subiici malū. Virtutum autem armis opus est vt vincamus, & cum his nos munierimus, omnis vincendi spes in deo collocanda erit, Sine me (inquit) nihil potestis facere. Ipsæ quoq; virtutes donum dei sunt, dicēte Apostolo, Quid habes quod non accepisti? Si non accepisti? ora vt accipias. Petenti datur, pulsanti aperietur. Incipe velle, & mereberis accipere. Si acceperis, constanter retine, fideliter operare, vt bono summo, quod in iis quæ præcepta sunt, perseuerantibus datur, dignus inueniaris. Firmus esto in fide, longanimis in spe, ardens in charitate, Sume scutum fidei, in quo possis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Sine fide placere Deo impossibile est. Fides autem sine operibus mortua est. Vtrumque seruemus vt vitæ æternæ spem habere possimus. Quoniam vt Ioannes ait; Si cor nostrum non reprehenderit nos, fidutiam habemus ad DEVM. Vt autem cūcta piè rectéque facta atque cogitata prosint charitate fundata sint, ea absente nulla prodesse poterit virtus, nulla iuuare operatio, & beneficia quæ proximis præstamus, ab illa quàm DEO debemus dilectione proficisci debent. Ista quidem virum bonum efficiunt,

Gene. 15. — 1. Cor. 4. — 1. Ioan. 1.

efficiunt, quem eundem propter futuræ beatitudinis expectationem non incertam beatum appellamus, & hoc edocti à domino, qui ait: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: Beati mites, quoniã ipsi possidebunt terram: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi satiabuntur: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt: Beati pacifici, quoniam filij dei vocabuntur: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorũ est regnum cœlorum: Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Sint ergo in te iste virtutes in terra, vt & nunc spe beatus sis, & postea beatior mercede in cœlo. Audi præterea & Apostolum præcipientem: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Manifesta sunt, inquit, opera carnis, quæ sunt: Fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, cõtentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum dei non consequentur. Ista detestare, & his quæ sequũtur gnauiter te accinge. Fructus autem spiritus ait, est charitas, gaudiũ, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Habes hîc quidem & quæ tibi vitanda sunt ne malus ac miser sis, & quæ expetenda vt bonus beatusque euadas. Vt autem virtutibus affluas benè agendi cupiditas efficiet amorque virtutum. Illas amplecti nihil te impediat: illas deserere nihil te cogat. Mortem minatur tyrannus, sed virtus pollicetur immortalitatem, opes hostis diripit,

Matth. 5.

Gal. 4.

diripit,sed virtus thesaurum suum habet in cœlo, quē neque fur surripere, nec tinea potest corrūpere. Quid quereris de amissione fluxæ atque fragilis rei, & de æterni boni possessione mox capienda non lætaris? Ad illam diu optatam beatitudinem hinc decedens peruenies, tantum vt virtutes tibi sint comites cura, quibus hæc promissa est merces. Beatus es si cum propheta dicere poteris domino: In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis. Nō te pigeat diuinas legere scripturas, audire, discere, & cum didiceris, alios docere, & quod doces, ipse facere. Qui enim docuerit & fecerit sic, magnus vocabitur in regno cœlorum. Diuinorum scientia, omnium quidem scientiarum præstantissima est: percepisse tamen illam nihil proderit, nisi etiam secundum illam viuatur. Sapientissimi Salomonis sententia est: Nihil esse melius quàm lætari in opere suo, & hæc est, inquit, pars hominis. Est enim scriptum: Opera illorum sequuntur illos, & in euāgelio non otiosis, sed operariis datur denarius. Vnde Apostolus: Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Non ergo qui scit, sed qui facit bonum, beatus est. Porrò cum benefeceris, deo gratias age, Ipsius donum est, quicquid boni agimus. Bonam verò actionem, bonorum contemplatio parere solet. Maximi ad virtutem stimuli sunt, quanti ea facienda sint cogitare, per quæ ad summum bonorum peruenitur, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis descendit. Et cum tam immensa, tamque inæstimabilis merces iustis ac virtute præditis viris proposita sit, plurimi semper haberi debet virtus. Beatus est igitur vir, sicut scriptum est, qui in sapientia morabitur, & in iustitia meditabitur, & in sensu cogitabit circunspectionem dei. Ad hanc cōsiderationem & Apostolus nos vocat, dicens: Quæcunque sunt vera, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque

Psal.138.
Eccl.83.
Gal.6.
Ecc'.14.
Phil.4.

cunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Talia enim cogitãdo proficimus, & impletur in nobis quod in psalmo di-

Psal. 83. citur: Ibunt de virtute in virtutem, & videbitur Deus deorum in Sion. Hæ sunt enim mansiones populi Dei, per quas ad terram promissionis itur, & gradus per quos psallendo dei templũ ingredimur, & scala Iacob, per quam de terra sublati ascendimus in cœlum, vt iã manifesto inuisibilis Dei fruamur conspectu, & plenè

Pphil. 3. vereq; beati simus. Ideò Apostolus quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens seipsum, ad destinatum persequitur brauium supernæ vocationis dei in Christo Iesu. Talis est omnis iustus, de quo

Psal. 91. Psamista ait: Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Liba

Proue. 12. ni multiplicabitur, quod & Salomon testatur, dicens: Radix iustorum proficiet.

Quòd bonitas & perfectio donum dei sit. *Cap.* 10.

ETenim proficiendo ad bonitatis iustitiæque culmen peruenient iusti, vt de mundo exeuntes Christum sequantur, & perfectionis iter ingredi inci-

Mat. 19. piant. Si vis, inquit, esse perfectus, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me. Perfectionis est igitur, contemptis diuitiis Christi imitari paupertatem, spretaque inanis gloriæ ambitione, humilitate se deiicere quia & ipse cùm eum regem vellent facere, recusa-

Iohan. 6. uit dicens: Non est regnum meum de hoc mũdo. Et, Nõ

Mar. 10. veni, inquit, ministrari, sed ministrare: & cùm dominus esset, seruum se fecit. Præterea semetipsũ abnegare, & aliorum subdi imperio, consummatæ virtutis est: quia & ipse obediens fuit patri vsque ad mortem crucis. Ad hæc nõ solum amicos, sed etiam inimicos diligere, quia

&

& ipse pro illis, à quibus tormēta patiebatur, orauit. Repudiatis etiam nuptiarũ copulationibus, perpetuã seruare castitatem, quoniam & ipse castus fuit, de casta matre genitus, de casto seruo baptizatus. Postremò pro amore dei nullum laborem recusare, nulla refugere pericula, nullo supplicij necisque genere terreri, omnia prius aduersa perpeti malle quàm dei mandatum prẹuaricari, hoc erit calicem bibere pro Christo, quē prior pro nobis bibit Christus. Qui tamē hoc fecerit, nequaq̃ tamen in eo quod pro Christo sustinet, se gratiã retulisse putet, sed beneficij plus accepisse. Idem enim ille qui pro nobis pati voluit, vt nos ꝑ sui nominis gloria sustinere possimus, prẹstat. Facimus quidem satis cũ obedimus, nulla tamen apud illum imperandi est causa, nisi vt remuneret obediētes, Neque enim nostro obsequio indiget deus, sed nosipsius indigemus iussione: vt cùm hoc quod iussum est impleuerimus, accipere illud quod promissum est, mereamur, tametsi hoc quoque, vt iussa perficere valeamus, eius muneris sit, cuius benignitatis est perficientibus promissa tribuere. Quicquid igitur à nobis exigit dominus, nihil ex eo ipsi accedit cum præstatur, sed nobis duntaxat prodest, qui pro modico bono quod præstamus, bonum illud quod omnem superat taxationem, ab ipso recipimus. Quanto igitur benignior atq; indulgentior dominus, tāto nos ei prōptius perfectiusq; seruiamus, quanquàm penitus perfecti esse non possumus, donec corporis huius onere ꝓmimur. Vnde dictum est: Corpus quod corrũpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et caro pugnat aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnē, hæc sibiinuicē aduersantur, vt nō ea quæ volumus faciamus. Itaque in hac vita sicut proficere, ita & deficere cōtingit, & quemadmodũ peccatores per pœnitentiam sanctificantur, ita sancti per fragilitatem peccant atque delinquunt. Sanctorum Sapiē. 9.

tamen siue iustorum nomen non amittunt illi, qui dũ se peccasse dolent, citò corriguntur. Peccauit Moyses, peccauit Aaron, peccauit Dauid, peccauit Petrus, peccauerunt omnes reliqui discipuli, cum tempore dominicæ mortis à fide defecissent. Solus tamẽ de sanctorũ numero excidit ĩfelix Iudas: quia licet de scelere doleret, de venia tamen desperauit. Cũ igitur nemo tam perfectus sit, quem non aliquando labi contingat, nemo in præsenti potest esse perfectus, nisi pro conditione fragilitatis humanæ, secundum quam dictum est: Estote ꝑfecti sicut & pater vester cœlestis perfectus est, non dixit, quantum ille perfectus est, quod impossibile quidem erat, sed sicut ille, vt pro viribus enitamur ei similes esse in omni bonitate & iustitia & virtute, qui ad similitudinem & imaginem suam nos creauit. Tunc autem plenè perfecti & consummati erimus, cum ablata omni mortalitatis molestia in ipso viuere incipiemus. Nunc enim videmus in ænigmate per speculum, tunc autem facie ad faciem, & sicuti est eum videbimus: quę sola visio efficit nos beatos, atque omni virtute repletos, & iam neque culpæ neque tẽtationi obnoxios, quibus miseriis interim carere omnino non possumus. Dãda tamen est opera, imo omni labore conandũ, ne quãdo in illa peccata quæ ad mortem ducunt, incidamus. Quòd si etiam minima quæque (quantum in nobis est) vitare studuerimus, vel nullus vel rarus admodum ad grauia & quæ mortem afferant, lapsus nobis eueniet.

Mat. 5.

De moderatione virtutum.

Cap. II.

POrrò in exercẽdis colendisque virtutibus ita nos gerere oportet, vt neque ad dexteram neque ad sinistram declinemus: quoniã extrema vitiosa sunt

in

in medio autem est virtus. Ponam, inquit dominus, in pondere iudicium, & iustitiam in mensura. Tu qui te ita institutum compositumque senseris, caue ne qua inanis gloriæ appetitio animum attollat, & quod humilitate congestum est, arrogantia dissipet. Ad exemplum aliorum virtus tua sit exposita semper, non ad iactantiam neque ostentationem, vt tua iustitia (sicut præcipit dominus) in occulto sit conscientiæ tuæ, & tamen ad laudem largitori virtutum deo præstandam, qui te viderint, concitentur. Prouidemus enim bona (vt Apostolus ait) non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, vt videlicet ex conuersatione nostra deum laudent, se corrigant, & vna nobiscum saluētur. Caue etiam nequando inuideas melioribus, Qui enim bonis inuidet, diuinæ benignitati calumniam facit, cum omnis hominum bonitas ex deo sit. Gaudeam⁹ igitur bono alieno æquè ac nostro: & in aliis, sicut etiā in nobis dei beneficia laudemus. Illum verò qui virtutibus nos antecellit, & diligam⁹ corde, & opere imitemur, neque in quo ipse profecit, sed in quo nos defecimus, doleamus. Si autem contigerit nosipsos ab aliis pati inuidiam, huiusce rei causam discussa animi nostri conscientia, inquiramus: & si hoc nostra culpa fieri cognouerimus, emendemus: sin aliena, æquo animo feramus. Vsu enim venire solet, vt malis odio boni sint, arrogantibus mites, casti incontinentibus, impiis religiosi. Veruntamen si deo placuerimus, nihil nobis nocere poterunt hominum iniustæ persecutiones. Quinimò beati sunt, qui persecutiones tolerant propter iustitiā. Abel à fratre ob inuidiam occiditur: Et eidem liuor in Iosephum innocentem fratres compulit sæuire. Armauit & Saulem inuidia aduersus Dauidem, reges iniquos aduersus dei seruos prophetas, & communem humani generis inimicum aduersus Iob iustissimum incitauit: horum autem si finem consideres, fatearis necesse est,

Isaiæ. 28.

Roma. 12.

Abel.

Ioseph.

Dauid.

Io b.

Apoſtoli.
Martyr.

nō ipſis nocuiſſe mala quæ paſſi ſũt, ſed profuiſſe. Ideò quippe & Apoſtoli gaudebant in contumeliis pro nomine Ieſu ſuſceptis. Gaudebant & ſancti martyres pro veritate ſuppliciis affecti, quoniam per ea deum ſe magis demereri ſciebant: Intrepidi igitur iugula perſecutoribus ferienda porrexerunt, vt fidem domino integrè ſeruatā ſanguis eius effuſus teſtaretur, & virtus nullo ſuperata tormento, præmia caperet felicitatis æternæ. Nihil igitur nocere poteſt viro iuſto, nec miſer eſt quem iam beatificauit ſpes glorię cœleſtis merito virtutum. Memento præterea vt in omnibus prudentiam obſerues: præterita recordare, præſentia diſpone, futura cogita. Tũc enim quos in aliquo crimine lapſos fuiſſe recoles, eorum caſus te in via vitę cautiorem reddet. Quos autem rectè incedere conſpicies, eorum conſideratio magis te ad amplectendam accēdet virtutem, Futurorum verò memoria & terrebit te minis mortis æternæ ne pecces & hortabitur vitæ perennis pollicitationibus, vt in bonis actibus perſeueres, nullo labore defatigatus, nullo impeditus præſentium incommodorũ periculo, omnia dura atque áſpera vincens animi prōptitudine, dum ad ſummum bonorum peruenire contendis. Et hoc quidem erit, non modo prudenter viuere, verumetiam iuſtè atque conſtanter. Quoniam iuſtitiæ partes ſunt inhoneſta reſpuere, recta diligere, de omnibus diiudicare, vnicuiq; rei congrua diſtribuere: Conſtantiæ autem ab officio non diſcedere, nec aduerſis deiici, nec proſperis efferri, in omni rerum euentu æquabilem ſe prẹſtare, pro religionis aſſertione impiorum potentiam nihil vereri, & à vita prius quàm à fide recedere. In omni autem colenda conſeruandáque virtute, non philoſophorum opinionibus niti debes, ſed ſanctarum autoritati inhærere ſcripturarum. Qua confirmatus, intelliges contra Stoicorum ſententiam, poſſe alium alia virtute magis excellere, neque neceſſe

eſſe,

esse, vt qui vnam habuerit, eum habere omnes. In Abel ante omnia quę in illo erant, laudatur simplicitas, in Enoch munditia, in Noë longanimitas, in Abrahā obedientia, in Isaac pudicitia, in Iacob laboris toleratio, in Ioseph pro iniuria beneficij repensio, in Moyse mãsuetudo, in Iosue de dei promissiōe fidutia, in Iob inuicta calamitatum patientia, in Dauidæ vindictæ abstinentia, in Salomone sapientia, in prophetis ad arguendos reges animi magnitudo. Inter apostolos quoq; eminuit, in Petro erga dominum pietas, in Iohanne puritas, in Paulo charitas, in omnibus veritatis prædicādæ studium, patientiaque persecutionum. Et cùm ita sit, tollitur omnino illa necessitas omnium pariter habitarum virtutum vna habita, parilitasque cunctarum. Quæ si esset, nemo magis ista quàm illa virtute prępstare potuisset, neque prorsus omnes nihil prodesse sine charitate Paulus diceret, si nulla earum carere charitate potuisset, & si pares essent, quomodo staret illud, quod idem ait, Fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas. In eadem quoque virtute aliū magis, alium minus proficere nouimus: alium alio meliorem, sanctiorem, iustiorem, perfectioremque esse: & stellam à stella differre in claritate, atque inter beatos etiam diuersitatem esse meritorum. Gradus igitur perfectionis sunt, vt qui in infimo versantur, non desperent de medio, & qui medium attingunt, non diffidāt de summo, quem si apprehendere nequiuerint, locum tamen suum non deserant, & eo innocentiæ statu quem acceperunt contenti, deo gratias agant, multumque se profecisse arbitrentur, si retrorsum non recesserint. Quamdiu erunt arbor bona, bonos facient fructus, iustitiam conseruabunt, deum & proximos diligent, nemini nocebunt, prodesse omnibus cupient, vnaquaque virtute proficere studebunt. Pręclarè nobiscū actū erit si talia præstabim⁹. Veruntamē si cūcta quę memora-

Abel, Enoch. Noë. Abraham. Isaac. Iacob. Moyses. Iosue. Iob. Dauid. Silomon. Prophetæ. Petrus. Ioannes. Paulus.

ta sunt, deo donante præstiterimus, omnesque bonitatis ac sanctimoniæ numeros impleuerimus, fragilitatis humanæ memores semper simus, dicẽte Apostolo: Qui stat, videat ne cadat. Non enim propriis viribus confidendum, sed omnis benè agendi beneque perseuerandi fiducia in deo sita sit, sine quo ne cogitare quidem quod bonum est, nostra valet imbecillitas. Animum autem ita vt exposuimus institutum atque compositum quæ commoda sequantur, quis æstimet? non est tamen silentio prætermittendum, quod scriptura docente didicimus.

De fructibus bonitatis. Cap. 12.

PRimum quidem iustorum preces exaudiri, & eorum merito in impios quoque vindictam differri sacræ historiæ veritas fidem facit. Oranti Abra-
Gene.18. hæ ne pereat iustus cũ impio in euersione futura Sodomorum respondit dominus, parsurum se vrbi, si in ea decem tantummodo iusti fuissent inuenti. Benè itaque cum illa ciuitate agitur, in qua sanctorum cõuentus aliquis habetur. Quandoquidem ita illis fauet deus, vt in ipsorum gratiam peccatoribus quoq; & iniustis ignoscat. Ne autem iustus cum scelestis vno rapiatur interi-
Gene.19. tu, Loth solus multæ in deũ pietatis vir ab angelo monitus inde egreditur, & Sodoma Gomorrhaque igne de cœlo pluente delentur. Segoro oppidulo quod ille ingressus est vt ibi se cum suis saluaret, pepercit deus, in hoc quoque ostendens quanti sit apud se vel vnius iusti meritum atque gratia. Quæ res etiam in Noë cum vxore & liberis nuribusque seruato clarè apparuit. Iu-
Gene.20. sti quippe in arca saluati sunt, iniusti omnes diluuio perierunt. Præter hæc Abrahamo orante steriles fœminæ
Exod.27. pepererunt. Moyse orante plagæ Aegypti cessabant,
Num.14.16. inimici

inimici victi sunt, diuina in plebem ira placata est. Illo &c.21.
iubente orauit Aaron, & incendium quo populus inuoluebatur, cessauit. Eiusdem Moysi preces iis qui serpentum ictibus disperibant, remedio fuere. Elia depre- 2.Reg.17. Iac.5.
cante ne plueret, suspensus fuit cœli humor per annos 3.Reg.14.
tres cum dimidio. Quo rursum vt plueret orante, cœlum dedit pluuiam & terra fructum, Idem in Serepta viduæ paupérculæ nihil habenti, farinæ oleique copiã non largitione, sed oratione contulit, filiumque eius mortuum ad vitam reuocauit. Quid adhuc? Fluminis 4.Reg.2.
cursum stare fecit, donec diuisis aquis ad vlteriorem 4.Reg.4.
ripam per siccum transiret. Elisei oratione aqua potu Ibidem.
noxia salubritatem recepit, terra sterilis fœcunditatẽ, Ibidem.
vidua Samaritana cum inopia laboraret, oleo abundauit. Ibidem.
In Suna ciuitate mulier, apud quem ille hospitabatur, diu sterilis filium suscepit, & cum deinde hunc ipsum filium morte sibi sublatum fleret, mox ab eo vitæ restitutum vidit. Item Elisæus cum orasset, pulmentũ amarum in dulcorem conuertit. Centum hominum turbam, viginti panibus satiauit. Leprosum Naaman 4.Reg.6.
sanum fecit. Ferream securim in fluuium delapsam e- Ibidem
natare in ligni modum compulit. Ab inimicorum obsidione non virium, sed precum virtute se expediuit, 4.Reg.13.
ac ne in morte quidem miraculi caruit: mortuus mortuum hominem tactu solo suscitauit, & qui iam in corpore non viuebat, alterum viuificare meruit. Quid multa? Diuini homines adhuc in terra degentes cœ- Iosu.10.
lo imperant. Sol & luna ad orationem Iosue ducis cursum suum frenare coacti sunt, donec ille hostem persecutus vlcisceretur. Et si cœlestia sanctis tuis domine seruiunt, quantomagis terrena? Non immerito igitur tibi seruiendo regnant, tibi famulando dominantur. Apostoli tui domine desperatas hominum ægritu- Apost.
dines curauerunt, mortuis vitam reddiderũt, dæmonia de obsessis corporibus eiecerunt. Ac ne solis illis hoc

da

datũ crederemus, eadem post illos miracula per sanctos tuos factitata verè fideliter'que referuntur. Ex quo satis patet, quãtum diligentes te diligas, cum per eos tuã potentiam tuam'que bonitatem mundo manifestes. Petrus Dorcam, Ioannes Drusianam, Matthæus Aegypti regis filium, Paulus Euthicum à morte ad vitam suscitarunt. Quæ terrena potestas, quæ naturæ vis efficere hoc potuisset: quod electi tui domine te præstante potuerunt? Per te igitur & regibus terræ & populorũ dominis plus possunt. Ipsi itaque & reges sunt, & plusq̃ reges. dij videlicet, quorum deorum tu Deus es. De his quippe Apostolus ait: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta. Verè enim rex est, qui imperat passionibus, & verè deus est, per quẽ summus deus ea quæ supra naturam sunt, operatur: vnde ad Moysen dixit dominus: Ecce constitui te deum Pharaonis: vtpote superaturum magos Pharaonis prodigiorum operatione, & fideles de seruitutis iugo liberaturum in manu forti & robusta, de Aegypto'que educturum, & quoniam in iisdem elucet gloria tua quàm & moribus ostẽdunt & sermonibus declarãt, modo cœli, modo nubes, modo stellæ in scripturis nominantur. De illis nanque dictum intelligimus, Annunciauerunt cœli iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit dominus. Ad illos pertinere sentimus quod legitur: Veritas tua vsque ad nubes. Illis conuenire non ambigimus, quod Apostolus ait: Stella à stella differt in claritate. Iidem etiam arborum florum'que nomina sortiti sunt, montium quoque & lapidum & liquentium aquarum. Arbor bona est, qui cum psalmista dicere potest. Ego autem sicut oliua fructifera in domo dei. Flos est cui conuenit quod in Osee propheta est dictum: Israël germinabit quasi lilium. Mons est qui iustitiæ meritis erigitur ac sublimatur, vt sustẽtaculum ecclesiæ esse videri possit, de qua dictum est: Fundamenta eius in montibus sanctis

Petrus. Iohannes. Matthæus. Paulus.

1.Pet.2.

Exod. 7.

Psalmo.31.

Psal.:5.

2.Cor.25.

Psal.51.

Osee.14.

Qui enim confidit in domino ficut mons Sion non mo uebitur in æternum, montes in circuitu eius, & dominus in circuitu populi sui. Lapides etiam sunt quibus dei ciuitas construitur, dicente Apostolo Petro: Si gustatis quoniam dulcis est dominus, ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum à deo autem electum & honorificatum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini domos spiritales in sacerdotium sanctum, offerentes spiritales hostias acceptabiles deo per Iesum Christum. Hos & Apostolus Paulus dicit superædificatos supra fundamentum Apostolorum & prophetarum, ipso angulari lapide, Christo Iesu domino nostro, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum Dei. De quo sanè templo psalmista ad dominum ait: Tu exurgens misereberis Sion, quia venit tempus miserendi eius, quia venit tempus: quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius. Placet dei famulis isti ecclesiæ lapides, cum vitam ipsorũ imitando ad eorum perfectionem nituntur peruenire. Iidẽ sicuti montes per virtutum altitudinem nuncupantur, ita & flumina propter doctrinæ inundationem copiáque affluentem. Plenissimè enim viam veritatis docet, quàm viam ipsi terendo iudicis aduentum præstolantur securi. Vnde dicitur: Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt in conspectu domini quoniam venit iudicare terram. Neque enim de insensibilibus intelligi potest manuum plausus, aut lætitiæ exultatio. Qui autem euãgelio credit, ei promittitur quod de ventre eius flumina fluent aquæ viuæ. Et in diuersis diuersæ effulgent virtutes vt decentius cultiúsque ecclesiam Christi sponsam exornent, cui quidem ipse sponsus per Ezechielem: Vestiui te, inquit, discoloribus, & de qua ad sponsam psalmista ait: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate. Alij quippe datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ

Psal. 86. Psal. 124. 1. Pet. 2. Ephe. 2. Psal. 101. Psal. 97. Iohan. 7. Eze. 16. Psal. 44. 1. Cor. 12.

ſcientiæ, alij fides, alij gratia ſanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij gratia linguarum, alij interpretatio ſermonum, hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Ex his autem efficitur corpus Chriſti, hic nempè manus, ille pes, alius oculus, aliud membrum, corpus verò vnum quibus dicitur, Vos eſtis corpus Chriſti & membra de membro. Atque membra iſta nota quidem deo ſunt, quia fortia & robuſta, quia ſapientia, quia plurimi æſtimanda. Ea ipſe cognóſcere ſe dicit, quæ ſua notione digna ſunt, quǽque in ſuo manent corpore, ea verò ignorare quæ extra eccleſiam

Amos. ſunt, & per peccatum ab ipſa ſeſe alienarunt. Hoc Amos propheta teſtatur cum ait, Audite verbũ quod locutus eſt dominus ſuper vos filij Iſraël, & ſuper omnem cognationem quam eduxit de terra Aegypti dicens: Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ. Notus enim deus tantum in Iudæa erat, cætera im-

Pſal.16. pietas nequitia poſſederat, his in euangelio ait, Recedite à me operarij iniquitatis, neſcio vos. De iuſtis autẽ in pſalmo eſt dictum, Nouit dominus vias immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit. Porrò immaculati ſunt qui cupiditatibus repugnãt, ne domino

Iudi.3. peccent, de quibus in Delboræ cantico dicitur: Iuſti cõfortati ſunt in Iſraël, vt videlicet ſuperent aduerſarias poteſtates victoriáque potiantur. Idem dona quoque

Eccle.2. ſapientiæ & ſcientiæ accipere merentur, Eccleſiaſte dicente: Homini bono in conſpectu ſuo dedit deus ſapientiam & ſcientiam & lætitiam, quæ nequaquam conſe-

Pſal.115. qui potuiſſent, niſi à domino diligerentur, & apud eũ in precio forent. Vnde dictum eſt: Precioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius, non eſſet eorum mors precioſa, niſi præceſſiſſet vita ſancta. Ob quam quidem etiam filij Dei effici merentur, & domus in qua ha-

1.Iohan.2. bitet deus. Quod filij dei fiant, Ioannes in epiſtola te-

ſtatur

ſtatur dicens: Si ſcitis quoniam iuſtus eſt deus, ſcitote & omnis qui facit iuſtitiam ex ipſo natus eſt. Idem in euã gelio: Quotquot autem receperunt eum dedit eis po- Ioan. 1.
teſtatem filios dei fieri, qui non ex ſanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, ſed ex deo nati ſunt. Quod pręterea domus dei ſint Apoſtolus Pau lus Corinthios inſtruens declarat, cũ ait: Neſcitis quia 1. Cor. 3.
templum dei eſtis & ſpiritus dei habitat in vobis? Et 1. Cor. 6.
iterum: An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt ſpiritusſancti, qui in vobis eſt? Et cum non modo intra ſe deum habitantem habeant, verum etiam ipſi in deo habitent, hoc eſt in templo non manufacto neque huius creationis. Inter vaſa quoque templi com- 1. Tim. 2.
putantur, ex his Paulus vas electionis appellatus eſt, portans nomen domini in gentibus & ipſe in domino permanens. Cæteri etiam Apoſtoli apoſtolici'que viri vaſa electa fuere, vaſa magnæ domus, alij quidem au- Iſaiæ, 58.
rea, alij verò argentea. Ad quos propheta: Mundamini, inquit, qui fertis vaſa domini. Neque poterit eſſe vas domini, qui ab omnibus nequitiæ ſordibus non fuerit emundatus. Etenim peccator quoque vas eſt, ſed in con tumeliã factum, non in honorem, vas non dei ſed diaboli. Quiſquis igitur & ſpiritusſancti habitaculum, & vas Dei ſanctificatum atque vtile eſſe deſideras, viam derelinque vitiorum, ac per virtutum ſemitam greſſ⁹ tuos dirige, ab otio atque voluptatibus diſcede, & ad cœlum aſcendendi labori ac ſolicitudini te quamprimum accinge, vt pro iuſtitiæ fidei'que operibus mercedem capere mereare ſempiternam, & tandem in illo, pro cuius amore te exercueris feliciter conquieſcas.

De præmio iuſtorum. *Cap.* 13.

Etenim

ETenim si iustitia pietateque præditi homines ab omnipotenti deo tot tantisque bonis afficiantur in terra, quanto magis in cœlo? vbi ęternum eis ipse constituit habitaculum, vbi sedem perfectæ consummatæque beatitudinis esse voluit. De qua in Prouerbiis dicitur: Habitacula iustorum benedicentur. Et in Psalmo: Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Cum que ita sit, illi proculdubio qui illuc trãsferentur ppetuò benedicti ac beati erunt, gaudentes in conspectu dei semper, iam salutem cõsecuti nulli prorsus iniuriæ obnoxiam, nullius solicitudinis participem, bonorum omnium plenam atque confertam. Idcircò Psalmista ait: Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorũ. Idem alibi: Gaudebunt campi & omnia quæ in eis sũt. Tũc exultabunt omnia ligna syluarum à facie domini, quoniam venit iudicare terram. Tunc enim iusti rapientur ab angelis obuiam Christo, & ad partem dextram collocati cum ipso ad cęleste regnum transmigrabunt, ipso Christo domino dicente: Venite benedicti patris mei, percipite regnum à constitutione mũdi vobis paratum, qui & in peregrinos hospitales, & in egenos liberales, & in afflictos fuistis misericordes, accipite tandem pro modicis magna, pro terrenis cœlestia, ꝑ breuibus sempiterna. Hęc igitur erit benedictio illa, de qua Salomon ait: Benedictio domini super caput iusti. Quam rem latius quidem explicat Psalmista, dicens: Quis ascendet in montem domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Et respõdet: Innocẽs manibus & mundo corde, id est, qui nec actionis improbæ, nec cogitationis malignæ vitio fuerit pollutꝰ. Deinde sequitur: Qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo, hoc est, qui post vanitates & insanias huiꝰ mundi non abiit, ne quenquàm verbis ad fraudem cõpositis decipere est conatus. Hic, inquit, accipiet benedictionem à domino, & misericordiam à deo salutari suo.

Proue.3. Psalm.45. Psal.117. Psal.95. Mat.25. Prouer.10. Psal.23.

Non

Non enim ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos (ait Apostolus) sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Iustitia quidem idoneos reddit ad promerendã gratiam, sed profectò nisi Christi domini merita accessissent, beatitudinis donum accipere nemo dignus esset. Vnde & in psalmo est dictum: Salus iustorum à domino. Nemo igitur suis meritis arroget, quod diuinæ est liberalitatis, nec elatione amittat, quod in humilitate sperauit. Iustus quia in omnibus se submittit, à domino sublimatur, iuxta illud Ecclesiastici: Qui operatur iustitiam, ipse exaltabitur. Non solum autem se submittit qui iustus est, sed etiam omni proficit probitate, vitiáque deuitat. Sic enim in Isaia legitur: Qui ambulat in iustitiis & loquitur veritatem, qui proiicit auaritiã ex calũnia, & excutit man⁹ suas ab oĩ munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinẽ, & claudit oculos suos ne videat malum, iste in excelsis habitabit. Igitur qui in his non ambulat, non est iustus, & qui non est iustus, habitare in excelsis non poterit. Iustum autem per eũdem prophetam consolatur dominus, & promissis remunerationis allicit, dicens: Dicite iusto quoniam benè, quoniam fructum adinuẽtionum suarum comedet. Porrò iustorum remuneratio quid est aliud, nisi æterna beatitudo? Beati, inquit propheta, qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam omni tẽpore. Et alibi: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini. Et in euangelio: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Hi enim pro operibus iustitiæ replebuntur bonis felicitatis æternæ, & ipsa virtutum esuries & sitis refici merebitur dapibus gloriæ cœlestis, dicente propheta: Iusti epulentur & exultent in conspectu dei, & delectentur in lætitia. Illustrabuntur insuper ex diuina visione, & animæ beatificatæ decor redundabit in corpore ĩmortali atq; incorruptibili, dicẽte saluatore. Tũc iusti fulgebũt sicut sol ĩ regnó patris

Titum. 3. Psal. 36. Eccle. 20. Isaiæ. 33. Isaiæ. 3. Psal. 105. Psal. 118. Psal. 67. Matth. 13.

patris eorum. Cæterũ, ne pluribus immoremur in singulis, nemo est qui vel fando explicare, vel cogitando queat comprehendere, quanta siue qualis iustorum in
1.Cor.2. cœlesti regno sit merces, hoc tibi testatur Apostolus, dicens. Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quàm grandè bonum sit, quod deus ipse suis dilectoribus possidendum fruendum'que præparauit. Audiamus igitur (si tale bonum consequi cupimus)
1.Pet.1. Petrum Apostolum exhortantẽ: Succincti, inquit, lumbos mentis vestræ, sobrij ac perfecti spectate in eã, quæ offertur vobis gratiam, in reuelatione Iesu Christi, quasi filij obediētiæ, non cõfigurati prioribus ignorantiæ vestræ desiderijs, secundum eum qui vocauit vos sanctum, vt & ipsi in omni conuersatione sancti sitis. Tanti est ergo facienda piè sancte'que viuendi virtus, quanti ipsa virtutis merces, quæ est summum hominis bonum, ad quod per hanc quidem virtutem peruenitur. Tales igitur simus, qualibus ista quæ dicta sũt, conferri credimus.

De peccatis principalibus per septem lepræ genera significatis.

Cap. 14.

POrrò bonitatem ipsam magis ac magis expetem⁹, cum peccati quoque mala cõsiderauerimus. Quicquid legi diuinæ aduersatur, quicquid virtutibus contrarium est, rationi'que repugnans, peccatum est, inter peccatum & delictum quidam discernunt, delictum'que leuius esse aiunt, Id enim delictum dici, cum non facimus quod debemus: peccatum verò, cum committimus quod non debemus, in illo boni omissionem esse, in hoc perpetrationem mali. Vtroque tamen vo-

cabulo

cabulo scriptura pluribus in locis indifferenter indistinctéque vtitur. Cæterũ nõ parua inter se peccatorũ discrimina sunt, cum aliud alio longè grauius sit detestabiléque magis vel diuersi generis atque cõditionis. Peccatum in lege veteri per lepram significari nouimus, & sicut variæ ibi leprarum species notantur, ita varia esse peccata manifestum est. Colore habitúque diiudicãtur lepræ, sic peccata specie atque pondere. Nõ incongruè igitur ipsa septem capitalia vitia, septem generibus lepræ nunc comparare conabimur. Prima quidem lepra describitur coloris albi in cute carnis viuæ, cum capillorum aspectu mutato. Albedo ista pallor inuidiæ est. Inuidus de alieno bono dolens, liuidam præse fert faciem: dúmque malè affecti animi stimulis agitur & inquietatur, in carne viua vitium esse dicitur, tunc autem & capillus mutatur, cum relicto rationis cõsilio, cuius in capite sedes est, prauæ cupidinis affectum sequimur. Nihil autẽ nequius, quàm quos imitari debemus, eis inuidere velle. Alterũ lepræ genus florere dicitur, ac totum quippe corpus à capite vsque ad pedes occupare, quæ tamen munda esse putatur, nisi caro viua apparuerit. Hanc equidem mentis torporem esse reor, & ad persoluenda quæ tenemur otiositatem atque ex tædio neglectum, quod vitium acediam appellant. Ea sanè totum hominem possidet, dum mollem penitus & effœminatum reddit. Munda autẽ est, nisi caro viua apparuerit: quia vitium istud nec stultis, in quibus ratio mortua est, imputatur: nec mala valetudine affectis, quorum bona voluntas morbo impedita est corporis. Tertia lepræ species, hulcus est in carne natum & sanatum, & in loco hulceris cicatrix alba siue subrufa, & carne reliqua humilior pressiórque, pili etiam in cãdorem versi. Hulcus in carne auaritiam esse existimo, cuius vulnus tunc obductum videtur, cum auarus adeptus est quod concupierat. Cæterùm quia nec adepto

Leui. 13. Inuidia. Acedia. Auaritia.

ſatiatur, nōdum ſanatum vulnus cicatrix inæqualis ac diſcolor oſtendit. Et quoniam ille nulla copia contentus, in ſuperfluis parandis cumulandiſque laborat ſemper, pilos habere dicitur, qui ſunt ſuperflua corporis, cicatrix autem alba, delectationem in acquirendo indicat, rufa ardorem in concupiſcendo. Quartum lepræ genus dicitur caro & cutis igne aduſta & ſanata, ſed & ipſa cicatricem habens albam ſiue rufam, reliqua cute humiliorem, pilorum colore mutato, atque

Fornicatio. in cicatricis cute lepra excreſcēte. Quid eſt lepra iſta, niſi libidinis igne ſuccenſa appetitio? quæ tūc quidē ſanatur, quando vel explet legitimo matrimonio auiditatem, vel coërcet excolendæ caſtitatis gratia. Sed ſi priſtinæ voluptatis recordatio labefacere ac mutare cœperit propoſitum, nec iam meretricari erubuerim⁹, cicatrix ſuſcepit inæqualitatem cutis, & coloris pilorumque mutationem. Conuerſa eſt enim in candorem carnalis delectationis, & in rubedinem inflāmatæ auiditatis, & in lepram excreſcētem, eo quòd frequenti vſu nō ſatiatur turpis libido, ſed magis accēditur. Quintum genus lepræ capitis eſt & barbæ in viro & muliere: cum locus humilior fuerit reliqua carne, & capillus flauus ſolitoque ſubtilior, lepra, inquit, capitis &

Gula. barbæ eſt. Caput & barba gulę contigua ſunt, non ineptè igitur lepram hanc ad crapulæ vitium referemus. Quoties per ingluuiem impotes rationis facti fuerim⁹, & iam nec lingua ſuum implere officium valuerit, capitis ac barbæ lepra erit, non capitis & barbæ Aaron, in quibus eſt benedictionis diuinæ vnguentum, ſed capitis & barbæ eorum, quibus manna faſtidio eſt, & Aegyptiæ carnes voluptati. Capillus autem flauus, qui meretricibus conuenit, guloſorum impudentiam deſignat, quorum temeritati nihil obſtat, quin ſemper obſcœnum ac turpè aliquid aut dicant aut faciant. Tunc verò extenuatur capillus, cum bona animi per luxurā

con

ſumuntur. Locus autem lepræ vbique humilior prædicatur, quia in ea parte virtus animę deprimitur, in qua peccatur, non in qua non peccatur, poteſt enim fieri, vt aliquis partim virtutibus præſtet, partim alicui vitio deditus ſit. Sexta lepra caluitij eſt. Si in caluitio, inquit, vel recaluatiōe albus vel rufus color fuerit exortus, & hoc ſacerdos viderit, condemnabit eum haud dubiè lepræ, quæ orta eſt in caluitio. Quoniam caluitium ſumma capitis occupat, per hoc ſuperbiæ elationem ſignari reor. Semper ſe ſupra ſe erigit ſuperbus, inani tumet gloria, pares contemnit. Cum de animi bonis inaniter ſeſe iactat, albus color eſt in vertice: cū de bonis corporeis atquæ fortunæ gloriatur, rubedo quę corporeis conuenit, ſedet in capitę. Et quia caput caluitio deforme ſit, vtpote capillorum ornamento vacuum, innuit nobis, nihil eſſe honeſto viro indecentius, quàm inanis ac ſuperba ſuimet iactatio. Septima verò ac ſuprema iſtarum, quæ in Leuitico ſimul tractantur, lepra, non hominis eſſe dicitur, ſed veſtimenti. Veſtis linea, inquit, ſiue lanea, quæ lepram habuerit in ſtamine atque ſub tegmine, aut certè pellis, vel quicquid ex pelle confectum eſt, ſi alba vel rufa macula fuerit, infecta lepra reputabitur. Demus hanc ſi libet, quod reliquum eſt, iracundiæ vitio. Cùm enim nulla animi paſſio ita hominem infatuat atque dementat vt iracundia, meritò lepra iſta non hominis eſt, ſed veſtis, hoc eſt, eius qui nihil in ſe hominis habet præter figuram, quique veſtimentum hominis dici potius debet quàm homo. Qui citò iraſcitur, leuis eſt vt linum: qui citò placatur, mollis vt lana, qui immaniter furit, veſtis ex pelle ferina eſt. Homo enim cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis: Lepra hæc in ſtamine eſt & ſubtegmine, quia iracundus & intus furore æſtuat, & foris petulanti ore rixatur. Quoniam

Superbia.

Ira.

autem vbique color albus ac rufus lepræ tribuitur, quæri poteſt, quomodo albedo peccato conueniat. cùm præſertim eccleſia in Canticis nigram ſe prius fuiſſe fateatur cum erraret, deinde formoſam, cũ credens Chriſto ſponſo iuncta eſſet, qua ratione igitur lepra candida eſt vel rufa? Sed quia vel tegimus peccata, vel oſtẽtamꝰ ideò arbitror lepram candidam hypocritarum eſſe ſepulchris ſimilium dealbatis. Rufam verò lepram illos habere, qui manifeſto & ſub multorum conſpectu erubeſcenda committere non verentur. Denique ſaluatori, qui peccata noſtra tulit, dicitur: Quare rubrum eſt indumentum tuum? Præterea fit plerunque vt cùm in peccato deprehendimur, ora inficiat rubor, dum accuſari magis quàm peccare pudet. Quare etiam locus lepræ humilior eſt quàm cætera quæ ſana ſunt? quia peccatum ad terram animã premit, humi'que allidit. Vnde & labi atque cadere dicitur, qui peccat: ſtare verò & rectus eſſe, qui non peccat. Humilem itaque lepræ locum grauitas peccati facit atque pondus, de quo Dauid lamentabatur, dicens: Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Non eſt huius loci de hoſtiis quoque & expiationibus lepræ diſſerere, ſatis ſit generatim iſta breuiter'que perſtrinxiſſe. Nec tamen omittemus illud quoque lepræ genus obiter attingere, quod poſt aliqua ſeorſum deſcribitur, vt maius aliquid inuat, quàm quòd cum illis quę ſimul enumerata ſunt, commune ſit. Lepra hæc domus eſt habentis in parietibus valliculas pallore ſiue rubore deformes, humiliores'que ſuperficie reliqua. Domus iſta eccleſia Chriſti eſt, hæc maculas patitur, dum hęreticorum fallacibus argumentis impugnatur, pallor & rubor ĩ maculis eſt, quia hi quidem fidelibus inuidendo liuent, atque iraſcendo inflãmantur, ſed veritate victi, eiſdem tandem cedunt, atq; ita reliquis orthodoxis inferiores inueniuntur. Rectè itaq;

Color albus

Color rufus

Quare locus lepræ humilior.

Pſal. 37.

Hæretici.

itaque sacerdos lapides, in quibus orta est lepra, erui ac proiici iubet, & parietes radi, vt omni prorsus ablata errorum spurcitia, nec maculam habeat Christi sponsa nec rugam. Non ante pullulare cœperunt hæreses, quàm disseminatum est Euangeliũ: nec ante lepra hæc iussa est obseruari caueríque, quàm filij Israël terram ingressi fuerunt promissionis. Porrò si cui nostra leprarum expositio duriuscula fortasse videbitur & extorta, sequatur alios, qui in ipsis enodandis magis sibi placuerint, dũmodo sciat omnes in hoc conuenire, vel lepram peccatum esse asserant. Ergo huiusce morbi vi fœditatéque perspecta cogita, quanta peccati, quo dei comparatur, deformitas, qualis pernicies sit. Sicut enim lepra, totius corporis pulchritudinem demolitur, ita omnem animæ decorem corrumpit peccatum, atque hoc solũ malum est, quo illa lædi perireque possit. Nunc tandẽ vnde digressi sumus, eo reuertamur, vt aliam quoque peccatorum differentiam explicemus, ac postremò quæ ex illis incommoda nobis oriantur, inquiramus. Lucæ.14.

De peccatorum differentia. Cap. 15.

QVædam peccata ita leuia sunt ac minuta, vt his carere omnino non possimus, & quia veniam facilè impetrent, à nonnullis venialia nuncupantur. Hæc quidem à regno dei non excludunt, aditum tamen ad illud nobis tam diu impediũt, donec expientur. Nihil enim inquinatum illuc intrabit. Sed nunc de illis duntaxat nobis erit sermo, quæ mortifera sunt, quæque vitari & debent quidem & possunt, aut si cõmissa fuerint, pœnitentiæ doloribus extenuari purgaríque, alioqui ad æternum interitum cõpellent non pœnitentem, tanto acrius puniendum, quãto delinquẽdo ab æquitate recessit longius. Etenim ex his quoque

quæ perniciosa sunt, aliud alio execrabilius iudicatur, ac proinde maiore dignum supplicio pœnaq; acerbiore mulctandum. Quodcũque autem peccatum leuiorũ modũ excesserit, mortiferũ erit, ideo in scripturis dicitur peccatũ ad mortẽ: nõ ad mortẽ hãc omnibus cõmunem, sed ad illam quæ propria damnatorũ est, quæ vtique illos quos inuadit, nõ perimit, sed quo nihil est terrius, nunquam morituros æternis cruciatib⁹ torquet, doloreque afficit omni morte magis expauescẽdo. Porrò ex hac delictorum specie illud maximum esse creditur, quod blasphemia in spiritum sanctũ in Euangelio nominatur. Huius criminis à domino saluatore coarguti sunt Iudæi, cum dixissent eum in Beelzebub, nõ in dei virtute eiicere dæmonia. Patet ergo, peccatum in spiritum sanctum tunc perpetrari, cum quis dei opera aliis tribuit, non errore deceptus sed inuidiæ stimulis actus, vt dei laudẽ sua procacitate obscuret. Quicũq;, inquit, dixerit verbũ cõtra filiũ hominis, remittetur ei: qui autẽ dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei neq; in hoc seculo, neque in futuro. In filiũ hominis peccat, qui opinione falsus, Christum purum hominem putat; quæ quidem culpa, quia ex ignoratione est profecta, ad credulitatem conuerso atque correcto protinus condonatur. Si quis verò apertè opera dei intelligens virtutem calumniatur, dum religioni nostræ inuidet, & quæ per spiritum sanctum facta sunt, impiè ad diaboli potestatem refert, huius culpa irremiscibilis decernitur. Non quia pœnitẽtibus aliquid nõ remittatur, sed quod sic peccanti, ad pœnitentiam conuertẽdi se facultas denegatur, veluti indigno dei gratia, qui sciens ac prudens deo ausus sit aduersari, & iam cognitam sibi veritatem linguæ petulantia polluere, tantoq; se sacrilegio spõte astringi. Illos quoque in inferno magis plectẽdos credimus, qui credentes, Euangelicisq; instructi doctrinis delinquũt, q̃ qui mãdatorũ dei ignari

Mat. 13. Peccatũ in spiritũ sanctum.

pec-

peccant, quod testatur saluator, dicens: Seruus, qui scit voluntatem domini & non fecit, vapulabit multis, qui autem ignorauit & non facit, vapulabit paucis. Quis præterea negauerit maius esse peccatū eorum, qui sub Euangelio sunt, quàm qui olim sub lege erant? Quis enim nescit eum magis teneri, qui iam accepit beneficium, quàm qui promissum adhuc spectat? Illud autem quod ab Israëlitis multo tempore fuerit speratum, nobis in aduentu Christi est persolutum. Tanto igitur plus ingratitudinis cōmittimus mādatis domini nō obtēperādo, quanto plus accepimus gratiæ. Ex his quæ dicta sunt, liquido apparet, inter peccata quæ ad mortē committi dicuntur, aliud alio maius esse, plusque pœnæ mereri: & sicut genere ita & grauitate differre. Quinetiam in eodem genere peccati esse quasdam accessiones, quæ peccatum grauēt, si contigerint, eleuent si non contigerint. Non est huius loci de iis referre. Nimis enim prolixæ tractationis erunt si referantur, & peccatorum distantiam ostendisse sat est, ne quis fortè cum Stoicis deliret, & paria esse putans, non magis timeat interimere hominem quàm lædere. Nosse īsuper debemus (vt suprà est dictum) siue leue, siue graue peccatum fuerit, si minutorum mensuram præterierit pœnæ ignis æterni esse obnoxium, & inferni supplicia grauitate distare, non tempore, quoniam exilij eorum omnium qui illuc relegantur, finis est nullus. Restat nunc vt de mortifero crimine in communi loquendo, quæ peccantem incommoda sequātur, perscrutemur, vt magis pateat, eiusmodi peccatum quàm fugiendum atq; vitandum sit, cum perspexerimus, quod illud qualiaq; mala sequantur.

Quæ mala peccato accedant.
Cap. 16.

Bonus deus, bonorum author, non malorum est. Cũ ergo ille qui cũcta fecit valde bona, hominẽ quoque bonum fecerit, quis eum ex bono malũ reddidit, nisi voluntas mala de libero procedẽs arbitrio? Itaque idem ipse, qui ex deo bonus erat, ex se factus est malus. Integrum illi fuit naturam bonam, sicut à deo acceperat, ita & conseruare, sed noluit, neque curauit. Voluntate igitur, non natura mali efficimur, cùm peccamus. Et quia peccando naturam ipsam lædimus, naturæ quoque conditorem deum simul offendimus. Ideóq; peccantibus mala omnia non immerito accidere confitemur, quemadmodum econtrario iustis & innocentibus, & non suam, sed dei sequentibus voluntatem bona omnia euenire. Cur autem iustis quandoque malè, & iniustis bene? Hoc certè minimè videbitur mirũ, si rerum exitum, qualis vtrorũque futurus sit spectabim⁹. Iustis quippe viris aduersa quæ contingunt, summæ perennisque felicitatis meritum per patientiam comparat. Malorum verò prosperitas, nequioris luxuriæ illis materia est, intẽperantięq; dissolutioris. Tanto itaque maius merebuntur supplicium, quanto in præsentibus viuendo deliciis videntur sibi esse feliciores. Malè quidem Lazaro pauperi erat, bene diuiti epuloni, sed citò & malum illius in bonum commutatum fuit æternum, & huius bonum in ęternum malum. Debem⁹ ergo etiam malum hoc quod bonis in vita accidere solet, nõ malum, sed bonum iudicare, & bonũ illud quod malis blanditur, non bonum, sed malum potius arbitrari. Quàm verè rectéque ista dicantur, satis perspicuè diuersus enim finis probat. Soluta tandem quæstione, quæ quidem seipsam aperit, non temporalia considerantibus, sed æterna: cõsequens est, vt peccatum ipsum eo magis vitandum sit, quo illa etiam quæ bona videntur, in summam conuertat perniciem, vltimum'que malorum. Et si hoc de rebus quæ vulgò bonæ putantur cõ-

tingat

tingat, quid de iis quas malas esse iudicant, dicemus: cũ premere cœperint vitæ deprauatæ virum, nisi futuræ damnationis illas initium esse: si modo is à peccatis in tempore non resipiscat, flagitiisque finẽ statuendo rursum virtuti exercendæ pro viribus incumbat. Cæterũ plurima quidem ante damnationem peccatum consequi solent mala, quæ nunc operæpretium erit referre, quo demum constet, præsentis quoque mali vitandi causa non esse peccandum. Quæ dicam, nolo vt mihi credantur, nisi singula sanctarum authoritate scripturarum firmata erunt. Peccati igitur ea prima malignitas est, inutilem facere hominem, & neque sibi neque aliis rectè consulentem. Dicitur enim in Ecclesiastico: Qui sibi nequam est, cui bonus erit? Peccator plerunq; instabilis est, nunc hoc nunc illud aggreditur: quod placebat, displicet: quod displicebat, placet: nihil in illo potest esse firmitatis, quoniã nõ super petrã ædificat, sed super arenam, & arundo est vento agitata. Hoc Psalmistæ crede dicenti: In circuitu impij ambulant. Neq; enim rectè possunt ambulare, qui cum deo non ambulant. Peccatum veri intelligendi acumen hebetat. Ambulabunt, inquit, vt cæci, quia domino peccauerũt. Et in euangelio de peccatoribus est dictum: Cæci sunt & duces cæcorum. Cæcus cæcum ducit, & ambo in foueam cadunt. Peccatum perdit humanæ cõditionis dignitatem, hominemque brutis reddit comparandum. De quo Psalmistæ verba tibi fidem faciunt, dicẽtis: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Cuius ignominiæ idem volens nos expertes esse hortatur & ait: Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. Quid enim despicabilius, quid fœdius, q̃ ex homine pecudem effici, & eo qui propius humanæ atque angelicæ mentis est, intellectu carere. Peccatum vitæ spatia minuere dicitur. Sic enim de Her Iudæ filio

Eccl.14. Psal.11. Sopho.1. Luc.6. Psal.48. Psal.31.

in

in Genesi legimus: Fuit Her primogenitus Iudæ filius nequam in conspectu domini, & ideò ab eo occisus est.
Isa. 45. Sanctus quoque in psalmis spiritus loquitur: Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos. Et in Pro
Proue. 10. uerbiis ait Salomon: Timor domini apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur. Sed licet aliquis mal⁹ diu uiuat, q̃diu in peccato est, in morte est, testatur hoc Paulus Apostolus, dicens: Vidua quę in deliciis est, uiua mor
2. Timo. 5. tua est. Et in Apocalypsi angelo, id est, præsidi ecclesiæ
Apoc. 22. Sardis dicitur: Nomen habes quòd viuas & mortuus es. Et dominus in Euangelio: Sinite mortuos, inquit, sepelire mortuos suos. Ad hæc ne principes quidem sperẽt, diu posse regno suo frui, si ipsum regem regum & dominum dominantium offendere non verentur: testis
Baruc. 6. est his euersa Hierusalem, primo à Chaldæis, propheta dicente: Propter peccata quæ peccauistis, abducemini in Babyloniam captiui à Nabuchodonosor rege babyloniorum, deinde à Romanis: quod futurum illis prædixit Christus dominus: quem ob inuidiã persecuti sunt. Hoc autem peccatis exigentibus euenire etiam in Ec-
Eccle. 10. clesiastico discimus, vbi dicitur: Regnum à gente in gẽtem transfertur, propter iniustitias & iniurias, & con-
Daniel. 4. tumelias & diuersos dolos. Ipse quoque Nabuchodonosor rex cum esset omnium potentissimus, deoque se æquaret, regno exturbatus vixit cum bestiis, donec ad mẽtem rediens efferre sese desiit, seque hominem agnouit, & confiteri cœpit, quod solus deus mundi sit dominus, ius habens in regna hominum, & cuicunque voluerit illa distribuens. Quin etiam imperio præstare, diuitiis opibusque pollere quid iuuat, si quicunque mortaliũ peccat, miser esse probatur? Maiore enim sui parte, hoc est, animo miser est, tametsi vulgi opinione, qui nihil nisi corporis fortunæque bona mirari didicit, felicissimus feratur, in Apcalypsi angelus, id est, antistes
Apoc. 3. Laodiceæ ecclesiæ gloriatur, quod sit diues & locupletatus &

tat & nullius egens, & tamē dicitur ei: Nescis quia tu es miser & miserabilis & pauper & cæcus, & nudus. Non est enim felicitas diuitiis abundare, sed virtutibus: neque infelicitas inopia grauari: sed flagitiis. Famem quoque & mortes delinquentibus minatur dominus, dicens: Terra cùm peccauerit mihi, vt præuaricetur præuaricans, extendam manum meam super eam & conteram virgam panis eius, & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem, & iumētum. Quòd si multiplicentur scelera, grauabitur vindicta. Sæpe autem contingit vt vnum peccatum plurium causa sit. Dauid adulterium cum Bethsabee commissum celatum volens, Vriam virum eius obtulit hostibus interimendū. Herodes Ioannem à quo illiciti connubij arguebatur, in carcerem misit, & capite cædi iussit. Nónne illa etiam quæ filiæ suggessit vt hoc peteret, coniugij fefellerat fidem, & matrimonio prætulerat concubinatum? vtque illo liberius vteretur, iustitiæ cultorem, cui talia displicebant, necandum curauit. Non ab re igitur scriptura ait. Qui nocet noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Bonarū quoq; actionum meritum amittitur propter peccatum. Hoc Salomon testatur dicens: Qui in vno peccauerit, multa bona perdet. Diuina & in Ezechiele vox est, Iustitia iusti non liberabit eum, in quacūque die peccauerit. Etiam si dixero iusto, inquit, quia vita viuet, & cōfisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur. Nec præterita igitur nec præsentia benefacta proderunt ei, qui vel semel aliquid morte dignum commiserit. Quid ad hæc? Peccatum sapientiæ donum corrūpit, & eū qui antè sapiens erat, desipere cōpellit. Tales erāt, de quibus in Hieremia cōqueritur dominus & ait: Stultus popul' me' me nō cognouit, filij insipiētes sūt & vecor-

Ezech. 14.

Apo. vlt.

Eccl. 9.

Ezech. 33.

Iere. 4.

vecordes Sapientes sunt & faciant mala, bene autem facere nescierunt. Versuti quippe & callidi homines, cũ aliquid dolosè fecerint, sapere videntur, sed mundi huius sapientia stultitia est apud deum. Verè autem sapiens est, qui innocentiam seruat, vt ei placeat, à quo vt saperet accepit. Ex omnibus tamen malis quæ in se habet peccatum, hoc teterrimum est, quod nos, à Deo separet, & qui per gratiam adoptionis filij dei sumus, ꝑ

1. Iohã. 1. peccatum efficimur serui diaboli. Quod à deo separetur qui peccat, audi Iohãnem Apostolũ dicentem, Deus lux est, & tenebræ in eo nõ sunt vllæ, si dixerimus quod societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem nõ facimus. Idem innuunt prophetæ verba in psalmo ad deum dicentis: Tu es deus nõ volens iniquitatem, neq; habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos, odisti omnes qui operantur iniquitatem. Isaias etiam exprobrat his & ait: Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & deũ vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret. Quæ enim communicatio lucis ad tenebras (vt Apostolus inquit) quæ societas Christi cũ Belial? Cum autem à deo quis recedit, continuò fit diaboli seruus. Nam si omnis (vt Saluator ait) qui facit peccatum, seruus est peccati: nónne etiã diabolo seruit, qui eũ vt peccet stimulat? Iudæi vitiis dediti cũ se iactarent deum habere patrem, audiunt, Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Quam sententiam secutus Iohannes Apostolus ait: Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Quanta igitur infelicitas est, vt homo à deo factus, ad imaginem dei creatus, eique in filium adoptatus nequissimi dæmonis mancipetur seruituti, ipsumque habeat patrem? tanta cura diligentiaque adhiberi debet, vt crimen quod huiusce mali causa existit, caueatur ac vitetur. Illis enim qui hoc contempserint, &

Psal. 5.

Isaiæ. 59.

Iohã. 8.

Ibidem.

1. Ioan. 3.

post

post peccatum ad pœnitentiæ remedia nō recurrerint nihil reliquum erit nisi vt ad supplicia nunquam finienda damnentur, audiantque omnium terribilium maximè expauescendam iudicis vocem dicentis: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Hæc ergo vltima peccati pernicies est, quod hominem ab hæreditate cœlestium bonorū exclusum ad ima pœnarum loca æterno relegat exilio. Denique peccatores mori dicuntur morte æterna, sicut econtrario iusti viuere vita æterna. Scriptum est enim: Homo per malitiam occidit animam suam, & anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Et in euangelio peccatoribus dicitur: In peccato vestro: moriemini: non morte quæ corpus dissoluit, sed quæ animā sublata omni quiescendi spe terribiliter torquet & cruciat. Sap. 16. Eze. 18.

Quæ peccata sunt præcipuè damnabilia. Cap. 17.

QVæ sunt autē vel qualia crimina, quibus grauati homines in profundum inferni demergantur, Psalmista explicat ad Deum dicens, Psal. 118. Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Et dominus in euangelio eos asserit extremæ damnationis reos fore, qui erga pauperes & egenos & afflictos claudunt viscera pietatis. Ac præter hos illi qui non spiritui, sed Galat. 5. carni seruiunt, dicente Apostolo, Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, hæreses, inuidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prędixi, quoniam qui hæc agunt, regnum dei non possidebunt. Idem alibi repetens ait: An nescitis quia iniqui regnum dei non possidebunt? nolite er- 1. Cor. 16.
rare

rare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neq; masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque maledici, neque rapaces regnum dei possidebunt. Hinc sanè in Apocalypsi, talibus flagitiis pollutos angelus domini à sancta ciuitate propellēdo clamat: Foris canes & venefici & impudici & homicidæ & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Hi & cōscientiæ stimulis incessanter agitabuntur, & pœnis exterius illatis affligētur, dicente domino: Eorum qui præuaricati sunt in me, vermis non morietur, & ignis non extinguetur. Atque ita damnatorum propter peccatum tormēta nullo vnquam fine concludentur. Nam sicut in cœlesti regno beatorum gloriæ finis aliquando futurus non timetur, ita in inferno pœnarum terminus nullus vnquam sperabitur. Cùm ergo iuxta ea quæ modo dicta sunt, peccati tanta malignitas existat, vt hominem inutilē, instabilem, intellectu hebetem, conditione vilem & abiectum reddat, vitam minuat, regna auferat, diuitias faciat miserias, aduersitatibus subdat, aliorum insuper delictorum causa sit, virtutum merita tabescere cogat sapientes infatuet, à deo separet, diabolo copulet, bono summo priuet, & pœnis afficiat æternis, quid vnquam tam caueri debet quàm peccatum cùm nihil omnino tam nobis esse queat noxium, nihil ita ærumnosum. Si te tyrānus torqueat vt pecces, omnia tormenta perferre satius est quàm peccare, si necem minetur, mori innocentem præstat, quàm nocentem viuere. Scias tamē nefarium esse mortem sibimetipsi aliquem inferre, vt imminens peccādi periculum deuitet, nisi deus iusserit: sicuti quibusdam virginibus iussisse creditur, quæ sibi mortem consciuere, ne ab hostibus stuprarentur. Quarum quidem memoriam nequaquam celebraret ecclesia, nisi miraculo reuelatum fuisset, illas non tam prospicere sibi se perimendo, quàm domino obedire voluisse

Apoca. 2.

Isai. 66.

luisse. Alioquin nulli licere credimus, quicquid futurũ timetur, sibi metipsi vitam eripere, ne illum offendat, cuius lex est, Non occides. Proteruus est seruus, qui domino depositum reddidit antequam poscatur.

Vnde tanta peccantium multitudo. Cap. 18.

PORrò cum tot talia'que sint, quę nos ne peccemus deterrent, qui causæ est, quod peccantium multo maior numerus, quàm non peccantiũ existat, multo'que copiosior turba sit mundo seruientium, quàm mundi domino & cœli terræ'que conditori: ita vt cum propheta cogamur exclamare, Nõ est qui faciat bonũ, non est vsque ad vnum. Iam enim quod futurum dominus prædixerat, abundauit iniquitas, & refrixit charitas, vt propinquum testetur vltimi iudicij diem. Multa quippe cernimus, plurima audimus, à quibus abhorret animus, & ne illa sentire posset, sæpe nobis optauit cum cæcos oculos, tum aures surdas. Talia verò mirantibus nobis, causam'que inquirentibus respondet Ecclesiastes dicens: Quia nõ profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala. Dilatio igitur pœnæ, peccandi præstat licẽtiam. Sed si cogitarent peccatores tanto acriorem fore vindictam, quantomagis venire cunctatur, peccandi libidinem coërcerent, & nequitiæ finem citius ponerent. Delictorum enim vltor deus non semper statim punit: peccantis autem pœnitentiam ideò diu expectat, vt si abierit correctio minus excusabilis fiat pertinacia. Cæterùm dum cœlestis arbiter à flagello quiescit, non remittit iram, sed colligit, vt totam vno impetu effundat & plectẽdi tarditatem grauitate compenset. Interim ad peccandũ alios corporis prouocat voluptas, alios honorũ stimulat ambitio, alios multa habẽdi auiditas vrget.

Psal. 52.

Eccle. 8.

Ab his

Ab his tribus tantum fontibus cuncta quæ sub cœlo fiunt crimina oriri quidem reor. Etenim voluptatis germina sunt, otium, ventris ingluuies meandi incontinẽtia, scortandi inexplebilis cupido, stuprum, adulterij, aliæque libidinis, quæ ne dici quidem honestè potest, perpetratio & illa quæ libidinem incitent, obscœni cãtus, molles musicorum soni, virorum cum mulierculis lasciuientia tripudia, aliaque huiusmodi plura. Ipsa deinde dignitatum honorumque appetitio genitrix est inuidiæ, nutrix superbiæ, amatrix inanis gloriæ. Is enim qui videri publico aliquo officio dignus concupiscit, aliis detrahit, vt se efferat: aliorum facta deprimit, vt sua extollat, adulatoribus fauet, & vix vllo vitio abstinet, dum in his etiam quæ perperam agit se laudari cognoscit. Postremò cum cumulandarum opum auiditas, quot scateat sceleribus quis enumeret. Inde sunt inter fratres odia, inter amicos dissentiones, iurgia, lites, contentiones, aleæq; lusus, periuria, fraudes, furta, rapinæ, contumeliç, iniuriæ, vulnera, cædes, & citius adeundæ hęreditatis gratia concupitæ ante diem parentum mortes. Quid multa? nullum prorsus flagitiũ, in quo aliquid speratur lucri deuitat auaritia, dicentę Apostolo: Radix omnium malorũ est cupiditas. Omnibus autem malis istis carebit, qui tribus illis à quibus cuncta gigni credimus carere studuerit, obstrusis quippe fontibus, riuos deficere ac siccari necesse est. Desinẽt fluere vitia, cûm vnde fluent non habuerint. Recîde truncum, & rami morientur. A voluptate, ambitione, auaritia procul esto, & nullam causam habebis iniquè aliquid improbeq; patrandi. Vt voluptates fugias memor esto sapientissimi Salomonis sententiæ dicentis, Si annis multis vixerit homo & in his omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum, qui cũ venerint, vanitatis arguuntur præterita. Breuis nanque momentaneaque voluptas facilè

1. Timot. 6.

Eccl. 11.

facilè contemnetur, si æterna cogitabimus. Vt autem & terrenarũ dignitatũ ambitio in te nõ habeat locũ, recordare quod ob hoc ipsum pharisæos damnauerit dominus noster, dicens: Væ vobis pharisæi qui diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. Lucæ.11. Recordare præterea quàm graui onere premuntur qui in dignitate constituti sunt, primò quòd multo magis illis imputatur peccatum quàm cęteris. Deinde, quòd non pro se modo, verumetiam pro omnibus quibus præsunt, tenentur reddere rationem. Et si per eorum negligentiã plebs deliquerit, tam alienæ quàm suæ culpæ rei erunt. Vt postremo diuitias non concupiscas, Apostoli præceptum ad mentem reuoca. 1. Tim. 6. Nihil (inquit) intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueũ diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Nec dictorum Christi domini obliuiscaris. Nolite (inquit) thesaurizare in terra, sed in cœlo. Matth. 6. Non potestis deo seruire & mammonæ. Matt. 16. Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Lucæ. 6. Et facilius camelus transibit per foramen acus, quàm diues ascendere valebit ad regnum cœlorum. Lucæ. 12. Et væ vobis diuitibus, qui habetis cõsolationem vestram. Luc æ. 16. Illius etiam diuitis memento, qui hubertate frugũ lætatus, per annos multos his fruiturum se putauit, & nocte insequenti vita decessit, quod congregauerat aliis reliquit, ipse sua spe frustratus est. Ille quoq; diues méti tuæ succurrat, quem vestiebat purpura, quem quotidie delicata saginabant cõuiuia, nudus in inferno sepelitur, & in igni ardens gutta aquæ indiget, qua linguã refrigeret. Si talis est præsentiũ diuitiarũ fructus, nonne stultissimus est qui eas cõcupiscit, & non potius

ad diuitias nunquam perituras aſpirat? Beati enim pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Qui ergo tria hęc quę ꝓpoſuimus curauerit, ille arbor bona bonos germinans fructus erit, mala autem malos proferens fructus eſſe deſinet. Si enim in radice vitium non fuerit, nec in fructibus erit. Non de patribus & filiis (vt quidam putauerunt) iſta in euangelio dicuntur, ſed de operibus ex intentione animi profectis. Alioqui falſa eſſet arboris parabola, ſi hoc ſignificaret, quod pater bonus bonos gignat filios, & malus malos. Achab enim regum Iſraël peſſimus, optimi filij ac piiſſimi Iorami pater fuit, & econtrario Ezechias rex Iuda iuſtus ac ſanctus Manaſſen genuit iniquum atque ſceleſtum. Nemo itaq; ſuum peccatum patris prauitate excuſet. Pater non portabit iniquitatem filij, nec filius nequitiam patris. Anima quæ peccauerit, ipſa punietur. Qualis cuiuſque in anima affectus fuerit, talia edet & opera. Intimo prius cordis morbo medicina eſt adhibenda, vt in cute inde naſcentia ulcera curentur. Interiora ſi ſana fuerint, ea quæ foris ſunt, pulchrè ac probè ſe habebunt.

Matth. 7. Lucæ. 6.

De quinque ſenſibus. Cap. 19.

ET quoniam ſenſus noſtri vię ſunt per quas illa, quę animæ bonū corrumpunt, intus penetrare ſolent, quali cuſtodia muniendi ſint, ne id patiātur, nunc docere conabor. Senſuum noſtrorū impar numerus eſt. Impar autem numerus in ſcripturis diuinis mundus habetur, par verò immundorum dicitur. Animalia quæ bina in arcam Noë ingrediuntur, ex immundis ſunt, ex mundis quæ ſeptena. Numeri ergo ratio nos inſtruit, ne qua culpa ſenſus noſtros pollui ſinamus, quos impar ſupputatio puros eſſe debere oſtendit. Quinario nume

ro ideò

ro ideò cēsentur, vt per legis præcepta eos dirigas: quinque enim volumina sunt Mosaicæ disciplinæ diuinitus descriptæ. Et quia quinarius etiam quaternarium continet, per quem euangelia signantur, quicquid legi deest, de euāgelio adimpletur, vt sensus non solùm bonos habeamus, verumetiam perfectos. Quod si domino donante adepti fuerimus, tunc sequetur, quod ipse pollicitus est, dicens: Persequimini inimicos vestros, & corruent coram vobis, persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem milia. Si enim sensus nostri præceptis diuinis muniti fuerint, vitiorū multitudo aduersum illos præualere non poterit. Cadet à latere eorum mille & decem milia, ad eos autem non appropinquabunt. Non oculorum munditiem inquinabit visa mulier, non aures demulcebit amatorius cantus, non naribus blandietur ad mollitiem animi cō positum vnguentum, nec gustus integritatem luxuriosi corrumpent sapores, neque tactum subuertere iniustæ actionis cupiditas valebit, Ab omni malarum passionū iniuria tuti erimus si quoties oppugnamur, ad arma institutionis diuinæ sanctorumque exemplorum protinus recurremus. Tunc nempe Iesu duce quinque illi reges, id est, quinque corporis sensus, qui nobis imperando regnabant, ad speluncam conscientiæ nostræ compulsos mori sibi cogemus, vt iam viuere deo discat, obedireque spiritui, serui eius facti, cuius antea domini fuerant. Tunc in euangelio quinque talenta nobis à domino credita, alia quinque superlucrabuntur, duplicato, quæstu spiritualium negotiatione actionū. Tunc quinque virgines non iam fatuæ, sed prudentes, comparato misericordiæ oleo, accensisque lampadibus charitatis, occurrentes cœlesti sponso intrabūt cum eo ad nuptias æternæ celebritatis. Tunc denique dicetur nobis; Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.

Lucæ.26.

Lucæ.10.

derunt;& audire quæ auditis,& non audierunt. Relinquamus igitur cum vitiis terrenas vanitates, & non lacte sicut paruuli, sed sicut perfecti solido cibo vtamur, exercitatos (vt Apostolus ait) sensus habẽtes ad discretionem boni ac mali. Hoc est in bonis operibus quotidie se exercendo, mala autem fugiendo, eorum'que cupidini semper nobis aduersanti repugnãdo. Siquidem sensus nostri (vt diximus) semitę sunt, à sede animi per corporis foramina patentes. Per has hostes intrare desiderant, vt virtutum ciuitatem expugnent, & his expulsis ipsi ibi dominentur. Oculos quęcumq; visu pulchra iucunda'que sunt, infestant: quæ si concupiscere cœperit animus, per ianuam oculorũ irrumpit, siue Venereę voluptatis turpis appetitio, siue pompę luxurię'que sectandæ cura, corporis'que ornandi stulta sedulitas. Auribus insidiantur lasciuientium poëtarũ carmina, impudici cantus, tibicinum citharœdorum'que soni: quibus delectatus animus & in mollitiem resolutus, iam inimicis prodere ciuitatem meditatur, & illos admittere per portam malè custoditi auditus. Olfactum debellare properant vnguenta, quod si odore per nares penetrante intus latens animus captus fuerit, oĩbus muliebribus deliciis ad se aditum aperiet, neq; eum odoramentis ad luxuriam vti pudebit. Cum gustu certabunt esculentorum poculẽtorum'que exquisiti sapores, quorum auiditate superatus anim⁹, per lubricum gulæ callem crapulam illabi permittet, ventri'que fauere incipiens, temperentiæ renunciabit. Omnibus autem aduersariis istis eorum'que similibus viam tactus patefaciens, quicquid per alios sensus affectauit, id per se tandem opere complere maturabit, ad demũ animus ipse perditæ vitæ conscientia pulsatus, cum Ieremia queri poterit, flẽsq; ac lugens exclamare, Mors ascendet per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, disperdere paruulos de foris, iuuenes de plateis. Vitiis enim dominantibus,

Hebræ. 5.

Auditus.

Odoratus.

Gustus.

Ieremi. 9.

nantibus, bona animi concidere ac perire necesse est. Porrò vt bona vigeant, & mala repellãtur, singulis remediis singuli roborandi atque tuendi sensus erunt.

De visu. Cap. 20.

VT ergo mundos habeas oculos, mundi pulchritudinem immensitatem'que intuere, & eius opificẽ ac gubernatorem deum intellige, mirabilium'q; operum lauda magis mirandum autorem. Si venustæ mulieris forma occurrerit tibi, tũc cum propheta deũ deprecare: Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Quod si illa suum in te figat obtutum tu retrahe tuũ, Ecclesi. 27.
& memento esse scriptum, annuens oculo fabricat iniqua, propterea'que præcipi in Ezechiele. Vnusquis'que Ezech. 20.
oculorum suorum offensiones abiiciat. Audi confitentem Salomonem: Omnia (inquit) quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis: Et cum nihil omnino in hac vita permansurum animaduerteret, exclamauit: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, Audi & saluatoris in Eccle. 2.
Euãgelio dictum: Lucerna corporis tui est oculus tuus: Matth. 6.
si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidũ erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuũ tenebrosum erit. Si quidem oculi vagi & immodesti reliquorum quoque sensuum parere solent incontinentiam, & nec audire, nec odorari, nec gustare, nec tractare pigebit aliquid, quod voluptati erit, cõspicere. Sicut autem simplex aspectus formam decorem'que omnium quæ videt, ad conditoris laudem refert, ita reliqui sensus eum imitari, nihil prorsus admittunt, quod deo minus gratum fore arbitrantur: atque ita puri oculi totũ corpus lucidum reddunt: Repulsis enim vitiorum tene Matth. 6.
bris, adamata virtus spiritum simul & carnem suo irradiat fulgore. Si te (inquit) scandalizat oculus tuus, erue eum & proiice abs te. Melius est tibi cũ vno oculo ingredi in vitam æternam quam duos oculos habentem

mitti in gehennam. Non corporis oculus eruendus est. sed mentis. Nam clausis quoq; oculis peccant cæci. Cõpesce igitur animi motum ad illicita lacessentẽ, & melius tibi erit, absque præsentium voluptatum vsu ad æternas transire delicias, quam tota vita per omnes voluptatum illecebras deducta suppliciis mancipari sempiternis. Vt ergo regni potius hæres quàm pœnæ reus inueniaris, imitare sanctissimi Iob continentiam, qui

Iob. 31. ait, Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Conuenerat quippe cum oculis ne aspicerent, secum ne cogitaret. Spectaculis quoque illis adesse caue, in quibus lasciua inhonestaque aguntur, libidinis enim incitamenta sunt, & in quibus cædes humana grassatur, ne sæuitiæ impietatiq; assuescas, cum proximi tui cruore oculos satiaueris. Ab his auersus pro-

Esaiæ. 33. phetam audi dicentem, Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malũ iste in excelsis habitabit.

De auditu. Cap. 21.

Ecclę. 28. Virium autem conseruare integritatem ita oportet. Caue ne quid obscœnum, ne quid iniquum, ne quid ab humanitate alienum libenti animo auscultes, dicente scriptura, Sæpi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire. Delatoribus, detractoribus, impudicis, inaniter inconditeque garrientibus, impiè de religione sentientibus, non accommodes auditum, nisi contradicendi, redarguendi, refellendique causa. Fabulas amatorias, quæ ad turpem libidinem prouocant, audire noli. Tendiculas diaboli illa esse crede, quibus nos irretitos morti tradere molitur mergereque in profundum. Ab adulantium quoque & ad gratiam loquẽtium verbis aures auerte, ne falsis laudationibus elatus maius aliquid esse te reputes quàm quod es, & tibi tribuas, quod deo erit tribuendũ, merearisque

reârisq; ab apostolo corripi dicente: Quid habes quod non accepisti? & si accepisti, quid gloriaris quasi non ac ceperis? Nihil denique audire te delectet quod corpus tantum voluptate afficiat, animæ autem saluti nihil cõ ferat. Perniciosa enim res est aures cantu dulci suauibusq; sonis delinire: & animæ patri detriméta, cum potius animæ salus per corporis labores castigationesq; cõquirenda sit, per ieiunia, per vigilias, per scribẽdi, legendi, orandi: aliosque adhortandi fatigationes. Operariis quippe im pigris ac solicitis opus est patrisfamilias in vinea sua excolenda: non otiosis & oscitantibus & qui fructum capere negligunt: dum florum foliorũque luxuria delectentur. Quæ ergo spiritui conducũt: illa audias, quæ autem carni blandiuntur, veluti mortifera non admittas. Porrò vt ex deo te esse testeris, verba dei audi. Illis qui hoc contemnunt dicitur: Propterea vos non auditis, quia ex deo non estis. Aperi aures sapientiæ & scientiæ salutari, & in ea delectare, vt proficias magis. Interesse prædicationibus ac sacris ecclesiæ lectionibus stude, nec solùm auscultes quæ dicunt, sed etiam memoriter teneas. Non absque mysterio est dictum, Audi cœlum, auribus percipe terra. Terra es, si auretenus diuina auscultes, cœlum es si audis. Audit tamen qui sermonibus sacris catholicæq; doctrinæ cùm auditionem, tum obediẽtiam præstat. Vnde audire interdum pro parere iussaque perficere vsurpatur. Adhanc audiendi perfectionem Iacobus apostolus nos hortatur dicens, Estote factores verbi & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit, qui autem prospexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.

1. Cor. 4.

Iohan. 8.

Isaiæ. 1.

Iacob. 1.

Bonum ergo auditorem nō audiendi attentio, sed agendi probat solicitudo, postquam quæ agenda sibi sint vt deo placeat, didicerit. Huic enim dicere licebit, Domi-
Isai.50. nus mihi aperuit aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij. Interioris hominis ista auris est, quā dominus aperit, vt verba vitæ in cor eius infundat, quē diligit. Sunt tamen nonnulli vsque adeo peruersi, vt ne exteriorem quidem corporis aurem præceptis diuinis præbere velint, sed seculi vanitatibus dediti, & temporalibus immersi negotiis ita viuunt, quasi qui post præsentem vitam nihil futurum expectant. Hi si qua tandem sæuientis fortunæ molestia compulsi deo supplicant, non exaudiuntur. Neque enim liberari de pecca-
Proue.19. to, sed de calamitate desiderāt. Ait ergo scriptura: Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis, vt videlicet non modo nō impetret quod petit, verumetiam ipse execretur vt infidelis, & nouissima eius prioribus peiora fiant. Aduersum tales vocife-
Ierem.6. ratur Ieremias, & ait: Ecce incircuncisæ aures eorum, & audire non possunt: ecce verbum domini factum est eis in opprobrium, & non suscipient illud. Sed cum ob hoc eos Chaldæorum ditioni subdendos denuntiet, innuit nobis cōtemnentē scripturæ sanctæ præcepta dæmonibus esse subiiciendum, vt qui salutaria audire noluit, perditionis æternæ afficiatur suppliciis.

De odoratu. Cap. 22.

CAuendum post hæc ne per narium foramina illapsus odor, sua suauitate animum virilem effœminet, & homo vnguentis delibutus contemnatur, qui authoritate præstare debet. Odores quippe ipsius, quemadmodum & cantus oris & neruorum tibiarumque sonos, ad sacrorum cultum datos esse meminerimus, deoque laudes celebrandas, non ad corporis humanæ voluptatem. Odoribus tamen morbos quosdam curari, quosdam

rari, quosdam ne veniant prohiberi constat, & cithararæ sono Saulem regem conualuisse legimus. Rosis itaq; & croco & floribus & nardo & balsamo & omnibus aromatum generibus iuxta medicorum placita vti licet, curationis gratia, non voluptatis. Eum verò qui sanus est, & in quo non est ægrotationis vlla suspicio, vnguentis deliniri, flosculos naribus admouere, in cubiculo ex aromaticis suffimentis fragrante desidere, impudicitiæ argumenta sunt & eneruatæ emollitæque vitæ certissima indicia. Talium nanque vsu lenones, meretriculæ, hominesque ad luxuriam se natos credentes delectantur, non illi qui virtutem præferunt voluptati, neque qui spiritui quàm carni studere malunt, neque qui soli deo placere desiderant, & Christo domino dicere possunt: In odorem vnguẽtorum tuorum curremus, atque iidem confiteri audent: Christi bonus odor sumus. Verissima autem Christi vnguenta sunt, fides, spes, charitas, chastitas, pudicitia, mansuetudo, liberalitas, pax, patientia, modestia, constantia, cæteræq; virtutes, quarum suauitatem quisquis cõceperit, aliarum rerum omnium fragrantiam facilè cõtemnet. Imò nefas putabit, opobalsamum vel myrrham vel stacté vel cassiam vel nardum, vel quæuis alia odoramenta olere, cùm magis eum qui cœlo dignus esse cupit spernere terrena, & virtutum ac sanctimoniæ odore fragrare oporteat. Quem si assecutus fuerit, quicquid naribus gratissimum suauissimumque esse creditur, præ illo nauseam putabit, In cœlo enim quo ille properat non est Engadi vicus balsami ferax, non Sabæa regio thuris abundans, non preciosorum vnguentorum mater Arabia, sed quod his longè redolentius ac suauius habetur, diuinæ præsentiæ indicibile odoramentum, & cunctis animæ sensibus nunquã defutura dulcedo, Apostolo dicente: Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis excogitauit, quanta præparauit deus suis dilectoribus con- 1. Cor. 2.

bus con-

bus contemptoribusque voluptatis. Percurrere speculatione mentis sanctorum vitam, & si inueneris, quod per multas tribulationes oportuit illos intrare in regnum dei, impossibile esse crede, vt voluptuarij ac delicati, nisi pœnitentiam agant, & mores mutent, & laboribus magis q̃ otio luxuriaque delectentur, eo possint conscendere & de temporalibus diliciis repente ad æternas transire.

De gustu. Cap. 23.

GVstus quoque continendus est ne crapulæ appetẽtia polluatur animus. Gulæ quippe ista voluptas cùm dominari cœperit, ad quæque turpia & inhonesta hominem impellit multisque afficit incommodis.

Noë. Gula Noë pudenda detexit. Gula Loth stupratorem filiarum fecit.

Loth.

Esau. Gula Esau primogenituræ ius abstulit. Gula populum Israël magna ex parte repentina nece mulctauit. Gula filios Heli sacerdotis perdidit. Gula Helam regem Israël serui sui gladio interimendum obiecit. Gula Holophernem assyriorum ducem vnius mulierculæ manu perire fecit. Gula Sodomitas & Gomorrheos prius in nefandos egit concubitus, deinde igne, & sulphure de cœlo pluente extinxit, gulæ vitio

Eze. 21. id illis accidisse dominus testatur in Ezechiele, dicens: Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis,

Ierem. 5. & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius. Eodem sensu in Ieremia idẽ ait: Saturaui eos & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Ex quo satis constat, de ventris ingluuiæ gigni libidinis intemperiem. Cùm igitur tot mala ex incontinentia gulæ deriuentur, multo tamen ærumnosiora his deinde sequuntur. Quid enim miserius quàm æternæ beatitudinis

dinis expertem fieri,& nūq̄ finiendis affligi suppliciis? 1.Cor.6.
Ebriosi, inquit apostolus, regnum dei non possidebunt. Et in Euangelio seruus contumax atq; tumulentus diuidi iubetur, hoc est, à sanctis separari, & illic hypocrita rū partē occupare, vbi est fletus, & ex dolore irrequietus dentium stridor. Quæ in re quoniā tantum est periculi, vt amplius esse nequeat, salutis nostræ solicitus dominus, de Euangelio clamat: Attendite vobis ne grauētur corda vestra in crapula & ebrietate & curis huius vitæ, & superueniat in vos repētina dies illa. Sed de gulę vitio alibi plenius locuti sumus, nunc summā perstrixisse satis sit. Vitio autem isto carebimus, si eos imitari voluerimus, qui Deo placuerunt. Pensemus illorum abstinētiam, illorum quotidiana ieiunia. Multi carnē, multi vinum gustare noluerunt, dum incœlesti regno diuinæ visionis dulcedine saturari cupiunt. Quosdam pane etiam abstinuisse legimus, & maceratis aqua leguminibus vitam sustentasse, nihil coctum comedisse. Alios herbis crudis radicibusque contentos fuisse. Alios verò per biduū, per triduū, per dies plures nihil degustasse. Non hoc dico, vt cibis ac potu à Deo creatis, vt nefas putem, sed vt eos qui carnibus etiam vinoque victitant, ab ingluuie mortifera compescam. Vescere igitur alimentis ab ecclesia non interdictis, vinumque dilutum bibe, non tamen ad voluptatem, sed ad corporis necessariam sustentationem. Vtere, inquam, victu, quo isti qui tecum in monasterio sunt, vtuntur: cùm abstinent, abstine: cum ieiunant, ieiuna: & semper ad memoriam reuoca, ideò te monachalem vitam elegisse, vt deo famuleris, non ventri seruias.

Matt.24.

De tactu.

De tactu. Cap. 24.

TActus postremo nostri synceritatem seruare poterimus, si ab iis quæ rerum prohibitatum cupiditatem prouocare consueuerunt, manus continebimus. Bonum est homini (vt Paulus apostolus) mulierem non tangere. Nam si venusta forma mulierem intuẽdo periclitatur pudicitia, & si magis adhuc cum ea colloquendo, quanto plures periculi imminere credis, si post hæc neque à tactu ipso temperas? Profectò nihil aliud restat, nisi vt vterque inter vos excitatæ consentiat cupidini, & per amborum voluntas ad perpetrandum illicitæ cõiunctionis crimen feratur. Quod si manum cohibueris, nè tangas, tantũ tibi conferet ista cõtinentia, vt per oculos conceptum, per affatum auctum obscœnæ cupiditatis ardorem languescere paulatim & extingui, labefactam'que animi virtutem in integrum restitui necesse erit. Si verò ipsum tangendi sensum non refrenaueris, igni in penetralibus cordis iam suscitato ligna addes, & incendium flammæ validioris, quod te ad interitum vsque exurat concitabis. Hoc autem exitium ne tibi contingat, audi sapientissimi Salomonis preceptum, & quod docet experto crede: malum enim in quod ipse incidit, alios cauere iubet, ac de muliere loquens: Longè, inquit, fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius. Cur ita, nisi ne tangẽdi detur facultas, si propius accesseris? quãto magis proximas, tanto magis inis periculũ, ne tangendo corruas. Minus tibi noxium ignem fore crede, si manum prunis ardentibus indideris, aut ferrũ candens tenueris, quàm si lasciuientem adolescentulam digito contingas. Prunæ quippe offendet corpus, puellæ verò tactus animam perimet. Pecuniæ quoque crebra contrectatio animum ad auaritiam stimulat. Quamcunque enim rem tangere delectat, eius largius copiosius'que potiundę auiditas crescit.

1. Cor. 7.

Prouer. 5.

crescit. Prudens itaque constitutio seraphici Francisci fuit, qua cauetur, ne monachi paupertatē professi nummos contingant, sed illam eleemosynam quæ pecunia constat, secularium ministrorũ manibus colligant, æra igitur quę necessitas emendicare cõpellit, periculũ tangere vetat, per alios recipiuntur, per alios pro ipsorum victu expenduntur, vsqueadeo stipem per se sumere timent, quam pro se poscere non verentur, ne forte contrectatione illius deliniti aliquid vltra necessitatē concupiscant. Nam illum etiam in excelsis cum sanctis habitaturum prædicat Isaias, qui proiicit auaritiã ex calumnia, & excutit manus suas omni munere. Quãta autem mala pariat auaritia postea suo loco dicemus. Porrò illos maximè mundas manus habere decet, quibus à propheta pręceptũ est, dicente: Mundamini, qui fertis vasa domini. Nihil igitur immundum tangant manus illæ quibus cõcessum est vt purissimum Christi corpus in sacramento palpent, & hostiam viuam offerant deo. Eas manus ne qua peccati, contaminet spurcities, meminisse debemus, ob hoc nobis à deo datas, vt ipsi præcipuè qui dedit seruiant, ipsi laborent in operibus iustis actionibusq; probatis. Tu ergo manus tuas ad euoluendos cœlestis disciplinæ libellos porrige, & in iis quæ deo placent conscribendis exerce, ad pingenda quoque fingendáve appone simulachra illa, quæ vel spectatores ad sanctimoniæ cultum accendant, vel tuam ipsius mētem, ne per inania diuagetur, honesto labore occupent. Denique modis omnibus contende, vt easdem manus tuas cum precibus puras ad cœlum tollas. Ita enim facilius, quod postulaueris, impetrabis. Et quoniam hic de quo loquimur, tangendi sensus non solũ ad manus pertinet, sed etiam ad reliquũ hominis corpus, cuncta corporis tui membra deo authori suo seruiant, deo in omnibus obsequantur, nihil agant in quo ille offenditur, nihil committant in quo proximi scandalizantur, in

omni

Constitutio sancti Francisci

Isaiæ. 33.

omni prorsus contacto, imò in omni omnium sensuum officio atque operatione. danda est opera vt vitetur peccatum, cuius premium est perēnis apud inferos cruciatus, & colatur virtus, cui promissa est merces æternæ in cœlo felicitatis.

De remedio contra sensuum voluptatem. Cap. 25.

CAEterum super omnia ad reprimendã sensuum voluptatẽ remedia, iuuabit animo recolere quicquid saluatorem nostrum sponte in hac vita passum nouimus. Igitur si te vana spectandi voluptas prouocauerit, qualem ille voluptatem capiebat, cogita, cũ Iudæorum cerneret perfidiam, & ob id flere compelleretur, cumque eosdem cõtra se insurgere videret, quos ipse saluare venerat. Si tibi aurium delectatio blandiri cœperit, attende quodnam illi delectamentum erat quotidie ab impiis conuitia audire, seque probris maledictisque inimicorum incessanter pertundi. Si naribus infusa odorandi suauitas tibi insidiabitur, si gustandi luxuriosa dulcedo sui desiderium fecerit, memento illum in vtraque manu pro rosis clauos ferreos pertulisse, in ore autem pro dapibus fel, pro vino acetũ sumpsisse. Si te denique cõmunis toti corpori tactus ad voluptatem sollicitauerit, quem ille toto corpore dolorẽ excepit, mẽte reuolue. Cerne coronatum spinis caput, manus pedesque clauis cruci confixos, latus lancea vulneratum, cuncta denique flagellis contusa membra. Ac ne iam grandioris ætatis eam arctam viam ingressum dicas, audi ipsum in psalmo confitentem: Pauper sum ego & in laboribus à iuuentute mea. Ad hæc seruorum eius, id est, omnium sanctorum totam vitam, qua cœlũ meruerunt, percurre, & si quid in eo molle, si quid voluptuosum, si quid corpori iucundum delectabileque inueneris,

Visus.

Auditus.

Odoratus

Gustus.

Tactus.

Psal. 87.

inueneris, audacter imitare. Sin verò econtrario cuncta dura, aspera, inquieta, tristia, & acerba fuisse non ignoras, cur tu ad hauriendas conuerteris voluptates, sicut domino tuo, ita & seruis eius dissimilis, tibíque metipsi perniciosius? Quomodo enim eo quo illi conscenderunt, ascendens, si longè aliter atque illi vixerūt viuas? Et cum diuersa prorsus agas, quomodo nō etiam diuersa sortieris? Nam si illi per terrenas tribulationes coeleste regnū possederunt, tu proculdubio post breues terrenæ luxuriæ delicias pœnam luiturus es æternam, nisi pœnitentiā egeris. Mitte igitur istas, quæ te nunc oblectant vanitates, renuntia voluptatibus, cuncta corporis blandimenta, veluti pestem quandam animæ fuge, & illa potius quæ laboriosa sunt amplectere, difficilib⁹ assuesce, in omnibus morum synceritatem serua, innocentiam custodi, affectibúsque moderare. Moderandorum autem quæ ratio sit, quia locus hic exigere videtur, dicere nunc aggrediar, ope fretus diuina, non meis viribus, quæ nullæ sunt, confisus.

LIBRI IIII. FINIS.

EVANGELISTARII MARCI MARVLI LIBER V. SVB TITVLO

charitatis, materiam de libidinis cohibitione, matrimonij integritate, eleemosynarum largitione, beneficiorū collatione & acceptione, & vitiis his virtutibus contrariis, complectens.

De temperantia. Cap. I.



IPSA igitur passionum, quæ à sensibus oriuntur, moderatio, temperantia dicitur. Ea virtus vsqueadeo reliquis omnibus necessaria est, vt nisi illis comitem se præstiterit, continuo ad vitia dilabentur, &

tur, & virtutis nomen naturamque amittent. Iustitiaque ipsa si téperentiæ freno non regeretur, aut in negligentiam, aut in sæuitiã desineret. Temperantia mediocritatem seruat, appetitiones domat, ignauiam expellit: dicta, facta, cogitataq; rationis finibus cõcludit. Nihil turpe fieri patitur, voluptatibus imperat, ne modum excedant, dolori succumbere vetat, in omnibus recti honestique rationem constare iubet, nõ sinit extolli prosperis, neque deiici aduersis, sed in vtraque fortuna constantem animum esse iubet. Ne itaque sensuum tuorum perturbationibus cedas, temperantia efficiet, & ad illa quæ memorauimus, comparanda remedia te diriget, quibus tu vsus abiges abs te otium & desidiam, & cupiditatem, & turpes amores, & omnem luxuriam, vt amplecti queas laborem, solicitudinem, largitatem, pudicitiam, frugalitatem. Et cum vitia quæ circa virtutem in medio constitutam sunt, caueris: illa quoque quæ vltrà habentur, vitabis, ne videlicet labor vertatur in lassitudinem, solicitudo in curiositatem, largitas in prodigalitatem, pudicitia in agendorum dicendorumque inutilem verecundiam, frugalitas in stultũ ab omnibus abstinendi rigorem. Cuncta ergo æquis tẽperantiæ mensuris, iustisque proportionibus circumscribes, vt nec modicitate delinquas, nec nimietate excedas. Optimumque tibi videbitur, solertiã sequi nautarum, qui in onerando nauigio tale temperamentum seruant, vt neque nimio pondere pressum, obruatur fluctibus, neque nimia leuitate suspensum lateribus vacillet, & flantium ventorũ impetum ferre nequeat. In omni quippe vitæ tenore rationabilis mensuræ modus vtilissimus. Intemperãtia verò omniũ prorsus nequitiarũ & parens & nutrix est. Quibus illa dominatur, de sanctorũ cõsortio exierunt, cũ iustis nõ scribẽtur. Ab ipso enim domino, quia sanctionibus eius nõ patẽt, reprobati abdicatiq; sunt. Omnis alienigena, inquit, incircuncisus corde,

Ezechi. 44.

ſus corde,& incircunciſus carne,nō intrabit in ſanctuarium meum. Aliud pręterea incircunciſorum genus eſt quos Ieremias notat,dicens:Ecce populus hic incircunciſus auribus & noluūt audire. Aliud etiam de quo Moyſes eſſe ſe fatebatur,cùm ſe indignum officio ſibi delato exiſtimaret,& vt in Hebræo habetur,diceret: Incircunciſus labiis ego ſum. Huiuſcemodi autem circunciſiones, hoc eſt, cordis, aurium, & labiorum : quia non corporis,ſed ſpiritus ſunt,faciunt vt ipſam quoque carnis circunciſionem,intelligentiæ demus ſpiritali. Qui ergo temperans fuerit, primo cor ſuum circuncidet ne cogitet malum, ne prauæ appetitioni aſſenſum præbeat. Qui enim aſſenſerit,& ad perficiēdum ſcelus quod cogitauit animum inclinauerit, hic incircunciſus corde erit. Deinde qui temperans fuerit, ſuas aures circuncidere curabit, ſubtrahendo auditum delatorū ſuſurris,adulatorum blanditiis, turpibus ſcortatorum canticis, impudentiæ'que ſcurrarum. Qui verò aliquem ex his libenter audierit, incircunciſus auribus erit. Poſtremò qui temperans fuerit,labia ſua circuncidere ſtudebit, linguam cohibendo, ne de aliquo infamandi cauſa obloquatur, ne cui maledicat, ne litiget, ne rixetur,ne opprobret,ne mētiatur,ne quid denique iniquum,fœdum,inhoneſtum proferat. Qui autem loquenda tacenda'que obſeruare neglexerit,& ſine delectu quicquid in buccam venit, effutierit, hic incircunciſus labiis iudicabitur. Carnis verò circunciſionem ad reliqua interioris hominis membra pertinere reor. Itaque qui temperās fuerit,minimè negliget,& manus circuncidere ſuas, ne malum operentur: pedes,ne illo vbi peccandi periculum imminet,currant: oculos,ne quid quod nefas eſt concupiſcere ſpectent: palatum,ne ebrietati ganeæ'que ſeruiat: olfactum, ne vnguentorū odore delectetur,ſed virtutum. Qui ſe ita,vt dicimus,circunciderit,circunciſione(ſicut Paulus ait)non manufacta,

Ierem. 6.

Exod. 4.

Incircūciſ corde.

Incircunciſus auribus.

Circūciſus carne.

& in omnibus spiritui magis q̃ carni obedierit, huic ꝑfectæ temperantiæ inesse virtutem quis negabit? quis non dignum arbitrabitur, vt tandem in sanctuarium dei ingrediatur, præmiáque capiat supernæ hęreditatis, factus dei filius, quia noluit fieri turpium voluptatum seruus,

De virginitate. Cap. 2.

Cæterùm cùm in omnium malarum cupidinũ incitamento temperantiæ freno opus sit, tum maximè in coitus appetitione stimulo inhibendo. Nullus violentior in animantibus affectus, nullus insuperabilior. Assiduè cum illo pugnandum est, & si sæpius viceris, periculum est ne postremò vincaris. Quãto autem difficilior victoria, tanto & victoriæ remuneratio maior ac præstantior. Nunc ergo nõ incongruè referenda incidunt, primo castitatis pudicitięq; bona, deinde contrariæ libidinis mala, vt his deterriti, illis allecti pertinacius in proposito persistamus virtutis. Castitatis quidem principatum tenet illibata virginitas. Nã
Leuit. 21. virginem esse, supra vsum naturæ est, & angelicum magis quàm humanum. Ideóq; & in lege honorata est vir
Nume. 31. ginitas, & in Euangelio, sed in Euãgelio magis. Prohibet lex, vt sacerdos viduam vel repudiatam ducat vxorem, sed virginem tantum. Et cum Moyses Madianitas
Iesus. delere mãdaret, virginibus parci iussit. Iesus Naue, qui Christi domini figuram ferebat, neque vxorem habuisse memoratur, neque liberos, & illo duce populus Israël
Elias. Elisæus. terram ingressus est promissionis. Elias & Elisæus nusq̃
Ieremias. iniisse matrimonia legũtur, & soli inter veteres à morte quosdam ad vitam reuocarũt. Ieremias quoque, quia in vtero matris dicitur fuisse sanctificatus, virgo permansit, ne donum amitteret adultus, quod acceperat
Iesus Christus. conceptus. Ad nostra veniamus. Ipse dei filius Christus virginem matrem sibi elegit, virgo ipse permãsit, virginum

ginum sponsus dici voluit, sed neque baptizari, nisi à virgine sibi placuit, neque matrem, cum ab ea decederet, nisi discipulo virgini commendare. Hæc autem omnia, vt quàm Deo grata esset virginitas doceret, cuius conseruandæ matrem fœminis, se masculis in exemplū dedit. Exinde vterque sexus profiteri cœpit virginitatem, & ineundi coniugij prolisque suscipiendæ voluptate contempta, ad monasteria confugere, seque soli deo dedicare: vt dum neque nubunt, neque nubuntur, angelis cœlestibus pares forent, & humanam conditionem egressi, peculiare priuilegium acquirerent, cãtica quæ nemo alius cantare potest, coram deo personandi, agnumque sequendi quòcunque se ille vertisset, vt sicut Christo matriq; eius Mariæ, ita & ipsis nullum in ęternis mansionibus habitaculum clausum esset. Quid enim non illis patere crediderimus in patria sursum, qui dum hic peregrinarentur, nulli obscœnæ cupidini patuerunt, & in carne præter carnem viuere perseuerarunt, vt magis deo placerent? Fidelissimorum enim seruorum est, semper id maximè conari, quod domino suo maximè gratū fore animaduertunt. Itaq; nō solum attēdūt quid ipse imperat, sed etiam præter imperium quid ipsū delectet. Quamobrem plurimi sanctorum virginitatē inuiolatā cōseruarunt, vt qua se in primis deo placere posse non ignorabant. Virgines fuere Iohānes Baptista, quo inter natos mulierū nō erat maior: Iohannes Apostolus, quē singulariter Iesus dilexisse, dicitur: Iacobus, qui frater domini nuncupatus ēst: Paulus vas electionis, aliique multi ex discipulis. Inter fœminas autē Martha, Petronella, Tecla, Agatha, Lucia, Catharina, Cecilia, Barbara, Hagnes, aliæq; multæ, q̄ tormēta ꝑpeti atq; occidi maluerūt, q̄ virginitatē nuptiis cōmutare. Quidā martyrū cū meretricibus à tyrāno additis oppugnarētur, proprias linguas dentibus discidisse cōstat, vt voluptatis motū seꝰ excluderet doloris.

Ipsi itaque qui in confessione fidei aliorum sæuitiam non timebant, in castitatis periculo in se sæuierunt, nō leuius flagitium fore rati si libidini cōsensissent, quàm si Christum abnegassent. Tunc autem in culmine virtutum tua erit virginitas, cum etiam illa quæ imperātur perfeceris. Quæ enim vel qualis est serui erga dominum obseruantia magna in re præstare obsequium, & in parua negligere mandatum? Nónne fatuitatis arguuntur in Euangelio virgines, quæ de sola virginitate sibi plaudentes, oleum quo totius vitæ lampas illuminatur oleum, videlicet mandatorum dei non compara uerant? Nónne etiam ille ab omnibus irrideretur, qui coronam auream capite præferret, & vilibus attritisque indumentis tegeretur? Virginitas ergo nisi imperata domini perfecerit, tantum abest vt cæteris fidelibus altius ascendat, vt etiam cum ipsis, qui in imo cruciantur, computanda sit. Hoc verum esse ipsa decē virginum parabola tibi ostendit, fatuæ nanque prudentibus ianuam beatitudinis ingressis foris remanserunt, quia nihil aliud muneris habebant, quod sponso offerrent, præter nudam virginitatem adminiculisque necessariis carentem. Castitatis quidem professio inter perfectionis opera merito censetur, sed sicut poma antequam maturescant, decidunt: & folia ramique siccātur, cum trunco, cui tota arbor innititur, deesse cœperit humor, ita quæuis perfectio (si modo perfectio dici debeat, vbi multa deficiunt) suo fraudabitur fructu, nisi mandatorum obseruatione foueatur. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, inquit dominus. Nisi ergo illa seruaueris, licet castus, licet integer sis, & mente atque corpore impollutus, vitam habere non poteris. Castitatem vouisti, diuitias contempsisti, cætera religionis vota suscepisti: hæc per se quidem vitam beatam nō merentur, si tamen virtutibus mandatorum dei coniuncta fuerint, ad multo altiorem beatitudinis gradum te proue-

Matth. 25.

Matth. 25.

prouehent, quàm si absque his mandata tãtũ obseruasses. Felix igitur illa virginitas, illa castitas, illa paupertas, illa senioribus exhibita obedientia, quæ cum earum virtutum comitatu quæ iussæ sunt, cœlesti sponso poterit occurrere. Felix, inquã, illa virgo, quæ nõ sola pudicitiæ laude contenta, sed etiam omnibus necessariis monilibus ornata sponsi sui præstolabitur aduentum.

De castitate viduali.

Cap. 3.

VIrginali munditiæ proximè accedit castitas viduitatis continentiáque eorum, qui quamuis virgines non sint, finem tamen carnali copulę statuerunt, suscepto religionis voto, vt expeditius deo seruire cœlestiúmque contemplationi vacare queant. Horum propositum longè melius esse quàm coniugatorum, vtriusque scripturæ testimoniis probatur. In Leuitico filia sacerdotis, vidua ad patrem reuersa vescitur de sãctificatis, quæ certè attingere gustaréque nequibat, dũ marito seruiret. In Exodo Moyses per triduum ab vxorio opere abstinere eos iussit, qui ad montem accessuri, deúmque loquentem audituri erant. Sed neque Dauidi vel cæteris qui cũ illo erant, cùm esurirent, licuit panes accipere sanctificatos, nisi cum se mundos à mulieribus ab heri & nudiustertius esse confessi sunt. In nouo autem instrumento Paulus apostolus coniugati atque soluti distantiam docere volens: Qui sine vxore est, inquit, solicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat deo: qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mũdi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta, inquit, ac virgo cogitat quæ domini sunt vt sit sancta corpore & spiritu, quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Quantum

Leuit. 22. Exod. 10. 1. Reg. 21. 1. Cor. 7.

igitur præferenda sit viduitas matrimonio, continentia nuptiis, ipsa studiorum atque operum diuersitas indicio est. Quis enim fidelium negare audet, longè melius esse, illa quæ Dei sunt cogitare, quàm illa quæ mundi: & quomodo deo placeas quærere, quàm quomodo placeas vxori? Nemo tamen credat damnari matrimonia dum his meliora proponuntur. Non enim peccant qui legitimè coniũguntur, sed tamen illi qui ideo coniungi nolunt, vt liberius vtque syncerius deo seruiant, beati esse dicuntur. Mulier, inquit, alligata est legi quanto tempore vir eius viuit, quòd si dormierit vir eius liberata est à lege, cui vult nubat, tantum in domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium. Ac ne consulentem contemneres, continuò subiunxit: Puto autem quod & ego spiritum dei habeam. Idem Apostolus Tito discipulo præcipit, dicens: Viduas honora, quæ veræ viduæ sunt. Has etiã qualiter se gerere debeant instruens ait: Quæ autem verè vidua est & desolata, speret in deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die. Nam quæ in deliciis est viuens mortua est. Illas ergo quæ delicias mundi, vt Christum lucrifacerent sperauerunt, & reuereri, & si indiguerint ecclesiæ alimentis mandat sustentari. Honor enim in scripturis non solum reuerẽtiam, sed etiam liberalitatem eleemosynam'que designat, vt in Prouerbiis: Honora dominum de tuà substãtia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus. Cùm autem Apostolus verè viduas in ecclesia reuerenter suscipiendas alendas'que præcepisset, si modo vnde alantur de suo non habuerint: prospicere etiam volens ne qua de his sinistri rumoris oboriatur suspicio, ne quis infirmis peccandi locus detur. Vidua, inquit, eligatur non minus sexaginta annorum quę fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis testimonium habẽs, si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit,

Proue. 3.

lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est. Adolescentiores autẽ viduas deuita. Cùm enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Non ergo ob hoc solum vitandæ sunt, quia earum consortium castitati periculum sit, verumetiam quia ipsę iniuria ecclesiam afficere soleant, repetendo connubio, cum professæ fuerint castitate, & quod deo vouerãt non exoluendo. Cumque ita sit: Volo, inquit, iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. Iam enim quædam conuersæ sunt post satanam. Quare illas nubere vult apertè declarat, ne videlicet castitatem vouendo irritum faciant promissũ, ne post satanã abeant, & ad illicitos amplexus conuersę diabolo nubant. Tolle incõtinentiam istam, & non dicet. Volo iuniores nubere, sed quemadmodum superius dixit, beatiores erunt, si sic permanserint secundum cõsilium meum, hoc est, si in propósito perdurarint castitatis, & veræ viduitatis officiis functæ fuerint. Quod ibi etiam & quidem manifestius asseuerat, vbi ait: Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic ꝑmanserint sicut & ego: quód si non se continent, nubãt. Melius est enim nubere quàm vri, id est, licitas inire nuptias, quàm illicitis ardere amplexibus. Patet ergo Apostoli esse sententiam: Illis viduis qui se continere nequeunt, magis expedire vt nubant quàm per incontinentiam pereant. Illis verò quę deo magis q̃ hominibus placere cupiunt, optimum esse non nubere, sed in castitate perseuerare. Porrò quod hîc fœminis præcipitur, viros quoque respicit, qui castitatem præferũt matrimonio, sexagesimum fructum tricesimo, & domini cultum vxoriæ seruituti, quibus à saluatore dicitur. Sint lũbi vestri ꝑcincti, & lucernæ ardẽtes ĩ manibus vestris.

1. Cor. 7.

Lucæ. 12.

Ephe.6. Et ab Apostolo, State succincti lumbos vestros in veritate. Lumbi ad generandi rationem pertinent, quos præcingere, quid aliud nisi castitati studere est? Hoc quidem præcipuis, hoc electis dei Christi'que discipulis iniungitur non vulgaribus, nō terrena temporalia'que appetentibus, sed ad cœlestem gloriam aspirantibus & æternam. Vnde Eliam prophetam & Iohannē baptistam zona cinxerat pellicea, quæ significabat in carne mortificatos, nulli'que obscœnæ cupidini subiectos, quàm autē magni spiritus hi ambo fuerint, nemo fide lis ignorat. Ille etiam vir sanctus ista continentię virtute proficere optabat, qui ingemiscens ait: Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & se superari sentiens auxilium implorauit: Intende, inquit, in adiutorium meum domine deus salutis meæ. Illam verò mulierem, vt optauerat ita profecisse credimus, de qua est scriptum: Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. In brachio, iustitiæ opera intelligimus, quæ tunc sanè robur & firmitatem sui concipiunt, cū lumbis zona castitatis constrictis contemnimus illecebras carnis, & coniugij iugo expediti, in illorum concedimus libertatem eunuchorum, qui se propter cæleste regnum castrauerūt. Quę profectò virt⁹, quoniam vulgari vita eminentior est, non imperatur, sed suadetur, dicente domino: Qui potest capere capiat. Vt autem ad capiendum quod proposuit enitamur, præmiorum magnitudine nos prouocat per Isaiam dicens: Ne dicat eunuchus, quoniam sum lignum aridū: hæc enim dicit dominus eunuchis, Qui custodierint sabbata mea & elegerint quę volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muro meo locum nominatum, & nomen melius filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis quod non deficiet. Laudent matrimonia coniugati & prolis fœcunditate glorientur, dū tamen eunuchi nostri melius filiis & filiabus nomen à domino

Psalmo.37.

Prou.31.

Mat.19.

Isaiæ.56.

domino sibi vendicent, patribusque & matribus apud omnium patrem pluris habeãtur. Restat vt doceamus quibus armis virtus castitatis ne offendatur, tuenda sit.

De consortio diuersi sexus vitando. Cap. 4.

CAstitatis professoribus non sui sexus hominum consortia sunt fugienda. Quamuis fuerint sancti vir & fœmina, nequaquam tãtũ sibi confidãt, in ætate præsertim adhuc vegeta & robusta, vt sine arbitris inter se colloquatur, vt soli simul sedeant, aut conuersis alter in alterum oculis inuicem se spectẽt, ne fortè cogitare cogantur, quod intercedente verecundia confiteri non audent. Potest quidem fieri vt amborũ vultus, gestus, sermo pudicitiam seruet: difficillimum tamen imò impossibile est, nequando vel vtriusque, vel alterius eorum mens impuriis æstuet desideriis, vel momento aliquo temporis concupiscat, quod committere veretur. Audi Salomonem dicentem: Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps, pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus eius penetrant, per semitam vitæ nõ ambulant, vagi sunt gressus eius & inuestigabiles. Nunc ergo fili audi me, & ne recedas à verbis oris mei, longè fac ab ea viã tuam, & ne appropinques foribus domus eius, ne des alienis honorem tuũ, & annos tuos crudeli. Præsentem voluptatem cũ futura pœna compara, & probabis consilium hoc quod offertur. Citò transit quod delectat, nullo fine concluditur quod cruciat. Sed fortàsse cauillaberis & dices, non tibi accessum interdici aliarum prætèrquàm meretricũ. At in iis quoque quæ pudicitiam præ se ferunt, blanda vox, mollis gestus, benignus Prou. 5.

nignus

nignus aſpectus, venuſta forma, & totius corporis tegumentorum non inelegans cultus, nónne impudicitiæ incitamenta ſunt? Ipſa quidem mulier caſta & continens eſt, ſed ſi multa quæ in illa conſpicis, ad turpes cogitatus prouocant, quomodo tutum te putabis, ſi ei adhæſeris? Ne quis tamen malignæ excuſationi detur locus, diſce non minus fugiendas eſſe pudicas quàm impudicas, illo ſaltem exemplo, quo Dauid ſecũdum cor dei electus, & pudica ſatis iudicata Betſa bee Vriæ vxor cõciderunt. Nulla hæc notabatur infamia, ille morũ ſanctitate non minus quàm regno nobilis erat. Hanc ſe lauantem tantum vidit & captus eſt, exarſit in concupiſcentiam, operéque impleuit quod concupierat. Nunquid tu illo ſanctior, vt tales fœminas non ſolum intueri, ſed etiam cum iiſdem colloqui, cum iiſdem conſidere & commorari, & fortaſſe ridentibus arridere non timeas? Ad hæc memento quod idem periculum veriti plerique fideles, & paternam domum ne inter mulieres verſentur, derelinquunt, & vrbibus excedunt, & ſola atque hominum cultu deſerta loca penetrant, ibi domino ſeruientes, quo ne nomen quidem fœminæ poſſit accedere. Si qua eos aliquando viſæ mulieris cogitatio moleſtat, noctes vigiles ducunt, orationibus iſtant, ieiunia frequentant, pectus pugno verberant, donec domino miſerante priſtina menti reddatur quies, & aduerſario in fugam conuerſo victoriæ ſuccedat ſolatium. Nihil iſti circa ſe conſpiciũt niſi rupes & ſyluas, nihil audiunt niſi rugitum ferarum & auium cantum & ſibila ſerpentum: tu te autem periculo liberum fore arbitraris quotidie inter fœminas conuerſando, illas intuendo, de illis fabulas audiendo, téque vltrò illarum aſpectibus offerendo, neque conſortia vitando, ſed nũc vocatus, nũc inuocatus domos cubiculáq; illarum adeũdo? Nõ eſt iſtud, crede mihi ſeruare caſtitatẽ, ſed proſtituere, non ſpiritui ſeruire, ſed carni: cùm ſcriptũ ſit, In medio

2. Reg. 12.

Eccle. 42.

medio mulierum noli commorari. De vestimēto enim procedit tinea,& à muliere iniquitas viri. Scut ergo vestimentis ac panno nihil est magis inimicum quàm tinea, ita nihil magis periculosum castis mentibus, quàm diuersi sexus coniuncta conuersatio. Bonum est mulierem non videre: quia qui viderit & concupierit, iã mœchatus est eam in corde suo. Bonũ est mulierem nõ tangere: quia qui tangit piscem inquinabitur ab ea. Quòd si in solitudine degentium mentes fœdis cogitationib⁹ interdum solicitentur, quomodo ibi castitas esse poterit secura, vbi vir & mulier vel eodem vsi fuerint contubernio vel si locis disseparantur, congressibus nõ abstineant? Si quando tamen necesse erit conuenire, & vtriusque præsentiam res egerit, tales testes arbitríque adhibeantur, quibus coram pudor erit vt loqui quod turpe sit, vel quod non liceat facere. Secreta enim colloquia tametsi crimine caruerint, criminis tamen suspicione non carebunt. Debemns autem prouidere bona non solum coram deo, sed etiam (vt Apostolus ait) corã hominibus. Cuius munda est conscientia, non præbeat alteri infamandi occasionem, ne in fratrem peccet.

De remediis aduersus tentamenta libidinis. Cap. 5.

POrrò cum fœminarum frequentiam conspectúmque fugeris, teipsum fugere non potes. Quocunq; locorum porrexeris, cum tua tibi carne pugnandum est. Caro semper ad voluptates prona, compellit hominem id cogitare, à quo mens Deo dedita abhorret & declinat, ne fortè dum carnali suggestioni assentitur, domino suo delinquat. Luctam istam vincere nõ poteris, nisi armis opportunis atque congruis fueris vsus. Arma igitur quibus carnis tuæ domanda petulantia

stantia est, ieiunia sunt solito crebriora, frequentiores preces, magis intenta diuinorum tractatuum lectio, & circa facienda opera corporis fatigatio diligentior. Cũ hoc telorum genere qui in prælium processerit, eius castitatis arcem, neque carnis fœda titillatio, neque diaboli callida machinamenta poterunt euertere. Primò igitur da operam, vt ieiunãdo de cibis potius quàm de lasciuia cogites, & venarum calorem temperes ventris vacuitate. Luxuriant enim corporis venæ pabuli repletione succẽsæ, & ebullire in libidinem affectant. Equos quoque ferocitate cogit obesitas, macilenti desinũt calcitrare. Quòd si Sodomitas & Gomorrhæos (vt scriptum est) saturitas panis & otium in abominandos p̃cipitauit coitus, & si hac ipsa de causa eiusdem criminis Iudæi arguuntur dicente domino, Saturaui eos, &

Iere. 5. mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur: nónne per ieiunium euitata saturitate scelus quod ab ea proficisci credimus simul vitabitur? Cæterùm cùm turpis libido dæmonium illud sit, quod non eiicitur (vt Saluator ait) nisi in ieiunio & oratione, orandum quoque erit, vt ipse in nobis castitatis virtutem protegat qui dedit. Iungantur igitur ieiunio preces, & quod ipsi per se præstare non possumus, à domino

Iudith. postulemus vt possimus. Iudith quæ Holophernem assyriorum ducem sua occidit manu, ieiunando simul & orãdo viduitatem seruauit, & inter inimicos tuta: Imò

Anna. etiam inimicorum victrix fuit Anna in Euangelio Phanuelis filia, & ipsa amisso viro perpetuam vouerat castitatem. Qualiter autem eam conseruarit, Euangelista

Lucæ. 2. declarat, dicens: Non discedebat de templo ieiuniis & obsecrationibus seruiens die ac nocte. Et quoniam casta permãsit, Christum natum videre meruit, & in paruulo intelligere mundi saluatorem. Facessat desidia, omnis abeat torpor, non est otiosorum ista virtus, multa vigilia, assiduo labore tuendus est thesaurus, quem

sup-

suppillare cupit caro, demoliri conatur diabolus & dissipare nititur mũdus. Ieiunio ergo & orationi succedat lectio, quæ te vel in aliorum lapsu cautiorem efficiat, vel in aliorum fortitudine continentiorem. Redintegratur animi vigor ad virtutum perseuerantiam, plenior'que infunditur gratia, quoties piè sanctè'que viuẽdi præcepta releguntur. Ibi iustorum præmia malorum'que pœnæ etiam segnes excitant ad colendam animi sanctitatem nequitiam'que fugiendam. Legẽdo itaque sacras literas, quibus talia continentur, in proposito bonarum actionum solidamur, non legendò reddimus imbecilliores. Apostolus ait: Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt. Frustra autem scripta essent, nisi etiam legenda omnibus proponerentur. Nolite (inquit) inebriari vino in quo est luxuria, sed implemini spiritusancto, loquẽtes vobismetipsis in psalmis, hymnis & canticis spiritalibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris domino. Qui ergo talia legere vel audire neglexerit, spiritu sancto impleri nõ poterit. Et quomodo castitatem seruare valebit, si spiritussancti auxilio fuerit destitutus? Porrò quid iucundius, aut quid optabilius, quàm dei sapientiam in scripturis audire loquentem, & illius doctrinæ inhærere, qui solus nec falli possit, nec velit fallere? Huius potissimum lectionibus delectetur, quisquis optimis verissimis'que vitæ institutis cupit proficere. Si tamen adhuc alia lex in membris tuis repugnauerit legi mentis tuæ, alijs insuper fatigationibus frangẽda tibi erit proteruitas carnis, aut humũ rastro fodias, aut holera in horto sitientia irriges, aut plantaria facias, aut canistra lẽtis texas viminibus, aut aptam igni materiam cædas, & sarcinas humero impositas baiules, & domum translatas vsui reserues. Denique semper facias aliquid operis, vt cum Apostolo dicere queas: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum aliis prędicauerim, ipse

Rom. 15.

Ephe. 5.

1. Cor. 9.

ipse reprob⁹ efficiar. Profectò nulla ei dominabitur voluptas, qui sic sibimetipsi imperare didicerit, Sic autē faciendo, siue centesimum cum virginibus, siue sexagesimum cum viduis fructum colliget, atque angelis qui in cœlo sunt, par similisque erit.

De matrimonio. Cap. 6.

NVnc locus postulat, vt de matrimonio aliquid in medium proferamus ne quis culpam putet vxorē ducere, cum etiam coniugatorem virtus sit pudicitiam colere, liberos bonis artibus instruere non voluptatis gratia, sed generandi affectu copulari: nihil dicere aut facere, quod ex ipsis natos nō deceat imitari. Quādoquidē paruulorum simplicitas nullius operis est magis æmula, quàm quod à parētibus viderit factitari. Discant igitur coniugati quid ipsis apostolica præcipiat disciplina. Nam sicut misericors deus vult omnes homines ad salutem peruenire, ita apostoli Christi cuiq; hominum conditioni monstrare conati sunt quomodo

1. Cor. 7. saluarentur, quorum Paulus diuina spiritualique scientia in primis præditus ait: Si acceperis vxorem nō peccasti: & si nupserit virgo, non peccauit, quinimo vt ostendat etiam in coniugio esse aliquid boni, Qui matrimonio, inquit, iungit virginem suam, bene facit. Nihil enim ab ipso rerum autore deo constitutum est, quod non bonum sit, licet aliud alio melius atque perfectius. Tunc autem primùm nuptiæ ab eo constitutæ sunt, cū masculum creasset & fœminam, benedicensque ipsis dixisset. Crescite & multiplicamini & replete terram. Qua quidem in re hoc quoque obseruandum, quod nō ad voluptatem vocati sint, sed ad liberorum procreationem, vt crescant videlicet & multiplicentur, tametsi fieri non potest, ne qua intercedat voluptas, non tamen in ea nuptiarum finis esse debet, sed in fœtu multiplicando, quemadmodum benedictio præscripsit diuina. Et

uina. Et cum ita sit, audeo dicere, Scortator, non maritus est, quẽ magis coire quàm generare delectat, & mulier ipsa scortum, non vxor, quæ libidine magis gaudet quam fœtu. Porrò fœdera matrimonij perpetua esse oportet. Quos enim deus coniunxit, homo non separet. Erunt (inquit) duo in carne vna. Itaque præuaricatur vir quoties aliam appetit, & mulier quoties alium suspirat. Caro enim quæ vna esse debet, in duas distrahitur, cum pellex aut mœchus adamatur. Sit igitur honorabile connubium (vt Apostolus inquit) & thorus immaculatus, vtque contaminari illicito amore timeas, addit. Fornicatores enim & adulteros iudicabit deus. Viros quoque præesse vxoribus debere testatur alibi, dicens: Mulieres viris suis subditæ sint sicut domino. Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput ecclesiæ. In Genesi quoque primæ mulieri dictum legimus à domino, Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Cæterum sicut Christi & ecclesiæ sancta est coniunctio, ita viri & vxoris impolluta sit copula oportet, vt nec ipse aliam sponsam, nec ipsa alium desideret sponsum, & suspicionem etiam caueant minus fidi inter se amoris pactique violati. Neque enim coram Hymenæo vel Thalassio inter se pepigere, vt vana solebat gentilitas, sed vt decet fideles, deo verò inuocato. Christoq́ue teste & ecclesia. Nihil magis ratum esse debet, quàm quod his accitis ac præsentibus, piè iusteq́ue fuerit promissum. Deinde idem Apostolus paucis verbis multa complexus, Vxori (inquit) vir debitum reddat, similiter aũtem & vxor viro. Debet quippe alter alteri fidem, debet charitatem, debet honorem, pudorem, pacem, atque concordiam. Talia si intercesserint, exolui ab his quod debetur manifestum est. Oportet autem in eo quidẽ reddi debitum, ne alteri generationis operam exigenti alter deneget, Sequitur enim. Mulier sui corporis

Hebr. 13.
Ephe. 5.
Gene. 3.
1. Cor. 7.

corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autẽ & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Hinc ait: Nolite fraudare inuicẽ, nisi fortè ex cõsensu ad tempus, vt vacetis orationi. Quare hoc, nisi ne fortè illius qui consentire noluerit, concupiscentia periclitetur: & dum licito coitu nequit vti, ad illicita desideria declinet? Quamobrem post continentiæ quoque consensum hortatur, vt iterum in idipsum reuertantur, atque addit: Ne tentet vos sathanas propter incontinentiam vestram. Sed quod suadet metuens, ne voles iubere videatur, ait: Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundũ imperium. Volo autem vos omnes homines esse sicut meipsum, id est, cœlibes, continẽtes, castos, & à seruitute coniugalis necessitatis prorsus alienos. Atque ita aliud est quod indulget propter incontinentiam, aliud quod vult propter vitæ perfectionem. Vt ergo fornicationem fugias, vtere coniuge, sed si ambo ducimini studio præstantioris virtutis, vtere castitate. Alterum enim carni seruire est, alterum spiritui, & qui in carne seminat, de carne & metet corruptionem, qui verò seminat in spiritu, de spiritu metet benedictionem.

De viri uxorisque officio.

Cap. 7.

MEminerint præterea vxores reuereri maritos, priorem honoris locum eis cædere, eorũdemq; subdi imperio. Id quidem exigit & authoritas diuina, vt dictum est, & apostolicum præceptum, & lex ipsa naturæ, cum etiam inter gentiles & à religione nostra alienos constet, viros quàm fœminas honorabiliores esse atque liberiores. Ne quis tamen vxores sic contemptè vtatur vt serua, Petri Apostoli mandatum est,
1. Pet. 3. quo monet ipsis etiam impartiri oportere honorem

tanquam

tanquam cohæredibus gratiæ vitæ. Et in Malachia est scriptum. Vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. Socia thori tibi est, & domesticæ gubernationis curæque consors, & communium liberorum parens, non de capite educta, ne imperet, nec de calcaneo, ne cõtemnatur, sed de costa formata, vt inter vtrunque media habeatur, & secundo loco post patremfamilias in domo honoretur. Illa obtemperet viro, ei autem reliqua familia subiecta sit. Illa sicut Sara Abraham, ita virũ vocet dominum, eam verò reliqui dominam appellent, & veluti dominæ pareant atque obsequãtur. Porrò vt tali honore dignam se non tam autoritate quàm moribus ostendat, sit fidelis vt Michol, quæ ne patri quidẽ, & eidem rex obsecuta est vt virum proderet, Nam sicut de viro dicitur, propter hoc dimittet homo patrẽ & matrem, & adhærebit vxori suæ, ita & mulier debet adhærere viro, vt nec amore parentum, nec timore regũ fidem deserat. Sit prudens vt Abigail, quæ iratum viro suo Dauidem animi sagacitate placauit, ita postea marito viduatam ipse Dauid sibi elegerit vxorem, sola fœminæ solertia delectatus. Quæ talis fuerit, etiam viri partes agat in domo, si ille minus integræ mentis erit, reuerentiam tamen exhibeat vt maiori: & sic omnia faciat, quasi ille imperarit. Sit pudica vt Susanna, quæ coniugij fide seruata malebat mori, quam amissa viuere, sed tam sanctum fœminę propositum cum nosset dominus, & ab accusatorum infamia purgatam, & à mortis periculo liberam reddidit. Sit patiens & humilis vt Anna Helcanæ coniunx: quæ cum sterilitatis exprobrationem æquo animo tulisset, mater esse meruit Samuelis, qui & iudex populi extitit & propheta. In hac itaque vnica prole multo felicior fuit, quàm illa in multis, cuius procacitate incessabatur, Sit in omnibus quæ honestè fieri possunt, obediens viro, vitetque Vasthi reginæ insolentiam quæ cum Assueri Persarum regis ma

Malac. 2.
1. Reg. 18. Michol.
1. Reg. 25. Abigail.
Susanna.
Anna.
Vasthi regina.

riti sui imperium contempsisset, diuortio mulctata, desiit esse quod erat & de fastigio publicæ dignitatis in ordinem corruit priuatarum. Deponit enim deus superbos de sede, & exaltat humiles. Licet autem non sit locus repudii, turpissimum tamē est, repudio dignam videri. Sit preterea diuinę rei studiosa, & ad preces deo

Sara. offerandas prompta, vt Tobiæ coniux Sara, quę antequàm coniugalem operam iniret, triduum cum illo in oratione perseuerasse traditur: & ambo quidem felicē connubij euentum habuerunt, eo quòd initia illius domino consecrassent. Sit postremo in incessu modesta, grauis in aspectu, in sermone verecunda, simplex in ornatu, & in his rebus quæ foris videntur ostendat qualē intus qui non videtur animum gerat. Impleat etiam

Phile.2. quod Apostolus Philemoni discipulo vt adolescentulas doceret, scribit. Vt videlicet viros suos ament, filios diligant, sint prudentes, castæ, sobriæ, domus curam habentes, benignæ, subditæ viris suis. Exęquatur & quæ

1.Petr.3. princeps apostolorum Petrus partim prohibeat, partē imperet, dicens: Quarum sit non intrinsecus capillatura aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu dei locuples. Ne quis tamen sordes & illuuiem conuenire vxoribus honestis credat, rursus Paulum audiat Ti-

1.Timot.2. motheo dicentem: Mulier orare iube in habitu ornato cum verecundia & sobrietate, ornantes se, non in tortis crinib⁹, aut auro, aut margaritis, vel veste preciosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. Exclamarem in nostrarum comendi componendi'que se luxuriam fœminarum, & in ipsarum immodicos ornatus inueherer (sunt enim quę totum censum insuunt in vestibus, inserunt in monilibus, gestant in digitis, & vt carnem suam deuitent, maritos egere cogunt) sed si domini apostolica'q; pręcepta, quæ sæpe in eccle-

siis præ-

ssis prædicari audiunt, non obseruant, & me quidẽ clamantem irridebunt. Satius est igitur attoniti oris silentio intemperantiam earum incusare, quam verborum increpatione frustra velle corrigere. His autẽ quas interior magis quam exterior cultus iuuat, satis erit: non me, sed quorum dicta in medium proposui, audire.

De coniuge diligenda temporéque continendi. Cap. 8.

QVod autem viros respicit, videlicet nõ oportere cõtemni vxores, dictum est supra, sed vt euidentius ea res constet, dicemus nunc qualiter ipsa vxor diligenda sit, deinde etiam continendi tẽpora indicabimus. Paulus apostolus: Viri, inquit, diligite vxores vestras sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illã sanctificaret. Et paulo post: Ita viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua, qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Et alibi idem ait: Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Ephe. 5. Coloss. 3. Diligere quidem iubemur & proximos sicut nosipsos. Qui tamẽ proximum diligit, alterum diligit: qui vero vxorem diligit, seipsum diligit, cum vir & vxor vna caro sint. Tanto igitur intentius diligatur vxor, quantó magis proxima est. Quid autẽ proximius, quàm duo in carne vna? Dilectionis præterea ordo exigit, vt primo loco nobisipsis optemus bona: secundo, proximis. Primo igitur loco etiam vxor amáda erit, aut si quis inter primùm & secũdũ esse potest medius. Ambo autẽ gignendæ prolis causa inter se coëant, non explendæ libidinis affectu. Alterum legitimè coniugatorum officium est, alterum turpiter lasciuientium immunditia. Ambo etiam obseruent continendi tempora, dicẽte Salomone: Tempus amplexandi, & tẽ- Eccle. 3.

pus longè fieri ab amplexibus. Tunc igitur à coniugij opere venereæque voluptatis vsu continere sese debēt coniugati, cum ciuitas opprimitur calamitate, ne communi malo aliis tristantibus ipsi gaudere videātur. Sic
Iohel.1. enim in Iohele propheta imminente captiuitate ad Iudæos dicitur: Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Ad menstruatā quoque vxorem ac-
Leuit.15. cedere lex vetat, nec concepti fœtus vitiū corrupti san
Leuit.18. guinis trahant, & morbosi liberi saniéque cōfecti nascantur. Videant igitur vir & mulier ne coitus desiderio victi, menstruorum tempore congrediētur, ne plus molestię accipiant ex naturę fœditate quàm ex concubitu voluptatis, sed neque illo die coeant, quo rem diuinam facturi sunt, tunc enim facilius quod poposcerint impetrabunt, cum casti puríque ad supplicandum deo
1.Cor.7. processerint. Hoc sanè præcipit Apostolus, dicēs: Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Tunc etiam magis accingant lumbos suos zona castitatis, cum sacrosancto corpori & sanguini domini erunt communicaturi, vt quod in typo agni paschalis pręcipit, in vero agno qui abstulit peccata mundi, impleatur. Plebi vocem domini die perendino auditurae per Moysen iniungitur, ne appropinquēt
1.Reg.21. vxoribus, & Dauidi atque iis qui cum illo erant, panes propositionis ne esuriētibus quidem dati fuere, nisi cū se mundos à mulieribus ab heri & nudiustertius confessi sunt. Quid autem sanctius illo panè qui de cœlo descēdit? Quod ergo præcesit in figura obseruetur in veritate, & hoc quidem ex consensu, vt enim se contineāt coniugati, non alterius arbitrij est, sed amborum.

De coniuge eligenda. Cap. 9.

VT autem concorditer ac sine querela procedant nuptiæ, par conditio quærendā erit in coniuge, generis atque fortunæ. Iurgiorum causa esse consueuit

fuerit disparilitas. Idcirco vir nobiliorem se aut opulẽtiorem non ducat, ne pro vxore patiatur dominã. Mulier quoque plebeia & vulgaris parum'que dotata non nubat prȩstantiori, ne fortè non vxoris loco habeatur, sed ancillæ. Quod si etiam inter æquales frequẽter incidunt contentiones & lites & dissidia & simultates, quanto magis hoc timendũ est, vbi alter maiorum suorum iactet titulos, ostentet stemmata, opibus glorietur & multo fastu inflatus arroganter incedat: alter verò nihil horũ habeat quo se illi exæquare possit, aut iniuriæ obiectæ, vilitatis propulsare? Caueant igitur tam viri quàm fœminæ matrimonio copulandi, ne fortè dum coniugij iugum se subire credunt, iugum subeant seruitutis, & si bene recte'q; sibi consultum volunt, audiant versiculum illum à pueris in schola, in foro, in omnibus compitis ventilatum:

Si voles aptè nubere nube pari.

Sed neque nimis formosam ducendam esse aiunt, nec nimis deformem, ne vel hanc habeas despectam, vel illam suspectam. Ea ergo placeat, cuius media inter istas erit species, vt nec multos allicere, nec tibi non grata esse possit, ac proinde vtriusq; vestrum & pudicitia tutior maneat, & animus omni sublata suspicione tranquillior, & ad mutuam propensior charitatem. Neque enim illi concorditer queunt pacifice'que viuere, qui inter se de connubij fide dubitant, & zelotipiæ vitio vel maritus mœchum, vel vxor pellicem imaginatur ac timet.

De filiorum educatione familiá-que regenda. Cap. 10.

POst hæc optimos habere liberos gloria est parentum. Patris igitur matris'que erit officium, vt se genitos non ad luxum, sed ad modestiam educare,

non blanditiis emollire, sed castigationibus cohibere piè religiosé'que instituere, plectere si deliquerint, laudare si benè obtemperanter'q; se gesserint. Increpationibus, minis, verberibus à vitio deterrere, exhortationibus ad virtutem promissis'que accendere, exempla vitæ alienæ, alia quæ fugiant, alia quæ imitentur proponere, magis de moribus ipsorum quàm de sospitate solicitari. Reliquam quoque familiã ita gubernare, vt eorum qui domi sunt, sobrietas, parsimonia, frugalitas; testimonium sit integritatis industriæ'què dominorum. Super omnia autẽ omnes domestici, siue liberi sint, siue serui, doceantur deum timere, proximos diligere, nemině odisse, nulli nocere, benè omnibus optare, & cui possunt benefacere, iniuriæ non meminisse, sed pro malo bonum reddere. Magni profectò meriti apud deũ erit, talem se in educandis liberis regenda'que familia exhibuisse, sicut econtrario præcipuæ indignationis atque odij neglexisse, & patris vel matrisfamilias personam gerendo suum non obiuisse officium. Ait enim beatus

1. Timot. 5. Apostolus: Si quis suorum maximè domesticorum curã nõ habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Quod si par crimen est, fidem negare, & eorum quibus præes paruipendere salutem, nónne par erit & criminis vindicta pœna'que commissi? Quisquis igitur alios regendi officium suscepisti, caue maximè ne otio atque ignauiæ deditus illud fastidias, néve gregem cuius es pastor lupis laniandũ dimittas & perditæ ouis sanguis de manu tua requiratur. Corripe delinquentes, instruè ignaros, ꝓtege infirmos, liberare cõtende periclitãtes, indigentibus victui necessaria cõpara, deniq; si præmio nõ duceris, pœnã time, quæ illis debetur, qui fidẽ negarũt.

De fornicatione vitanda. Cap. II.

ET quoniam matrimonio prętulimus viduitatem, viduitati virginitatem, nihil'que horum malum esse di-

esse diximus, contraria quoque in medium producēda sunt, vt vitij fœditate offensi, cupidius virtutibus incumbamus. Virginitatem amittere, quid est aliud nisi ab ipsa angelicæ cōditionis celsitudine ad nostræ mortalitatis humilitatem descendere, & cum spiritu cœperis carni finiri? Similis angelis eras virgo dum nescires corruptionē, iuncta es viro honestis nuptiis, fateor non peccasti, facta es tamen de spiritali carnalis, de cœlesti terrena, de auro purissimo æs vilissimum. Iam non potes venienti Christo sponso cum lampade accensa occurrere, nec inter sponsas eius censeri, virginū ille sponsus est, non corruptarum amator. Et licet non repellat coniugatos coniugij iura seruantes: primo tamen loco habet virgines (vt dictum est, secundo, viduas: vltimo, maritatas. Quod de altero sexu dicimus, de vtroq; sentimus. Prior est apud deum qui fœminam nescit, deinde qui post cognitam castitatis votum suscipit, postremo ille qui gignēdæ prolis gratia matrimonio seruit, & pudicitiam atque charitatem genitali thoro debitā colit. Hæc sunt tria illa hominum genera, de quibus in Euāgelio dicitur: Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur: duæ molentes in mola, vna assumetur & vna relinquetur. Virginū primus ordo mihi videtur. Virginitas in agro moratur puritatis inter nitentia intacto candore lilia, & Christum dominum inuocat, dicens: Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum. Continentium secundum esse censeo, qui carnem suam terunt mala ieiunij, vigiliarum, precum, honestiq; laboris, subdentes eam spiritui, vt panes mundi efficiantur deo offerendi. Sed vt noscamus quantū hi à virginitatis gradu distēt, sub sexu minus nobili proferūtur, dum dicitur duo molentes, nec tamen ideò coniugatis inferiores, quāuis nō duę, sed duo de illis dictum sit. Quia virginum quidem & cōtinentiū inter se habilis congruaq; cōparatio est.

Virginitas.

Matth. 24.

Coniugati autem non his conferuntur, sed incontinentibus potius, iuxta Apostolicum illud: Melius est nubere quàm vri. Nubere itaque bonum est, quia vri & ad illicitos ardere amplexus malum est. Duo igitur in lecto vno sunt, qui matrimonio copulantur, vt sint duo in carne vna, & lectulum nõ diuidant prauo desiderio amoris alieni. Cæterũ, quia nec virginibus castitas, nec viduis continentia, neque coniugatis proderit pudicitia, si mandata dei perficere neglexerint, ideo dicitur: vnus assumetur & vnus relinquetur. Quilibet enim ordo in duo erit diuisus: alius habebit eos qui saluabuntur, alius qui peribunt, saluandi obuiam Christo assumentur in aera: damnandi autem relinquentur in igne cum diabolo cõmissa luituri. Quod si ne virgines quidem, quæ fatuæ erant, intrare beatitudinis ianuam potuerunt, quomodo intrabunt scortatores, adulteri, libidinibus die noctuque seruientes? Si, inquam, neque continentibus, neque matrimonij fidem seruantibus parcitur, cum illa quæ iussa sunt, contẽpserint, quanto acrius torquebuntur, qui continentiam quoq; stupris polluerunt, vel qui coniugij sanctitatem adulterij nequitia

Apocal.22. profanarunt? Christus in Apocalypsi iratus, clamat: Foris canes & venefici & impudici, & tu te ab eo suscipiẽdum speras, qui post continentiæ votũ ad libidinis pristinæ sordes reuerteris, vt ad vomitũ canis, & insipientes mulierculas blanditiis donisque illicis, quasi incantationibus veneficus, & in omnem impudentiam præceps fereris, vt obscœnæ appetitioni morem geras? an ideo fortasse negligẽtiores, quia quos foras exigi audis, solo beatitudinis fructu carituros putas? At hic idem,

Apocal.21. cuius iudicia firma rataque habentur. Alibi ait: Fornicatorum partem cum veneficis idololatrisque futurã, in stagno ardẽti igne & sulphure, quod est mors secunda. Non solum igitur beatitudinis possessione priuabũtur, verumetiam suppliciis, nunquam finiendis tradentur. Hoc

tur. Hoc quàm verum fit manifesta multorum exempla docent. In quibus Sodomam & Gomorrham libidinibus ardentem ardentior de cœlo pluens flamma consumpsit. Zambri Israëlitæ cædes & Madianitidis meretricis cui ille se coniunxerat, deum populo iratum placauit. Lex quoque adulterij conuictos lapidibus obrui iubebat. Et licet postea clementissimus dominus legis rigorem Euangelij gratia temperarit, indamnatam dimittendo adulteram, ne pœnitentibus adimere spem videretur salutis. Vade tamen, inquit, & noli amplius peccare, ne quid grauiꝰ tibi cõtingat. Grauius est enim in abyssum inferni detrudi, quàm lapidum ictibus interimi, & animæ quàm corporis pati mortem. Resipiscite igitur impudici, redite ad cor fornicatores, exurgite de stercore meretrices, dum licet, dum pœnitentię superest tempus, ne post hac tristius vobis acerbiusque contingat, quàm Sodomitis, quàm Gomorrhæis, quàm Zambri & Madianitidi scorto, quàm denique est illud quod in puniendo adulterio lex decernit, Nihil enim terribilius dici aut excogitari potest, igni inextinguibili, tenebris exterioribus, verme immortali, perenni fletu, nunquam quieturo dentium stridore, pœnisq; illis, quarum grauitas neque intermittenda, neque eleuãda, neque seculis vllis vnquam speratur finienda. Quorsum igitur illa mortiferæ cupidinis fomẽta, amatorias missitare tabellas, delinificis blandiri verbis, nutu, nictu, sibilis allicere, comere caput, vestimenta componere, fores obsidere aliorum, ludis interesse, choreis, cantibus, sonis, iocis, diem consumere, modis omnibus effœminari ac mollescere? Quorsum etiam tot ornãdi corporis instrumenta, speculum, pecten, volsellæ, calamistrum, discernicula, bullæ, crepitula, segmenta, inaures, monilia, armillæ, anuli, reticulæ, vitæ, margaritæ, lapilli, quæ enumerare nedum æstimare difficile est? Quorsum postremo ad fucandam faciem purpurissum & cerusas

Sodoma Gomorrha. Zambri

Ioan. 8.

rusa? ad erugandam atque emaculandam alia quædam smegmata, mangonumque linitiones? Quid, hoc est, nisi propriam pudicitiã prostituere, & vim inferre alienæ, & nullum omnino obscœnitatibus modum imponere? Mittite ista quæso, qui tam insipienter excidistis, & ad mentem reuersi tandem aliquando cogitate, an tanti sit breuis ac momentanea corporis voluptas, vt propter illam vel bonum infinitum castitati propositum cõtemni debeat, vel infinitum malum impudicitię paratum nõ timeri? Cogitate, inquam, quæ secutura sunt, vt his quæ instant libentius abstineatis. Haud facilè præsentibus delinitur, qui quotidie pensitat futura.

De triplici eleemosynarum genere. Cap. 12.

SAtis ista de castitate ac pudicitia, nunc magis proximam charitati virtutem explicabimus, erga egenos liberalitatẽ. Domini nostri, cuius omnia sunt, præceptum est: Qui petit à te, da ei, & volenti mutuari abs te, ne auertaris. Aliorum inopiæ tua succurrat opulentia, vt obedias deo. Et licet iuxta alium euangelistã dictum sit: Omni petenti te tribue, non iuberis tribuere omnia, sed omnibus. Rem malè petenti, da cõsilium ne petat, iustè petenti pauperi, da quod petit, si potes: si id non potes, da excusationem: & verbis consolare miserum, si nequeas auxilio. Atque ita omni petenti dabis aliquid, cum dederis, quod & te dare deceat, & illũ accipere. Eadem ratio erit mutui præstandi. Neque enim mutuandus est gladius irato, neque clauis furi, neque equus latroni, neque nauis piratæ, neque pecunia aleatori, neq; musicum instrumentum impudico amatori. Mutuum ergo da, non ei, qui animo malè aliquid agendi poscit, sed qui petit quod & sibi prosit, & nemini noceat. Quod si nec à malè postulantibus auerti volueris admone vt à malis resipiscant & ad bonum conuertantur. Et

Matth. 5.

Lucæ. 6.

tur. Et hoc quidem magnum mutuum erit, si te hortāte corrigentur. Mutuū, inquit, date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Estote ergo misericordes sicut & pater vester misericors est. Mutuum istud eleemosyna est, quæ non ab eo restituitur qui accipit, sed qui præcepit, qui dat pro modicis magna, pro temporalibus sempiterna & eos regni cœlestis facit hæredes, qui sui terreni patrimonij partē impendunt pauperibus. Qui enim miseretur pauperis, fœnerat deo. Sed etiam qui miserendo mutuum dat, nec aliquid prçterquàm quod mutuatum est exigit, miserationis quidem suæ capiet mercedem, maiorem tamen ille, qui nihil ab homine repetit vt à deo recipiat, qđ ab ipso promissum esse non ignorat. Sed antequàm eleemosynarum rationem atq; meritū demonstremus, docebimus eleemosynam aliam fructuosam esse, aliam inutilem, aliam verò reprobam & exetrandam. Fructuosa est de qua loquimur, quamq; tractare instituimus, quç verè eleemosyna dicitur à miserando trahens vocabulum, vt verè non simulatè miserantiū sit, nec vertentium in vitium virtutem, veluti ex his quæ dicentur, facilè patebit. Illa autem inutilis est eleemosyna, qua nō dei, sed hominum gloria quæritur: qua scilicet non in occulto cōscientiæ fit, vt ei placeat qui videt in occulto: sed in publicū profertur, vt vulgi potiꝰ captet plausum, ac fauorē sibi cōciliet spectatorū. Ait autē dominus: Attēdite ne iustitiā vestrā faciatis corā hoibus, vt videamini ab eis. Alioq mercedē nō habebitis apud patrē vestrū qui in cœlis est. Pulchrū additū est, vt videamini ab eis. Quod docemur, non hominum conspectum fugiēdum esse, sed laudis humanæ appetitū. Quē qui sequitur, cum multa donauerit, quid aliud pro rebus dilargitis recipiet, nisi vanæ commendationis verba, quibus aures demulceat, & animo nihil conferat cō-

modi

Ibidem.

Proue. 19.

Eleemosyna bona.

Eleemosyna inutilis.

Matth. 5.

modi? Quinimo illi etiam qui laudant, si causam largitatis nossent, vituperarent, vt inanis gloriæ auidum, & non vt pietatis in egenos cultorẽ. Cùm ergo facis eleemosynam, noli, inquit, tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & vicis, vt honorificentur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Dextera ad virtutem refertur, ad vitium sinistra. Non ergo se misceat vitiosa laudis appetitio rectæ synceræque eleemosynarum operationi. Quod cum caueris, videant in te homines, vnde deum laudent, vnde virtutis exercendæ exemplum trahant, aut si illi non viderint, satis tibi sit, eleemosynam tuam neque angelos latuisse qui tibi congratulabuntur, neque deum qui relaturus esset præmium. Sed neque illorum vtilis aut accepta erit apud deũ eleemosyna qui cum peccata nõ deserant, ea redemptum iri se existimant: quasi verò porrecta stipe corrumpi posit deus, vt scelera non puniat. Quamobrem autem alia imperaret, si ad salutem sola eleemosyna sufficeret? Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas miserationibus pauperũ, hoc pœnitẽtiam agere volenti dicitur, non in flagitiis obdurato. Sicut aqua extinguit ignẽ, ita eleemosyna extinguit peccatum. Sed vt aqua extinguat ignem non addis ligna, non suffles prunas oportet, alioqui crescenti incendio consumetur humor victus maioris flammæ calore. Ita nisi peccare cessaueris, eleemosynis redimi non poteris. Eleemosyna benignitatis est virtus, virtutis autem nomine indigna esset, si vitiis faueret, si licentiam peccandi præstaret. Porrò, quia virtus est, non delinquentes adiuuat, sed pœnitentes emundat. In Ecclesiastico est scriptum: Dona iniquorum non probat altissimus. Ipse etiam dominus in Amos propheta obstinatis &

Matth. 8.

Daniel. 4.

Ecclesi. 34.
Amos. 5.

natis & in crimine perseuerantibus ait: Holocaustomata & munera vestra non suscipiam, & vota pinguiũ vestrorum non respiciam. Nemo igitur impune se peccare existimet, quia multa largitur pauperi Primùm esse debet, deum non offendere: Secundum, hominis inopiæ subuenire. Quod si etiam istud, vt obediamus deo, facimus: cur in cæteris parere recusamus, in vnò fideles, in aliis infidi? Ille in Euangelio clamat: Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cœlorum. Et tu tibi appropinquaturum speras, non agendo pœnitentiam, sed porrigendo eleemosynam? Dimitte iam tandem errorem istum, ne tibi magis quam aliis credens, pereas. Et Iacobi apostoli sententiæ adhęrere incipe, dicentis: Religio munda & immaculata apud deum & patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulationibus eorũ. Ac ne mutila esset & imperfecta definitio, adiunxit: Et immaculatum se custodire ab hoc seculo. Sit igitur liberalitati iuncta iustitia, vt religio munda apud deum & immaculata sit. Reproba verò & execrabilis est eleemosyna, quę ideò fit, vt vel aliquid callidè extorqueas, vel aliquem seducas, & quasi piscator hamum sub esca latentem porrigas. Auaritiæ ista liberalitas est & fraudis, non miserationis & beneficẽtiæ. Hac Simon magus spiritus sancti donum emere voluit, & non quam petebat gratiam sed quam nolebat maledictionem recepit. Talem eleemosynam captator senibus iamiam morituris impartit, dum hęredem sese subscribi affectat. Talẽ corruptor simplici mulierculę largitur, vt ipsam suę libidini cõsentire compellat. Quicquid autem mali finem habet, malum sit necesse est. Nunc ad id quod proposuimus, nostra redeat oratio, vt de veræ eleemosynę ratione atque fructu differamus.

Iacobi. 1.

Eleemosyna mala.

Simon magus.

Quibus dãda est eleemosyna. Cap. 13.

Omne

OMne beneficium quod necessitatem patienti misericorditer impenditur, eleemosyna est. Paupertate grauatos, cibo, potu, tegumentis, tecto iuua. His enim præcipuè indiget paupertas. In Deuteronomio scriptum est: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi. Et in Isaia: Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnē tuam ne despexeris. Et in Euangelio: Si vis esse perfectus, vēde omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me. Et qui habet duas tunicas, det alteram non habenti. Illosque ad cœnam dominus præcipit inuitandos, quibus deest referendæ gratiæ copia, vt non ab iis remunerationē, sed à deo expectes. Parum vel nihil facit lucri qui tribuit diuiti: & licet multo plura receperit quàm dederit, nihil tamen ad illud, quod à domino tribuendum speratur. Ideò & Zachæus dimidium bonorum suorum pauperibus obtulit, non diuitibus, & salus domui suæ facta est, Christo hospitium eius ingresso. In eos tamen qui relictis contemptisque omnibus Christum sequuntur, magis beneficos nos esse oportet, vt cum dei serui nos commendauerimus, melius de deo mereamur exemplo Apostoli, qui ait: Nunc proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis. Idcircò alibi hortatur, dicēs: Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. De quibus ipse dominus ait: Quod vni ex his minimis, qui in me credunt fecistis, mihi fecistis. His æra conferri siue res quibus indigēt iubet Apostolus, ita ad Corinthios scribens: De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui in ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite per vnam sabbati. Hos autem non solum rebus iuuandos esse, verumetiam honore prosequendos docet, cum ait: Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborāt in verbo & doctrina. Dicit enim

Deute.15. Isai.58. Matth.19. Lucæ.14. Lucæ.19. Roma.15. Galat.6. Matth.25. 1.Cor.16. 1.Timo.5.

scriptura: Non alligabis os boui trituranti. Et: Dignus est operarius mercede sua. Propterea rursum ipsis Corinthiis confidenter loquitur: Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si carnalia vestra metamus? & ad discipulos à saluatore dicitur: Qui vos recipit, me recipit: quod non modo de religione quam prædicarunt intelligendum reor, verumetiam de vitę sustentamentis, quibus indigebant. De his igitur præcipua cura tibi sit, vt cum erga vitæ præceptorem liberalis munificus'que fueris, multorum saluti consulas, quia eius doctrina & institutis erudiuntur ac proficiunt. An Abdiæ Achabi regis dispensatori etiam cum capitis sui periculo non fuit graue, centum ex prophetis, quos Iezabel impiissima persequebatur, neci subtrahere, in speluncis abscondere, cum'que fames esset, suis impensis pascere? & tibi molestum erit, si vni sancto aut alteri necessaria obtuleris, quæ non illis oblata, sed sibi computat ipse qui facit sanctos, & pro eleemosynis tam modicis ęterna se repensurum bona pollicetur? Cęterum, etiam ecclesiis conferenda beneficia sunt, vt qui altari seruiunt, his vtantur. Si quid superfuerit, aliis dispensent, aut in ædificiis deo dedicandis impendant. Sic fecit Dauid, sic Salomon, sic Esdras sacerdos. Præterea quoties ciuitas annonæ caritate laborat, aliáue rerum molestia affligitur, plebi succurrendum esse à potentioribus docent, Ioseph Aegyptiis distribuens frumenta, Ezechias & Iosias offerentes pro regno, pro sanctuario, pro Iuda tauros, arietes, oues, hircos, vt eis quibus præerant miserendo, ipsi à suo præside deo misericordiam consequerētur. Docuit hoc & saluator noster, hominū multitudinem pascens in deserto, nolens dimittere ieiunos, ne deficiant in via. Et certe non humanus, sed ferinus est qui multos perire patitur, cū multos potest sua ope liberare. In peregrinos etiam seruāda est humanitas. Cum enim mortaliū vna origo sit, vnus author & dominus

1. Cor. 9.

3. Reg. 18.

dominus omniũ, nemo nobis extraneus habeatur, nemo alienus. In suscipiendis ergo peregrinis imitemur patris Abrahæ atque Loth liberalitatem, qui sedentes in foribus ciuitatis, aduenas vt ad se diuerterent rogabant, & qui tam benignè homines acceptauerãt, digni fuere hospites fieri angelorum. Imitemur Iob, qui calamitatem suã hospitalitatis antè actæ recordatione cõsolabatur, dicens: Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Imitemur Sunamitem illam magnam quæ cœnaculum fecerat, vt quoties Elisæus propheta Sunam trãsiret, inuitatus in eo susciperetur. Ob hoc cum virum senẽ haberet, & ipsa esset sterilis, orãte Elisæo, meruit esse masculæ prolis mater, & cum defunctum filium lugeret, vitæ restitutum recipere atq; consolari. Imitemur Marthę solicitudinem, quę digna fuit hospitio suscipere Christum. Imitemur postremo duos illos de Euangelio, qui Christũ sub peregrini specie latentem, pertransireque volentem, ad suum diuertere hospitium coëgerunt. Longè quidem illis dissimiles qui ita submissè lenteq; inuitant, vt appareat, optare se ne veniant quos inuitarint, vellèque videri, sed nõ etiam esse hospitales. Hi verò qui peregrinum, vt apud ipsos maneret, coëgisse dicuntur, cognoscere meruerũt Iesum, & caligine oculorum ac mentis detersa resurrectionem eius læti videre, quem lugebant crucifixum. Ad hæc in Exodo est præceptum: Aduenam non contristabis, neque affliges eum. Et in Leuitico: Si habitauerit, inquit, aduena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos nõ exprobretis ei, sed sit inter vos quasi indigena, & diligetis eum quasi vosmetipsos Et in Deuteronomio: Peregrino qui intra portas tuas est, da vt comedat aut vende ei. Vende si illi superest pecunia, si deest, da. Grandis, inhumanitas est, vitæ necessaria quærenti nolle saltem vendere. Cauenda vehementer cordis ista duritia est, ne nobis obiici possit, quod prȩter alia Hierosolymæ

[Margin notes: Abraham. Loth. — Iob. 31. — Sunamitis. — Martha. — Discipuli. Lucæ. 24. — Exodo. 22. Leuit. 19. — Deuter. 14.]

ſolymæ mox vi hoſtili euertendæ per prophetam Eze chielem exprobatur, Aduenam calumniati ſunt in me-dio tui, pupillum & viduam contriſtauerunt apud te: Quod ſcelus profectò niſi maximũ foret, inter cauſas tã ti excidij non poneretur. Præterea morbo aliquo affe-ctis opitulari, & ægrotantibus aſſidere, eleemoſynæ ge nus eſt, de quo in Leuitico dicitur. Si attenuatus fuerit frater tuus & infirmus manu, & ſuſceperis eum quaſi aduenam & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias vſuras ab eo, nec amplius quàm dediſti. Et in Eccle. Nõ te pigeat viſitare infirmũ. Nõ piguit illã quæ mũdi do minũ erat paritura, mõtana aſcendere, cognata adire, ægrotanti aſſidere, quæ grauida Ioãne baptiſta tædia iã vicini partus patiebatur. Quòd ſi dei mater homi-nis matri infirmæ miniſtrauit, nec te pudeat inferio-res tua non ſolum ope, ſed etiam præſentia conſolari. Captiuos quoque & in vinculis coniectos redimere, de-bitoribus æs alienum condonare, iniuſtè oppreſſos tue-ri ac defendere, pij atque liberalis hominis officiũ eſt. Hoc per Iſaiam præcipit dominus, cum ait. Subuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam. Et alibi per eundem prophetam. Diſſolue colligationes impie-tatis, ſolue faſciculos deprimentes, dimitte eos qui con-fracti ſunt liberos, & omne onus diſrumpe. In Ezechie le etiam iuſtus appellatur, qui pignus debitori reddide rit, & pauperculum non contriſtauerit. Vt autem eorũ qui carceri mancipati ſunt, anguſtiam miſerearis, Apo-ſtolus hortatur, dicens: Mementote vinctorum tan-quam ſimul vincti, & laborantium tanquam & ipſi in corpore morantes. Nam ſi omnes in Chriſto vnum corpus ſumus, debemus malè affectis condolere, vt membris corporis noſtri & ſaluti eorum conſulere non minus accuratè quàm noſtræ conſultum vellemus, ſi idem mali pati contigiſſet. Tunc enim ſi qua cala-mitate ipſe oppreſſus fueris, ſi qua violentia vexatus, nõ

Ezec. 22.
Leuit. 25.
Iſaiæ. 58.
Iſaiæ. 19.
Heb. 13.

te pudebit opem implorare, quàm aliis præstitisti. Da modo operam, vt cum beato Iob dicere possis: Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, & causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam, conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Postremò aliorum tristitiam consolatione releuare, mortuos qui non habent vnde funerentur, tua impensa efferre ac sepelire ad eandem pertinet virtutem. Qua præditus Tobias, cum in Assyria captiuus teneretur, in eos qui secum capti erãt, benignitatem exercuit, verbis consolando, rebus iuuando, & eos qui diem suum obiissent, mandando sepulturæ. Dumque aliorum angustias miseratur, suas nõ sentiebat. Hæc de illis quibus adesse debemus opera atque pecunia, nunc quantũ erit largiendum inopi, & pro quibus eleemosynæ faciẽdæ breuiter expediemus.

Iob. 29.

Tobias.

Quantum pauperi sit largiendum. Cap. 14.

TAntum tribuendum, quantum pauperis indigentia postulat. Tantum vestium da ne algeat, ne nudus incedat. Tantum cibi ac potus imparti, ne fame sitique laboret. Non beneficium est plura donare, sed nequitiæ irritamentũ. Vestis delicatior excitat arrogantiam. Victus abundantior nutrit luxuriam. Prospiciendum erit igitur ne copiosius tribuas, quàm ad parsimoniam accipientis credideris esse satis, ne fortè dum iuuare cupis, noceas. Medicorum industriam imitare. Non porrigunt ægroto quantum ipse expetit, sed quantum saluti eius recuperandæ confert, quodque profuturum censent impendunt, non quod noxium æger poposcerit. Ita & tu quãtum hominis egestas requirit, & quod honestæ sustentationi sufficit vel non petenti

præbe.

præbe. Quicquid vltra necessitatem est, quicquid obesse poterit, ne præbeas etiã si flagitarit, quod si tibi grãdis rerũ suppetit copia, da multa, sed multis, nam si vni dederis licet ille acceptis non malè vtatur, tu tamen vnum diligere videberis, alios odisse. Christus autem nõ pro vno mortuus est, sed pro omnibus. Eius munificentiæ eris æmulator, cum plurimis benefeceris. Latè patens virtus est charitas, nõ est contenta vnius angustiis in quem beneficia conferat, sed erga omnes effundi gestit, cum omnes æquè diligat. Quanquam illos magis respicit quos magis miserabiles inopiosósque videt. Veruntamen si tibi quoque non ita ampla est res familiaris, tantum indigentibus eròga, quantum victui tuo superesse poterit, ne & ipse egere incipias. Ita enim Apostolus Corinthiis consulens ait: Si voluntas prompta est secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet. Non enim vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate in præsenti tẽpore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementũ. Quænam est ista pauperis abũdantia, nisi quàm pro beneficiis inopi collatis retribuit Christus, dicens: Venite benedicti patris mei, possidete regnum vobis à constitutione mundi paratum. Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi potum, & alia quę sequũtur. Vnde idem alibi ait: Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui recipiant vos in æterna tabernacula. Nisi ergo dederis, talia non recipies. Si de tuis diuitiis nõ feceris tibi amicos, quis erit qui te de terra tollere, & in cœlesti collocare dignabitur domo? Ab omnibus destitutus gutta aquæ indigere incipies cum diuite purpurato, qui micas panis Lazaro mendicanti dare noluit. Lazari inopiam non est miseratus in sua copia diues, nec Lazarus iam in sinu Abrahæ beatus & felix diuitis in igne ardentis miseriæ permissus est subuenire.

2. Cor. 8.

Mat. 25.

Lucæ. 16.

Atque ita, auari diuitiæ in æternam vertuntur inopiam, diuitiæ verò pauperibus Christi dilargitæ perennibus regni cœlestis bonis compensantur. Quòd si opulentior es quàm necesse sit, & luxuriæ deditus cuncta in tuos vsus consumis, iniquus dispensator es. Pauperum est enim non tuum, quicquid modestè frugaliterque viuenti superesse potuit. Aliena vsurpas, quoties tibi plusquàm oportet indulges: Non es dominus omniũ quæ habes quicquid supra necessitatem possides, eius tibi dispensatio credita est non abusus. Si benè dispensaueris audies à domino. Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Sin verò talentum tibi ad negotiandum traditum in terra defoderis, nihil aliis impartiens, sed totũ tibi vendicans, nihil te lucri fecisse argueris, atque ideò pro ignauiæ crimine, pro interioribus tenebris, quib9 obnubilatus animus futura non prospexit, tenebras patieris exteriores, ibi erit pro lætitia fletus, pro crapula & ingluuie dentium stridor, nunquam inde exies, de diuitiis istis exiturus citius quàm putas. Quòd si perituris conferre semper duratura soleres, melius tecum actum duceres carere opibus: & esuriendo panem ostiatim quærere, quàm illis affluere in immensum, illis tota ætate iucundè perfrui, & in pauperum vsus quantũ debes non contulisse. Iudicium enim illi sine misericordia fiet, qui non fecerit misericordiam. Superest vt videamus, pro quibus facienda erit eleemosyna, vt postea paulo plenius quàm dictum est, eleemosynarum quæstum commodaque consideremus.

Matth. 25.

Pro quibus facienda est eleemosyna. Cap. 15.

Pro

PRo filiis offerebat holocausta Iob, dicens, ne fortè peccauerint in cordibus suis. Exemplo nobis est, vt pro iis qui grauiter lapsi sunt, non solum precemur, sed etiam eleemosynas offeramus. Offerenda erit eleemosyna & pro illis, qui in aliquo vitæ discrimine constituti erunt vt liberentur, & postquam liberati fuerint, vt pro beneficio à domino collato gratia referatur, qui illud quod pauperi impenditur, fatetur impẽsum sibi, Samuele sacerdote holocausta offerent Israëlitæ parua manu ingentes Palæstinorum copias fuderũt. Territi enim hostes tonitru & fragore de cœlo misso, terga verterunt. Non est autem acceptior domino holocausti oblatio quàm eleemosynarum pia largitio, ipso dicente. Misericordiam volo & non sacrificium, alias verò iidem Hebræi cum duce Phinee superassent Madianitas, domino per Moysen iubente, prædæ totius quinquagesimam soluerunt sacerdoti ac Leuitis, & quia nemo ex eis desideratus fuit illo prælio, aurum domino consecrarunt, cuius benignitate & à periculo seruati fuerant, & victoria donati. Qui ergo in proximos misericordes extiterint, in hostem victores erunt, & deo protegente terræ marisque discrimina tuti pertransibunt. Pro ægrotantium quoq; sanitatate, ac pro delictis mortuorum eleemosynarum liberalitas vtilis habetur. Quòd si Tabitam Petrus & Drusianam Iohannes de morte ad vitam reuocarunt, pauperum precibus permoti, quorum inopiam illæ sua ope sustentauerant, quanto facilius creditu est, eos de ægritudine ad sanitatem esse reuocandos si eis expedierit, qui eadẽ beneficentia in egenos vsi fuerint? Aut si nõ sanabuntur, meliorem mercedem relaturos à domino quàm ipsam corporum sanitatem. Porrò pro defunctis eleemosynas facere, ex consuetudine religionis Christianæ est. In veteri autẽ instrumento hoc ipsum astruitur ex autoritate Iudæ Macchabæi principis ac viri

Iob.

1. Reg. 7.

Num. 31.

Actu. 9.

multa in deum pietate insignis. Ille enim collatione facta, duodecim milia drachmarum argenti misisse Hierosylymam dicitur pro delictis eorum qui in prælio ceciderant offerenda. Et sancta (inquit) ac salubris est cogitatio pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur. Nũc quanta vis atque potestas eleemosynæ sit memoremus, non nostra præsumptione vsi, sed autoritate instructi diuina, ne quis aliter sentientium cauillationi locus sit. Quis enim fidelium tam temerarius est, vt scripturarũ sententiam audeat impugnare?

De eleemosynæ vtilitate.

Cap. 16.

Prouer. 21. Legimus in prouerbiis diuina humanaque sapientia insigniti Salomonis: Munus absconditum extinguet iras, & donum in sinu indignationem maximã. Reprimitur igitur dei vindicta in peccatores, quoties misericordia exercetur in pauperes. In libris itidẽ

Tobię, 12. diuinis audimus Raphaëlem angelum Tobiæ dicentẽ, Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesauros auri concedere, quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam ęternam. Times ne si dederis, ipse egeas? Sed dare eleemosynam magis prodest quàm thesauros recondere. Times mori? Sed eleemosyna à morte liberat. Times dãnari? sed eleemosyna peccata purgat, & vitã lucratur æternam. Tot terribilium rerum metu hominem eximit eleemosyna, & ad summam prouehit beatitudinem, tu tamen auarus cumulandis non distribuendis opibus inhiàs, veluti de promisso dubiꝰ, de pollicitatione incertꝰ, cum multis aliis in locis veritatis ipse sermo eadem asseueret & astruat. Iam primum hominis in egenos benefici rem non minui, sed augeri, Salomon te-

Prou. 19. statur in Prouerbiis, dicens: Fœnerat domino qui mise-

retur

retur pauperis. Fœnus autẽ est pecuniæ commodatæ fœtus, quod Græci à pariendo τόκος vocant. Igitur sic danistæ supra sortem vsuras exigunt, ita eleemosynarum largitor multo plus relaturus est à domino, quàm quòd ipse pauperibus erogat. Idem Salomon alibi ait: Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt. Ditior factus est Iob post ærumnam duplicia recepit omnium, quæ inuitus amiserat, quia partem eorum volens distribuerat egenis. Vidua Sareptana non partem, sed totum quod habuit olei atque farinæ protulit in medium, vt prophetam pasceret, ipsa cum vnico filio fame peritura, si eleemosyna nõ plus meteret quàm seminaret. Porrò tantũ hac liberalitate profecit, vt non deficeret ei oleum in lechyto, nec in hydria farina, donec pluuiam dominus daret super terram. Fiduciam habuit in domino, & spe sua non est frustrata. Parum dedit & recepit multum, & cũ etiã diuites penuriam paterẽtur, torrentibus ipsis ob pluuiæ defectum siccatis, illa pauper dei beneficio victu necessario abundauit. Hoc quoque pollicetur Salomon in Prouerbiis, dicens: Honora dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt. Tale aliquid in euangelio inuenies. Quid enim nisi multiplicato rediturã in sinum porrigentis elemosynam innuunt quinque panes illi, & duo pisciculi multitudini esurientium appositi, & post hæc duodecim cophini collecti reliquiarum? & iterum septem sportæ plenæ asportatæ pro septem panibus & paucis pisciculis. Quis ergo tam timidus est, vt his exemplis non excitetur ad liberalitatem, nec iam metuat ob hoc rei familiari detrimentum fore, si eleemosynas dederit, cùm præsertim veritas dicat: Date, & dabitur vobis: mensuram bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Nemo tamen

[Margin notes: Prou. 11. — Iob. — Sareptana. — Prou. 3. — Mat. 14. — Mat. 15. — Luc. 6.]

hac sancta largitate vtatur spe pecuniæ augendæ. Auari hoc foret, & terrena non cœlestia concupiscentis: quæ non modo concupiscere, verumetiam propter Christũ debemus contemnere, vt illas acquiramus diuitias quas nec tinea corrumpere, nec fur possit auferre. Pro quibus adipiscendis plerique certè spontaneam subeunt paupertatem, vt ostendant nolle se omnino possidere opes perituras, sed illas quæ perire nequeunt, in thesauris reconditas æternitatis. His autem fruituros pauperum sustentatores nemo negare poterit, nisi qui scripturarum repugnare voluerit veritati, malens damnari cũ infidelibus, quàm cum fidelibus saluari. Vt igitur cœlestes æternasque opes capiamus, primo veritatis cognitione opus est, veríque confessione, deinde vt delicta nostra expientur, & qui prius peccatis grauabamur, bonis actionibus proficiamus. Hæc autem omnia præstare poterit fidelis ac synceræque mentis eleemosyna.

Cornelius. Actu. 10. Cornelio Centurioni ab angelo de cœlo in terras lapso est dictum: Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu dei. Itaque cum gentilis esset, eleemosyna meruit à Petro Apostolo discere Christum, & fidei baptismo purificari, vt in Christo renatus, cum Christo resurgeret in gloria.

Nabuchodonosor. Nabucodonosor quoq; rex gẽtilis erat, quãdo deo voluit se æquare, fragilitatis humanæ oblitus. Cũque ob hoc prædiceretur, quod regno eiectus cum bestiis esset victurus, eleemosynis tamen mutari posse Dei iudicium intellexit, Daniele dicente: Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsan ignoscet tibi deus. Quòd si etiam gentilium in pauperes pietatem deus respicit, quantomagis credentium atque fidelium? Audi scripturam dicentem:

Eccle. 29. Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Vnde & in Psalmo dicitur:

Psal. 40. Beatus qui intelligit super egenum & pauperẽ, in die malo liberabit eum dominus,

minus, quando videlicet dicturus est: Esuriui & dedistis mihi manducare. Audi & aliam scripturæ sententiam: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Et in Euangelio: Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Iuxta superiorem sententiam, eleemosyna resistit peccatis, ne illa committamus, iuxta sequentem, ab iis quæ iam commisimus, facit vt emundemur. Reliquum est vt à præteritis expiatos, & à secuturis custoditos, deo nos offerat pro innocentia suscipiendos, pro iustitia præmiandos. Hoc ita futurum Psalmista testatur: dum de beato viro ait: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, cor eius exaltabitur in gloria: vt intelligamus per charitatis beneficentiæque opera ad æternam beatitudinem peruenire, & illos qui in his versati sunt, à Christo audituros, Venite benedicti patris mei, percipite regnum à cõstitutione mundi vobis paratum. Regni itaq; cœlestis hæredes erunt, qui rerũ suarũ terrenarũ ipsos fecerint participes. Ab hac sanè pietatis virtute nec ipsi pauperes excusantur. Non habes quam alteri porrigas stipem, da si habes aquæ frigidæ poculum, & non perdes mercedem tuam. Duo minuta æra inopis viduæ in gazophylacio oblata, diuitum præferuntur denariis. Non penset dominus quantum das, sed de quanto, & q̃ libenter. Ille plus offert, cui minus quod offerat restat. Illius magis accepta sunt dona, à quo magis prõpta exhibẽtur animo. Hinc est pceptũ illud Salomonis, Ne dicas amico tuo. Vade & reuertere & cras dabo tibi, cum statim possis dare. Ac ne id tanquam inuitus facias, admonet Apostolus, nõ tristem, sed hilarem datorem à domino diligi, Qui enim libenter dat, diligit: ideò & ipse diligitur. Quod si nihil penit⁹ habes quod inopi largiaris, ita miseriæ eius condolescas, vt daturus esses si haberes: & pro beneficio cõputabitur pietas miserantis, multumque proderit offerre voluntate, quicquid

Eccl. 3. Lucæ. 1. Psal. 111. Prou. 2. Cor. 9.

quid non poteris opere. Consummata verò ac perfecta eleemosyna est, vt cuncta simul distribuantur: nec semper in erogando occupetur animus, potiusque attendat vt illum imitetur, qui cum diues esset, factus est pauper, vt nos diuites faceret in regno suo cœlesti, cum terrena contempserimus. Ipse in Euangelio ait: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperib⁹, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me. Eis etiam quæ ita secuti sunt ipsum, respondit: Omnis qui reliquerit domum vel fratres vel sorores, aut patrē, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Itaque magis grata est deo seruorum suorum voluntaria paupertas, quàm diuitum seculi quotidiana munera.

Matth. 19.

De vitio auaritiæ. Cap. 17.

SEd quid de illorum cupiditate dicemus, qui cumulandis opibus nunquam satiantur, atque in tantū tenaces sunt, vt nihil pauperi porrigant. & quib⁹ magis curæ est, pecuniam quæ sibi superat nulli vsui recondere, quàm egestati impartire alienæ? Quàm malè cum illis agitur, nosse operæprecium erit, ne quis opulentiæ eorum inuidendo, mores imitari decernat, perdátque dei gratiam, cum diuitias acquisierit. Non est enim amator dei, quem non miseret pauperis, dicente Iohanne Apostolo: Qui habuerit substātiam huius mūdi & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Inter scelera quibus Sodoma interiit, obiicitur quod manum egeno & pauperi non porrigebant. Frustra itaque illi misericordiam à deo sperant, qui misericordiā proximis non exhibent. Nec in aduersis eorum exaudi-

1. Iohā. 3.

Ezech. 16.

tur

tur deprecatio, qui miserorum precibus non mouentur, ait enim scriptura: Qui obturat aures suas ad clamorē pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur. Minus est tamen sua non tribuere: aliena quoque iniustè rapere cogit auaritia, & ne à pauperū quidem fortunis impias continere man⁹, nullo satiabilis cōgestu, nulla copia cō tenta, imo eo cupidior, quo plura rapuerit. Vnde de illis quibus ea dominatur, est dictum: Rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Semper quippe restat, quod sibi vendicare affectent. Eiusmodi iniustitiam damnat dominus in Isaia, dicens: Væ qui prædaris, nōne & ipse prædaberis? & qui spernis, nónne & ipse sperneris? cū cō summaueris depredationem, deprędaberis, cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. Ad eos maximè ista spectat comminatio, qui in potestatibus versantur, & pastoris adepti officium, gregem sibi commissum detondere non cessant. Si iumentum stercus fecerit, si extra ædeis loturam quis effuderit, si cum altero parum quid altercatus fuerit, mulctatur pecunia, quasi qui maiestatem læserit, denique mille causæ habentur, despoliandi inopem, nulla miserendi. Et miramur si illorum qui sic agunt, non miseretur deus, si liberis orbantur, si ab inimicis infestantur, si & ipsi à potentioribus despoliantur: quasi verò iustus dominus iustitiæ suæ oblitus, tam iniquas exactiones impunè abire passurus sit, & nō pro merito vindicaturus? nunquid vanum est quod Salomon præcipit, dicens: non facias violentiam pauperi, neque conteras egenum in porta, quia dominus iudicabit causam eius. Sed enim tam fatua est cupiditas, vt ne flagellata quidem resipiscat. Aduersitatibus interdum affliguntur auari, & tamen mala quæ sustinent, non suo vitio imputant, sed fortunæ. Itaque rerum amissione non emendantur, sed magis ad prædandum rapiendúmque accensi, reparare amissa festinant donec ipsi vitam amittant, & ad inferos detrusi crimen suum tandem

Prou. 21.

Prou. 11.

Isaię. 33.

Prou. 22.

tandem agnoscant. Si quis tamen aures audiendi habet, audiat, & timere discat, cùm audierit illud quod in Malachia est scriptum: Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis & adulteris & periuris, & qui calumniātur mercedem mercenatij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me dicit dominus exercituū. Audiat & illud quod in Amos ꝓpheta legitur: Pro eo quod diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis, & non habebitis in eis: vineas plantabitis amantissimas, & non bibetis vinum earum quia cognoui scelēra vestra, & fortia peccata vestra. Igitur vel illa vobis ò diuites quæ iniquè comparastis eripientur, vel vos illis, & spes omnis malè partæ rei in cōtrarium vertetur. Intolerabilior tamen erit pœna inferni, quàm vitæ præsentis calamitas. Cæterùm neque illorum inulta erit auaritia, qui dicundi iuris fugientes officio, pecunia donísve corrupti iniustè iudicant, & quæstum magis quàm æquitatem diligunt, eiusque causam potiorem habeat qui plus dederit. His per prophetam dicitur: Vę qui iustificatis impium pro muneribus & iustitiam iusti aufertis ab eo. Et in Iob est scriptum: Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Illi quidem libenter munera accipiunt, quos cupiditas illicit, non quos necessitas constringit. Neque enim peccauit Ioseph à Pharaone accipiens dona, neque Daniel à rege Babylonis. Vtrumque diuina prouidentia contigit, vt populus Israël prius in Aegyptum confugiens, principem suæ gentis haberet à quo aleretur, deinde in Chaldæa captiuus, à quo protegeretur. Ideò isti nec honorem nec dona recusarunt, vt suis in necessitate succurrerent, non vt sibi opes aceruarēt. Beatus est autem qui præceptum domini obseruat, dicentis: Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis, iustè iudica proximo tuo. Iniustus iu-

Malac. 3. Amos. 5. Iudex. Isaiæ. 5. Iob. 15. Ioseph. Daniel. Leuit. 19.

dex est iuxta Iacobi Apostoli sententiam, qui plus honoris defert diuiti superbo, quàm pio pauperi & humili. Captator est profectò, non amicus, qui tantum diuitibus blanditur, laudat vt stipem eliciat, honorat vt lucretur. Cui autem verum diuitiis potius est, non dona sequitur, sed iustitiam. Quam quoniam opibus præfert, ipse à domino honorabitur, dicente propheta: Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit. Munerum ergo auidus, & à recto auersus non in excelsis, sed in ima habitabit inferni. Hæc sors etiam illorum erit, qui se dei seruitio ideò dedicant, vt mammonæ, non vt deo seruiant, quibus ipse in Euangelio respondens, ait: Quæritis me nō quia vidistis signa, sed quia manducastis de panibus & saturati estis. Ab his enim episcopatus quæritur, vt nūmis arca impleatur, non vt bonum opus exerceatur: vt venter epulis repletus luxuriet, nō vt Christus in paupere pascatur, vt mēs inanis gloriæ vento inflata superbiat, non vt humilitate deiecta deo placeat. De istis prophetare iussus Ezechiel ait: Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos. Nónne greges à pastoribus pascūtur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Et quia magis pecuniæ quàm animarum lucro inhiant, quod infirmum (inquit) fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis: quod confractū, non alligastis, & quod abiectum non reduxistis: & quod perierat non quæsistis. Talium auaritiam & per os Malachiæ prophetæ arguit, dicen... Quis est in vobis qui claudat ostia, & incēdat altare meū gratuito? Non est mihi voluntas in vobis dicit dominus exercituum & munus non suscipiam de manu vestra. Licet autem in Euangelio dicat, dign⁹ est operarius mercede sua, necessaria permittit, non superflua imperat. Si superfluis abundas, dispensatio tibi credita est, vt aliorum inopiam iuues, non abusus concessus

Iaco. 2.
Isaiæ. 31.
Presbyter.
Ioan. 6.
Ezech. 34.
Malac. 1.

cessus vt voluptatibus perfruaris. Alienum est quicquid
Luc.16. supra necessitatem est: De quo in Euangelio dicitur: Si
in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis da-
Sacerdos. bit vobis: Tibi ò sacerdos promissum est regnum cœlo-
rum, si modo tibi credita rectè dispensaueris: sin verò
quod professus es, implere neglexeris, nec tibi quod à
domino promissum erat, dabitur: & dũ temporalia bo
na sectaris, amittes æterna. Domum enim orationis fe-
cisti domum negotiationis, vendendo columbas, hoc
est spiritussancti dona in quæstum conuertendo: cum
Christus clamitet, dicens: Gratis accepistis, gratis date.
1.Cor.9. An ad Apostolum confugies dicentem: Qui altario ser-
uit, de altario viuere debet? sed de altario viuere tibi
permittitur, non luxuriari, cum idem dicat: habentes
1.Tim.6. victum & vestitum, his contenti simus. At tu cum mul
ta possideas, plura concupiscis: nec tam tibi de salute
plebis cura est, quàm de exigendis pensionibus, de deci-
mis oblationibusque colligendis, pro his in ecclesia de-
clamas, pro his execrationum elogia valuis ecclesiæ af-
figis, ad cætera mutus, & illis simillimus quibus dici-
Mat.23. tur: Væ vobis scribę & pharisæi, qui decimatis mentẽ
& anethum & cyminum, & reliquistis quæ grauiora
sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem, hæc o-
Episcopi. portuit facere & illa non omittere. Scriba es igitur &
pharisæus, cum exigis pecuniam & non præstas doctri-
nam, cum de quæstu tuo cogitas, & eorum saluti qui
tibi commissi sunt non consulis. Excolas culicem quæ
leuissima sunt curæ habens, & deglutis camelum, in vẽ
trem negligentiæ demergens ea quæ maximi momen-
ti esse deberent. Mercenarius non pastor es. Vides lu-
pum venientem & fugis. Perit ille adulterio, ille vsu-
ris, alius furto, alius odio, alius alio flagitio, & in tanto
animarum periculo taces, obmutescis, hiscere non au-
des, & illos duntaxat perituros prædicas, qui decimas
non soluerint, qui debitas ecclesiæ tuę pensiones in tem

pore

pore non attulerint & eidē legata interuerterint, perinde ac si nō sit aliud peccati genus quod perdat homines, quàm istud in quo opulentia tua patitur detrimentum. Cùm tamen his qui egestate premuntur, non solū quod debent remitti debeat, sed etiam de rebus quas affatim collegisti, quantum opus est impendi. Detestabilis & illorum cupiditas, qui simulata sanctitate decipiunt, & vel pro ędificando sacello, vel pro peregrinationis voto perficiendo, vel pro aliquo alio pietatis opere exęquendo æra efflagitant, quasi non furti vel rapinæ sit genus, mendacio aliquid elicere, & in aliū q̄ in quem datum est vsum conuertere. Hi tanto grauius puniendi erunt, quanto fallacius egerint, dicente domino: Qui deuorat domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis, hi accipient prolixius iudicium. Execranda & negotiatorùm auaritia, qui nec fœnore abstinēt, nec merces adulterare timent, pondere quoque & mensuris fallunt alia statera vendentes, alia ementes, neque eos pœnitet aut pudet dolo ac fraudibus niti vt lucrentur. Aduersus istos iratus dominus per Micheam prophetam vociferatur & ait: Adhuc ignis in domo impij thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena, nunquid iustificabo stateram impiam & sacelli pondera dolosa? Denique minatur facturum se, vt congregatæ tanto flagitio opes fiant hostibus in prædam, & ipsi opus domini in captiuitatem. Horum etiam in Amos propheta dolos ac malignitatem detegit, dicens: Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando transibit messis, & venundabimus merces, & sabbatum, & aperiemus frumentum, vt minuamus mensuram, & augeam* siclum, & supponamus stateras dolosas, vt possideamus in argē to egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumēti vendamus. Ac ne frustra talia obiecisse videatur,

Hypocritæ.

Mar. 12.

Negotiator

Mich. 6.

Amos. 8.

iurat ꝙ lugebunt,& dolore supplicij persoluent, quod cum delectatione lucri perpetrarunt.

De vana diuitum spe. Cap. 18.

NEmo igitur diu se fruiturum malè partis rebus cõfidat,sed quo plura iniquè congerit,eo miserabiliorem finem expectet. Timeat pœnam Giezi, timeat exitum Iudę, alter mendacio munus extorsit, & reuersus est leprosus:alter iustum vendidit pro argento,& laqueo vitam finiuit. Ille quoque quem purpura tegebat,quem quotidiana signabant cõuiuia, in inferno sepultus,in flammis ardens totus, frustra guttam aquæ petiit,qua linguam tantum refrigeraret. Diues ille alter,qui frugum hubertate lætatus dilatare cogitabat horrea,& in annos multos opulenter viuere,statim audiuit:Stulte,hac nocte animam tuam repetent à te, quæ aũt parasti cuius erunt? Sic est,inquit,qui sibi thesaurizat,& non est in deum diues.De isto in psalmis dicitur:Videbunt iusti & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent: Ecce homo qui non posuit deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum,& præualuit in vanitate sua.Ideò Apostolus ad Timotheum:Diuitibus, inquit, huius seculi præcipe, & non sublimè sapere, neque sperare in incertò diuitiarum,sed in deo viuo,qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum,benè agere,diuites fieri in bonis operibus,facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum. Qui vult ergo in deum diues esse,non sibi thesaurizet, sed inopię aliorum:in deum diues est, qui charitatis operibus abundat,non qui rebus opulentus incedit.Esurientes & sitiẽtes iustitiam,dominus implet bonis,diuites autem auaros dimittit inanes. Quid prosunt auaro diuitiæ,si cu

Giezi. Iudas. Lucæ.12. Psalmo.51. 1.Tim.6.

stos

ſtos illarum eſt non dominus? Quid denique proſunt diuitiæ ſtulto, cùm ſapientiam emere non poſsit? Multæ opes nunquam aut rarò admodum queunt cuiquam niſi ſcelere conſtare. Nam qui iuſtè acquirit & moderatè expendit, nec diues erit nec pauper. Qui autẽ ingentes quæſtus faciunt, ſupráque modum locupletantur, & iniqui & auari ſint neceſſe eſt. Quòd ſi tam multa ab aliquo alio ſibi relicta poſsident hęredes iniqui ſunt, & ſi his malè vtuntur, ipſi etiam mali ſunt. Ex quo colligitur multùm diuitem bonum eſſe non poſſe. Quæ igitur amentia eſt, illa concupiſcere, quæ non niſi cum virtutum detrimento queant acquiri? Melius eſt parum cum timore domini, quam theſauri magni & inſatiabiles. Hæc quidem ſententia ſapientiſsimi Salomonis eſt, cuius & illa ad deum ſupplicatio: Nec diuitias, nec paupertates dederis mihi, ſed tantũ victui meo tribue neceſſaria. Quòd autem reges omnium ſemper opulentiſſimi ſunt, hoc ideò fit, quia regũ opes nõ tam ſuę quàm populi ſunt. Eorum quippe impenſis plebes tutè degũt, ab hoſtium iniuria proteguntur, in rerum vitæ neceſſariarum copia conſeruãtur. Quemadmodum autem cõmuni vtilitati expoſita eſſe debet principis opulentia, ita & priuatorum diuitiæ adiumento ſint egeſtati alienæ. Alioqui & ipſi diuites egebũt ac miſeri erũt. Quid enim illo miſerius, qui inops virtutis eſt? qui cum diues ſit, meritis caret liberalitatis, quæ beatos efficiunt, & auaritiæ vel luxuriæ grauatur vitiis, quæ mergunt in profundum. Talium infelicitatem dolenter ingemiſcit in Euangelio dominus dicens: Væ vobis diuites qui habetis conſolationem veſtram. Conſolantur enim, quoties quæſtum faciunt, vel cum quæſitis ad voluptatem abutuntur. Hos etiam Iacobus apoſtolus lugubri voce aggreditur, & ait: Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſeriis veſtris, quæ aduenient vobis: diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta

Proue. 15.

Proue. 30. Rex.

Lucæ. 6.

Iacob. 5.

ſunt, aurum & argentum veſtrum eruginauit & erugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſsimis diebus:ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras,quæ fraudata eſt à vobis,clamat: & clamor eorum in aures domini ſabaoth introiuit. Epulati eſtis ſuper terram,& in luxuriis enutriſtis corda veſtra, in die occiſionis adduxiſtis & occidiſtis iuſtum,& non reſtitit vobis. Talia cõſiderans vas electionis Paulus. Radix,inquit,omnium malorum,eſt cupiditas. Addamus his & alia,ſi fortè diuinæ ſapientiæ veritate ſæpius pulſati reſipiſcant. In pſalmo dicitur: Diuites eguerunt & eſurierunt,inquirentes autem dominum non minuētur omni bono. In Eccleſiaſte Salomon ait: Auarus non impletur pecunia,& qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Leuius ac tolerabilius eſſet, fructum non capere,niſi ſequeretur ſupplicium,dicente Ezechiele propheta. Argentum eorum & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris domini. In Apocalypſi angelo Laodiciæ eccleſiæ dicitur. Dicis,diues ſum & locupletatus,& nullius egeo, & neſcis, quia tu es miſer,& miſerabilis,& pauper,& cęcus,& nudus. Quis enim finis luxuriæ diuitum, niſi quem eodem libro ſcriptum legimus? Quantum glorificauit ſe & in deliciis fuit,tantum datè illi tormentum & luctum. Quāto melius cum iſto actum fuiſſet, neſciſſe diuitias, inopem mēdicum'q; vixiſſe,& in miſeriis potius quàm in deliciis duxiſſe ætatē: ſed quo diutius in deliciis impunè vixit,eo infelicius cecidit. Beatū ſe putabat,qòud ſibi proſperè ſuccederent omnia,ideòque licentius peccabat,ideò tenuit eum ſuperbia, opertus eſt iniquitate & impietate ſua ꝓdiit quaſi ex adipe iniquitatis eius, tranſiuit in affectum cordis ſui,nunc in tormentis poſitus audit,Memēto,quia recepiſti bona in vita tua,pauperes autem quorum non eſt miſertus,patiebantur mala,tu

Pſal.33. Eccle.5. Ezech.7. Apocal.3. Apocal.18.

la, tu nunc cruciaris, illi consolantur. Cumque hoc ita sit, eo tamen processit ista auri sacra fames, vt quæ natura saluti hominis consulens terra occultauerat, ea fossionibus in profundum actis eruere cœperunt, montes cuniculis subruuntur, & homo cœlum suspicere genitus, vltro se in ima telluris immergit, nec supra se pendentem metuit molem, nec post se relictum solem quicquam æstimat, per mẽses plurimos perpetuam noctem sustinet, vt argentum aurumque in suam ipse perniciẽ proferat, si modo quod multis contigit, non antè fuerit oppressus ruina, seque repente cum opibus quas collegerat, sepeliebat. Frumenta, vinum, oleum, linum, lanam cæteraque vitæ nostræ necessaria in aperta nobis fruẽda obtulerat deus, cætera tanquam nocitura latere volebat. Ideò autem & ista creauit, vt sicut eorum, qui oblatis contẽti sunt nota est modestia, ita illorum, qui etiam occultata scrutantur, manifesta esset cupiditas, & qui ex parte sui sunt, etiam à nobis dinoscerentur. Auaritia

Quod auaritia multorum causa sit malorum. Cap. 19.

QVàm autem multorum malorũ causa sit immodica cupiditas quis explicet? hominem aduersus hominem ire compulit, hinc insidiæ, hinc latrocinia, hinc bella, mutuæque cædes dum nostro non contenti, aliena concupiscimus: hinc inter cõiunctissimos lites, inter amicissimos dissidia & citius adeundæ hæreditatis gratia ipsorum parentum desideratæ mortes. Laban Iacob nepotem suum osculatus, hospitio susceperat, generum suum fecerat, & ille iam bis septem annos ei seruierat, Fatebatur Laban quod propter ipsum à domino sibi auctæ opes fuissent. At verò postquam vidit re pecuniaria in primis ditatũ, inuidere ei cœpit, quẽ tãtopere dilexerant, & descẽdentẽ per- Laban. Gene. 31.

secutus est manum innocenti iniecisset, amicitiæ, propinquitatis, officiorum'que oblitus, nisi somno deterritus propositum inhibuisset. Amorem ergo quem paupertas conciliauerat, opulentia distraxit. Tabremon

3.Reg.14. quoque Syriæ rex (vt in libro Regum legitur) ex amico inimicus factus Base Israëlitarum regi ab Asa rege
1.Paral.21. Iudæ pecunia corruptus. Ioram verò ne fratribus quidem pepercit, vt eorum bona vsurparet, vita ipsos pri-
Iudas uauit. Iudas etiam (vt veteribus noua copulemus) à do
Schariotis. mino ascitus apostolus, miracula optandi facultate ab eodem donatus, sacræ communionis particeps factus, osculo exceptus, quia tamẽ pecuniæ auidus fuerat, XXX. argenteis illum vendidit, à quo iam tot beneficia acceperat. Neminem itaque verè diligunt hi, quibus habendi cupido dominatur. Si qua enim lucri spes accesserit, continuò grassantur in eos, quos videbantur diligere.
Ierem.41. Nam & Godalias Ismahelem domi suæ vt amicum ex-
Godolias. cepit conuiuio, & eundem inter epulas iugulauit, nec hospitalem mensam amici cruore fœdare timuit, qui aliena occupare cõcupiuit. Proferam adhuc magis cruentum exemplum, sed minus rationis compotis vulgi.
Titimilites. Tito Hierosolymam obsidente, plurimi ex Iudæis fame compulsi ad Romanos transfugiebant (vt Iosephus author est) percrebuit fama transfugas aurum haustum ventre gestare cum à suis ne quid efferrent excuterentur: ob hoc à militibus Romanis clam excepti laniati'que exenterabantur, quærebatur'que aurum intra cæsorum viscera, nec fortasse inueniebatur. Hac tamen de causa ad duo millia hominum vna nocte perisse constat, plures perirẽt, nisi re comperta Cæsar scelus, edicto compescuisset. Quid hac atrocius immanitate incertas opes certa vltro se dedentium cæde quærere? Plebis tamen mercede militantis ista auaritia, illa ve-
Hirtacus. rò regum. Hirtacus enim prius, deinde Herodes Iudææ
Herodes reges, aperuisse ferũtur sepulchrum Dauidis regis, thesaurum

saurum cum illo conditum rati. Scilicet non satis erat humanæ cupiditati prædam capere ex viuis, vel ex interemptis spolia, latentia quoque in monumentis cadauera excutere cœpit, sed & hoc quidem minus mirum, quando iam nec aris nec templis deo dicatis parcitur. Nostra ætate contigit Christianorum ecclesias à Christianis profanari, aurum, argentum'que deo consecratũ per vim auferri, perinde ac si aduersus deum, & nõ tantùm aduersus homines bellum geratur. Quasi verò nõ idem Christus sit illorum qui oppugnantur, & eorum qui oppugnant, cum vtrique eius qui vnus est nomine censeantur. Sed profectò nulla ibi religionis ratio ducitur, vbi auari animi nihil nisi quod rapiant, attendũt. Quamuis autẽ multa deprædentur, multa parent, multa vndique congerant, nunquam tamen satiantur, semper restat quod aceruo addi cupiũt. Nec minus huic vitio obnoxij sunt, qui liberis nepotibus'que abundant, quàm qui soli sunt. Qualem Ecclesiastes admiratur, dicens: Vnus est, & secundum non habet, non filium, nõ fratrem, & tamen laborare nõ cessat, nec satiantur oculi eius diuitiis, nec cogitat, dicens: Cui laboro & fraudo animam meã bonis? Sed qui eiusmodi sunt, iis per Isaiã minatur dominus, & ait: Væ qui cõiungitis domum ad domum & agrum agro copulatis vsq; ad extremum loci. Nunquid habitabitis soli vos in medio terræ? Quid enim nisi solus habitare velle videtur in terra, qui solus cuncta possidere cõcupiscit? Hic sanè hydropici est morbus, qui eo plus sitit, quo plus biberit: Sed si accesserit ad Iesum, curabitur: sin cõtẽpserit, peribit. Achan, quia de anathemate tulerat pallium, argenti'que aliquid & auri, dei iussu lapidatur. Principes Sochor, qui Gedeoni panem negauerant, super spinas & tribulos cõteruntur. Adurandum tributa exigit, lapidibus obruitur. Achabi regis, qui vineam Naboth ipso interfecto possederat, sagitta interempti sanguinem, iuxta Eliæ vaticinium,

Ecclẽs. 4.
Isaiæ. 5.
Iosue. 7.
Iudicũ. 8.
3. Reg. 12.
3. Reg. 21.

vaticinium, linxerunt canes. Heliodorum qui à Seleu-
co missus templi thesaurum auferre moliebatur, equi-
2.Mac.3. tes diuinitus apparentes flagellis ceciderunt. Ipse Seleu
Seleucus cus dum pecunias ab Inopsuestenis (vt Iosephus tradit)
cupidè exigeret, cum regia cumq; omnibus qui in eam
conuenerant, sicut concrematur, Cessauit in illo ardere
auaritia, maiore ignis ardore extincta. Hęc in lege, illa
Iudas. in euangelio. Iudam cupiditas ad laqueum vsque per-
Ananias duxit, Ananiam & Sapphiram morte perdidit repen-
Sapphira tina. Simonem magum prius maledicto, deinde nece
Simon affecit. Porrò tam perniciosus est morbus iste, vt non
magus. modò corpora spiritu priuet, verumetiam spiritum ip
Prouer.1. sum morti obiiciat æternæ, dicente Salomone, Semitæ
omnis auari animas possidentium rapiunt. Quòd si ca
melus facilius transibit per foramen acus, quàm diues
in regnum cœlorum, nullus amanti diuitias sperandæ
Lucæ.14. salutis relinquitur locus. Vbi est thesaurus eius, ibi &
cor eius. Inuitatur quidem ad cœleste conuiuium: sed
quia toto animo terrenis rebus inhæret, respondet in-
uitanti. Villam emi, boues paraui, vxorem duxi, nō pos
sum venire, habe me excusatum. Itaque indignum se
præstat præsenti bono ad quod vocatur, dū pluris æsti-
mat fragilia & caduca, quæ illum de præsentibus deli-
ciis ad futura transferent supplicia, vnde iam neque di
uitiis redimi poterit, nec potentia virium suarum libe
Isai.57. rari. Ideò illi per prophetam dicitur. Cum clamaueris,
liberent te congregati tui, hoc est, nummi quos tam an
xiè parasti. Omnes eos (inquit) auferet ventus, tollet au
ra & ne pœnæ causa lateat, iudicis vox auditur, dicen-
tis. Propter iniquitatē auaritiæ eius iratus sum, & per-
cussi eum. Nec immeritò bonorum largitor deus auari
tia nostra irritatur, quandoquidē vitij huius hoc præ-
cipuum malum habetur, quod à diuinorum cultu nos
auertat, & cœlestium bonorum meminisse non permit
Isaiæ.8. tat. Hoc testantur domini verba per Isaiam dicentis.

Verbum

Verbum domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis, propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum hæredibus, atque vnde impietas contemptusque eorum oriatur ostendens adiecit. Quia à minimo vsq; ad maximum omnes auaritiã sequuntur. Per Osee quoque prophetam talibus minatur, dicens. Iuxta pascua sua adimpleti sunt. & saturati sunt, & eleuauerunt cor suum, & obliti sunt mei, & ego ero eis quasi leæna. Semẽ quippe verbi dei in spinis cadit & suffocatur, cum diuitum auribus exceptum, curis huius seculi mentem occupantibus nequit fructum facere. Tunc enim (vt Ecclesiastes ait) pecuniæ obediunt omnia, actio, oratio, cogitatio, & omnes reliqui sensus ad quæstum intenti, vitæ sanctioris disciplinam non admittunt, quibus dicitur: Non potestis deo seruire & mammonæ. Qui ergo cumulandis opibus incumbit, dei cultum deserat necesse est. Quòd si quando opum studiosi ad ecclesiam conueniant, corpore in templo sunt, animo in foro versantur, totus de mercimoniis sermo est, & dum recitantur dei verba, illi de nundinis inter se colloquuntur, digni domini flagello eiicientis eos, ac dicentis: Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Hi sunt filij Ephrem non deum verum, sed vitulos aureos adorantes, cum aurum argẽtumque pro diis habeãt, & de illis quoque dici queat, quod in Osee propheta scriptum est: Aurum suum & argẽtum suum fecerunt sibi idola, vt interirent. Vnde etiã Paulus auaritiam simulacrorum seruitutẽ appellat. Si enim illorum qui gulę indulgent (iuxta eundẽ Apostolum) deus venter est, cur non pecuniam eorum deum esse dixerimus, quibus nihil charius est pecunia? Nã si quãdo aliquis fidelis disciplinę pręceptor in illicitos contractus, in vsuras, in immodicam lucrandi cupiditatem inuectus fuerit, indignantur, reclamant, in furorem vertuntur, nõ minus quàm artifices illi Ephesiorũ, cum Pau-

Osee.13. Ecclés.10. Lucæ.16. 3.Reg.12. Osee.8. Coloss.3. Actorum.9.

li prædicationibus idola destrui vidissent, quæ ipsi conficiendo lucrabantur. Dolebant enim nõ religionis vanæ dispendium, sed artis suæ detrimentum. Diuitum

Diuitum vitium.

præterea vitiũ est, aliis inuidere, inani gloria duci pro beneficio, gratiam non referre, mendaciis niti, mortis recordatione contremiscere, nec tamen ideo fieri meliores. Inuident ditioribus, imò & æqualibus, vtq́ue alios opulentia superent, fœnore ac rapinis rem querere fas putant. His Psalmista increpatur, dicens: Præcipita domine & diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate die ac nocte, & non defecit de plateis eius vsura & dolus. Præcipitari eos in infernum petit, non voto odij, sed præscientia futuri. Tunc enim & linguæ eorum in diuersum diuidentur, cum præter spem opes illas, in quibus confidebant, repentè derelinquere cogentur. Iidem gloriæ auidi, sardonychatas manus & Sericas vestes vulgo ostentant, vt honorentur, quibus illa Magonis Vergiliani verba cõueniunt:

Psal. 14.

Est domus ampla, iacent penitus defossa talenta
Cælati argenti, sunt auri pondera facti
Infectiq́ue mihi.

Ezechias.

Qua iactantiæ vanitate cum Ezechias quoque qui iustus erat, peccauerit: quomodo poterunt iniqui ea carere, qui certè magis opibus quàm virtute clari esse cupiunt? Sed quantũ volunt, glorientur, cum interierint, non sument omnia, neque descendet cum eis gloria eorum, nudos & fortunæ & animi bonis gehẽna excipiet: tanto miseriores futuros, quãto sibi videtur feliciores. Rectè itaq; admonẽtur à domino, per Ieremiã dicẽtẽ:

Ierem. 9.

Non glorietur sapiẽs in sapiẽtia, & nõ glorietur fortis in fortitudine sua: & nõ glorietur diues in diuitiis suis, sed in hoc glorieť, qui gloriatur: scire & nosse me, quia ego sum dominus, qui facio mĩam & iudiciũ & iustitiã in terra. Ingratos etiã facit habẽdi auiditas, nõ atten-

Ingrati.

dunt

dunt quantũ acceperint, sed quantũ ipsi appetierint, & quoniam nullum beneficium ęquare potest auari hominis cupiditatem, immemores beneficiorum fiunt. Nabal diues pecudum & agri, parum quid petenti Dauidi nihil dedit, oblitus quod ille paulo ante & gregem eius & pastores ab aliorũ iniuria defendisset. Non perpēdebat Nabal quid de se meritus esset Dauid, dũ ne quid de opulentia sua minuatur, timet. Ideóque illos qui à Dauide missi fuerant, non solùm vacuos rebus dimisit, sed etiã cum probro repulit, Ac ferè tales diuites sunt, si quid offers, libēter accipiunt, si quid repetis, indignãtur. De his in Ecclesiastico dicitur: Donec accipiant osculãtur manus dantis, & in promissionibus humiliãt vocem suam. sed in tempore redditionis loquentur verba tædij & murmurationum. Ad hæc nihil illis fallacius est. Qui enim diuitias amat, nec peierarę timet, nec alios fraude circumuenire dubitat, nec eum omninò apertè mentiri pudet, si quid ex ęo se facturum lucri credit, neque quisquam est, qui in leuissimis ętiam rebus tam facilè iurat, quàm diues auarus: tũc autem maximè, cum è re sua fore sperat, si verbis fęcerit fidem. Nullum postremò timidius est animal ad expectationem mortis. Putat se statim decessurum, si febriculæ igne correptus incaluerit. Ad medicos curritur, nisi & hoc auaritia vetuerit. Ille interim pauidus ingemiscit, luget, anxiatur, & tristius sibi videtur à diuitiis quàm corpore discedere. Inde scriptum est: O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis? Torquetur cogitãs cui illas relinquat, quis illis post se fruatur, quas ipse tanto labore quæsiuit, tãta solicitudine auxit, tanta parsimonia ne minuerētur sustentauit. Tum si fortè in mentem venerint vsuræ, fraudes, rapinę, quibus in acquirēdo vsus est, magis nequitiæ suæ conscientia cruciabitur, de salute desperãs, séque iusto dei iudicio mox damnandum videns. Turbabuntur

Nabal. 1. Reg. 25.

Eccle. 29.

Fallaces

Timidi.

Eccle. 41.

Psal.69. babuntur enim (vt Psalmista ait) à facie eius patres or phanorum & iudices viduarum, id est, qui miserorum tutelam suscipientes, bona eorum per dolum vsurpant. Turbantur, quia se reos esse non ignorãt vnà cum illis qui in inferno sunt, cõputãdos. Quòd si in lege Ammo
Deute.23. nites & Moabites ab ecclesia domini repelluntur, quia noluerunt occurrere Israelitis cum pane & aqua, quanto magis isti qui etiam aliena iniustè possident, hæreditate regni cœlestis indigni erunt? Tot auaritiæ mala
1.Timo.8. considerans Apostolus, dixit. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes & laqueum diaboli, & desideria multa, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum, est cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.

Ad diuites exhortatio. Cap. 20.

Resipiscite igitur ac perpendite diuitiarum mala diuites, & iam non ad luxuriam his vtimini, sed ad liberalitatem. Si diuitiæ affluant, nolite cor apponere, si desunt, nolite concupiscere. Quænam stultitia est id appetere, quod neque seruos repudiat, neq; reges satiat, & tot malorum quot diximus, imò plurimũ quàm diximus causa sit, aut si nihil ex opulentia mali metuitis, hoc saltẽ negare nõ potestis, quòd omnis terrena possessio fluxa atque fragilis sit, semperque citius de manibus elabitur, quàm retinenda speratur. Cuius
Eccles.1. rei Salomon non ignarus, cum immensas opes & cuiusque generis voluptates sibi comparasset, exclamauit: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Detestatusque est industriam suam acquirẽdo, incertus de hærede, & certus nihil diu permansurum sub sole. Audite ergo dominum saluti vestræ consulentem: Nolite, inquit, the-
Matth.6. saurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate

rizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi nec ærugo nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Ipsis quosquos in suum elegit consortium, præcepit: ne aurum vel argentum possiderent, nec pecuniam in zonis, nec peram in via, nec duas tunicas, neq; calceamenta, neque virgam: & quisquam opes opibus cumulando, ei se placiturum confidit? Si seruus Christi es, cur ille pauper, & tu diues es? Si discipulorum eius locum tenes, cur illorum paupertatē non imitaris? Quid tibi prodest si vniuersum mundum lucreris, & animæ (qua nihil preciosius est) detrimentum patiaris? Igitur dilargitis tandem istis caducis labilibusque rebus, ad æterna & nunquam desitura bona mentem erige, & cum Dauide deum deprecare: Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Atq; ita domini suffragante gratia, vinces improbas habendi appetitiones, præceptumque implebis in Euangelio dicentis: Videte & cauete ab omni auaritia, quia non in abundātia cuiusquam vita eius ex his quæ possidet. Vt videlicet aliquis ob hoc quia diues est, aut diutius viuat in terra, aut felicius in cœlo. Vitæ enim æternæ præmia, non opulentiæ dantur, sed virtuti. Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, vt pondere auaritiæ liberatus, leuis & alacer expansis obseruatæ in pauperes benignitatis pennis tollaris in cœlū, & ab illis in superna tabernacula recipiaris, qb⁹ hic bene feceris, & tādē ad dominū cōuersus dicas, Quę est, expectatio mea? nóne dominus? & substātia mea apud te est?

Apostoli.

Psal. 118.

Lucæ. 12.

Psal. 38.

De beneficiis conferendis vt deo similes simus. Cap. 21.

Post eleemosynarum dissertationem, de aliis etiā beneficiis restat quærendum, tam in dando quàm ī accipiēdo gratiáq; referēda. Dare beneficia, deū imitari

Dei beneficia.

imitari est, cum dei natura maximè benefica atque benigna sit. Iam primùm vt in psalmis dicitur, fecit cœlos in intellectu, firmauit terram super aquas, fecit solem, lunam, stellas, ignem, aëra, ventos, diem, noctem, ver, ęstatem, autumnum, hyemem, fœcũdauit humum fructibus, herbis, arboribus, distinxit fluminibus, ligauit montibus, ditauit metallis, ornauit gemmis, repleuit bestiis: Omnis generis animantia cõstituit, alia quæ

Psal. 135.

aërea peruolarẽt, alia quæ per terrã reperent, alia quæ in aquis natarent. Cuncta deniq; quæ videmus, & quæ nõ videmus, ipse dixit & facta sunt, ipse mãdauit & creata sunt, Cui autẽ ista seruirẽt, quiq; istis præesset atq; dominaretur, hominẽ ipsum formauit. Cuius dignitatem & excellentiam propheta contemplatus, & ad autorem suum conuersus, in vocem prorupit, dicẽs. Quid

Psal. 8.

est homo: quòd memor es eius aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuũ tuarum, Oĩa subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora cãpi, volucres cœli & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Vt autem omnia subiecta essent homini, intelligentia, ratione, sapientia, & cogitationum interprete lingua eum insigniuit, ac sibi in parte similem reddidit. Eidem leges præceptaq ue dedit, per quæ veram æternamque beatitudinem consequi posset, de terra translatus in cœlum, de corruptione ad incorruptionem, de mortalitate ad immortalitatem. Atque etiam vt post præuaricationem, per quam à tanto exciderat bono, pristinæ gratiæ statum eidem repararet, filium suum vnigenitum misit, qui humanæ mortalitatis carne assumpta, pro homine se deo patri in sacrificium obtulit, omnesque per primorum parentum culpam sub maledicto venundatos suo ipse sanguine redemit, etiam in ingratos beneficus, & in delinquentes pius.

Primus

Primus in se credentibus regnum cœleste promittere cœpit. Primus pœnitentibus paradisi ianuam aperuit, quo primus deuicta morte cum corpore ascendit, vt sequentibus pararet locum, & post se per sua incedentes vestigia clementer susciperet, omniumque bonorum quæ homini tribui decens fuit, faceret consortes. Tot tantisque beneficiis dignam referre gratiam non est opis humanæ, quibus etiam propheta se imparem confitetur, dicens: Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Sed quoniam ipsi melius quàm nobis nota est inopia nostra, nihil aliud exigit, nisi vt in eum credamus, ei seruiamus, eius mandatis legibusque pareamus. Hoc si præstabimus, neque benefecisse nobis illum pœnitebit, neque ea quæ pollicitus est pigebit exhibere, ac tanto quidem libentius hoc faciet, quanto nos magis in impartienda proximis nostris humanitate exerceri viderit. Is enim proximè ad similitudinem eius accedit, cui potissima cura est operum charitatis. Hunc igitur sequamur, hunc ipsum quàm possumus diligentissimè imitemur, beneficia tribuendo, sicut ipsum & fecisse & facere nouimus, tam petentibus quàm non petentibus, tam inimicis quàm amicis, tam ingratis quàm gratis. Ille Paulum non supplicantem, imò repugnantem & inuitum ad se conuertit, & de persecutore Apostolum suum fecit. Aliis verò supplicantibus & sanitates restituit, & peccata donauit. Idem amicis bona largitur æterna: pro inimicis, à quibus crucifigebatur orauit. Et Iudę non ingrato solùm, sed etiam malum pro beneficio reddenti, sui corporis mysteria obtulit, pedes lauit, osculum non negauit, nulla denique beneuolentię signa subtraxit. Si ergo similes Christo effici cupimus, vt debemus, omnibus si fieri potest benefaciamus, lædamus neminem.

Psal. 115.

De benefi-

De beneficiis dispensandis Cap. 22.

PEtentem obligant beneficia, non petentem prouocant: amicos conseruant, inimicos reconciliãt, gratos delectant, ingratos assiduitate emendant. Non sunt tamen omnia danda, siue illa petantur siue non petantur: sicut etiam de eleemosynis est dictum, beneficium'que erit nolle dare, quod nociturum esse noueris, licet roget ille, licet instet, licet indignetur, tu pernega, Illud autem da, quod non solùm accipere eum delectet, sed etiam accepisse. Si enim quod malè cessurũ est dederis, gratias tibi aget, donec iudicio officit affectus, cum autem damnum sentire cœperit, execrabitur, & amici gladio se perire clamitabit. Sin verò nõ dederis, quamprimùm durum te & inexorabilem amicis conqueretur, deinde cũ ad se rediens, causam negationis iustam fuisse cognouerit, verè se abs te amari fatebitur, & tibi debebit, quod postulata non concedendo eum periculo eripueris, in quod velut effrenis equus impetu ferebatur. Atque hanc quidem ob rem ipse bonorum omnium distributor deus nõ omnia orantibus præstat, alius poscit diuitias, alius prosperam còrporis valetudinem, alius magistratum, & ipse qui nouit quem finẽ singula habitura sint, respondet, nescitis quid petatis. Fit enim sæpenumero vt talia adepti, animæ suæ detrimentum patiantur. Quod ergo fortasse cõcederet iratus, denegat propitius, & nescimus. At verò si in eũ qui nihil petit, vltro beneficium contuleris, plus tibi gratiæ habebitur, quàm si roganti nõ negasses. Bis esse gratum aiunt, quod opus est si vltro offeras. Eum præterea qui iusta petit & reipsa quam petit satis indigere videtur, promissis ne in longũ trahas, cum protinus possis tribuere: dilatum beneficium minuit gratiam, citò

datum

datum auget. Hinc est præceptum illud Salomonis: Ne dicas amico tuo vade & reuertere, & cras dabo tibi, cũ statim posſis dare. Minus offendes petita quàm primũ denegando, quàm postquam promiſeris de die in diem producendo. Dũ enim quod poſcenti pollicitus es præstare remoraris, ille interim ab aliquo alio fortaſſe recepiſſet, ſed tibi credens tentare aliorum beneuolentiã ſuperuacaneum ſibi iudicauit, quòd ſi nihil tunc demum cum datum oportuit dederis, nõ ſolùm quod ipſe ſpopondiſti ei denegas, ſed etiam quod alius facilè tribuiſſet aufers. Dum enim ille expectat, dum ſperat, dum iam dubitat, atque de promiſſoris fide ambigit, & petendæ aliunde rei tempus amiſit, & occaſionẽ fruendæ, denique quicquid ex eo ſibi incõmodi acceſsit, tua cauſa paſſus eſt. Aut ergo ſtatim da quod petit, aut ſtatim nega, aut ſi tam citò dare nequiueris, diem certum conſtitue quo daturus es, & ipſum ne prætereas, vt ille ſciat, an è re ſua erit, tantiſper expectare. Suſpẽſum autem tenere expectantem, & cras atque aliud cras abſq; promiſsi ſatiſfactione elabi ſinere, non beneficium eſt, ſed iniuria, & breuiter ſimulator eſt, non amicus, qui promittit quod non eſt facturus. Beneficium merentibus dare, accipere eſt. Nemo enim non magis illius iudicium quàm beneficium laudat, qui digno dedit, atq; in hoc maximè deum imitatur, cum deus ipſe in optimum quemq; maximè beneficus ſit, nec niſi bene de ſe merentes ad beatitudinis gloriã faciat aſcendere. Ideo in Eccleſiaſtico eſt ſcriptum, Bene fac iuſto, & inuenies retributionẽ magnã, & ſi non ab ipſo, certè à domino. Eligas igit̃ oportet cui p̃cipuè benefacias, vt beneficiis bene recteq; collocatis, & amicos tibi compares, & deũ magis demerearis. Vt autem quiſque maximè indiget, ita & maximè erit adiuuandus. Qui verò ditiorũ delectũ facit, quibus beneficia impendat, nõ amicus eſt, ſed fœnerator. Vſuram enim cum ſorte ſimul exigere videtur,

Prouer. 3.

Eccle. 12.

detur, qui locupletioribus donat, dignus decipi, quoniam de recipiendo cogitauit cum daret. Cæterum inimicis quoque benefacere iubemur, dicente domino: Benefacite iis qui oderunt vos. Et Apostolus: Si esurierit (inquit) inimicus tuus, da ei cibum, si sitierit, da ei potum: hoc faciens congeres carbones super caput eius: vt videlicet qui odij duritia concretus est, postquam tuo beneficio fuerit superatus, liquescat ardore charitatis, & simultatem in beneuolentiam conuertat. Ne ingratis quidem subtrahenda sunt beneficia, quamuis enim illi non referant gratiam quam debent, referet ille qui nullum bonum sua fraudat mercede, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

Matth. 5.
Roma. 12.

Qualiter nos gerere debemus in dandis beneficiis. Cap. 23.

IN omnes itaque beneficia conferenda sunt, sed tamẽ vt quo cuique opus fuerit, quod'que cuique conuenerit detur, & merita singulorũ spectanda erunt & necessitas & ingenia. Dignis non solùm vitæ subsidia, sed etiam honores atque officia deferãtur. Inopes cibo, potu, tegumẽto, tecto iuuentur. Amici & parentur beneficio & foueantur. Inimici ita palpandi demulcendi'q; sunt, vt ad placabilitatẽ inclinẽtur. Cum ingratis quoque sic agendum, vt in iis veteris beneficentiæ obliuionem nouæ discutiat refricatio. Nam veluti arua minus fœcũda, si sæpius fimum irrigationem'que receperint, frugifera efficientur, ita ingratus recentibus admonitus beneficiis prętęrita quoque atque obliterata ad memoriam reuocabit, & verecundia compulsus de reddenda gratia intentius meditabitur. Quædam autẽm beneficia palam, quædam occultæ tribuenda sunt. Quæ virtuti debentur, palam dari conuenit, vt & honorandus appa-

dus appareat qui accipit,& alij eius exemplo ad actiones honore dignas excitetur. Is verò occultè erit adiuuandus, quem inopiæ suæ pudet, cui si quid in aperto obtuleris,magis proditum se dolebit, quàm lætabitur adiutum. Benefici j obliuisci debet qui dedit, semper autem memoriter tenere qui accepit. Ideò saluator noster cùm surdũ & mutum curasset,eis à quibus oblatus fuerat, ne cui dicerent præcepit, sed illi tanto magis prædicabant.Hinc igitur discas, & vitare iactantiam si beneficium dederis,& ingrati silentium si acceperis. Mat.7.
Illud quod tua causa præstas,non est beneficiũ, sed seipsum amantis consilium.Nõ enim præstares nisi tibi ꝓfuturũ sperasses.Quod autem & tua & mea causa mihi donaueris,iniustus forem, ni pro eo me tibi debere faterer,imò eo iucundius esse debet donum quod commodo atque vsui est,& tibi dare & mihi accipere. Inuidi est enim suam tantùm vtilitatem spectare,& cùm acceperis,quod aliis quoque profuturum sit,nolle beneficij loco ducere.Rectè autẽ non esse beneficium contenderim,alteri aliquid eripere,vt alteri dones. Nam cũ beneficium dare liberalitatis virtus sit, & aliena rapere auaritiæ vitium,quomodò potest dici virtus, quæ vitio constat? Quis neget dare eleemosynam pietatis esse munus? & tamen offerre in templum non licet, quod partum est iniquè.Sic enim in Isaia legimus.Ego dominus diligens iudicium,& odio habens rapinam in holocaustum.Ergo inquies, si beneficium non est quod accepi, Isaiæ.61.
nihil debeo illi à quo accepi? Nihil planè ei à quo accepisti,sed cui ablatum est vt acciperes.Huic redde suum, & ei nihil debebis,qui largitus est alienum.Ne concupiscere quidem iniustè rem proximi tui iuberis, nedũ possidere.Porrò nullus beneficium homini ab homine præstari potest,quàm si quis pro aliorum salute suã vitam periculis obiecerit, cum inter præsentia bona nihil vita charius habeatur.Maiorem, inquit dominus, Ioan.15.

charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Hanc profectò charitatem ipse nobis primus exhibuit, qui nobis sua morte aditum vitæ æternæ reserauit. Hunc imitati sanctissimi martyres, contra principum interdicta viam adipiscendæ salutis alios palã docebant, semet certè morti & quidem per tormenta sustinendæ audacter exponentes. Proximi ergo animæ periculum (si possumus) præsentis vitæ nostræ impendio propulsare debemus. Et si Ionas propheta tempestatem in mari passus mergi voluit ne alij mergerẽtur, quãtò magis præferenda est cuiusq; hominis animæ salus corporis nostri saluti? Omne tamen beneficium non tam res ipsa magnum facit, q̃ voluntas. Magnum est, cùm libenter, cùm citò offertur, cùm toto animi affectu impenditur: displicet si cunctanter, si tristè, si superbè, si serius, quàm oportuit præstatur, si denique pene à nolente & inuito extorquetur. Quemadmodum igitur rem multi pretij vilitat frigida voluntas tribuentis, ita exiguum etiam beneficium gratũ efficit in conferendo animi promptitudo atque facilitas. Illi quoque plus debeo, qui parui modicíque sui peculij participem me fecit, quàm qui diues multum donauit. Plus enim largitus est, cui minus quo ipse fruatur restat. Hanc verissimam sententiam domini confirmat autoritas. Cùm enim quidam diuites in templo grandem offerrent pecuniam, plus oblatum dixit à vidua paupercula, quæ duo tantùm minuta ęra obtulerat. Satis hæc de tribuendis beneficiis, nunc de accipiendis reddendísque exponamus.

Ionas.

Matth. 12.

De beneficiis accipiendis.

Cap. 24.

AB illo accipere beneficia oportebit, cui nos debere delectat. Molesta res est, his quibus nolis esse deuinctum. Econtrario autem iucundissimum

est

eſt,ei quem nullo etiam intercedente beneficio diligeres, accepto obligari,& cauſam referendæ gratiæ habere. Ab optimo quoque beneficium accipere, tam gratũ eſt quàm teſtimonium habere ipſorum erga nos amoris. Læto vultu gratóque animo ſicuti dandum ita & accipiendum erit beneficium: qui contemptim acceperit iam ingratus eſt, ſi ſibi beneuolè præſtitum eſt. Ille verò qui hilarè accipit, & libenter, iam perſoluit maximam beneficij partẽ, quæ in animo eſt. Reddit enim pro beneuolentia beneuolentiam, licet nondum mun° pro munere retulerit. Deeſt interdum referendi copia, interdum occaſio, & quandiu iſta deſunt, qui accepit beneficium tanquam relaturus, iam retuliſſe videtur: quia ſatis eſt voluiſſe, quoties poſſe non occurrat. Ab illo qui infamia notatus eſt, & turpiter viuit, non accipias beneficium, ne perditis moribus eius fauere videaris, niſi fortè eo accepto, & inita cum homine familiaritate ſpes fuerit, tuis admonitionibus eum reuocandi, ſibíque reſtituẽdi, ne in nequitia obduratus pereat. Cũ que etiam malis benefaciendum ſit, non eſt prætermittenda benefaciendi occaſio ſi tunc ſe offerat, cùm ille qui corrigi debet, munus aliquod porrigit. Tunc etiã à malo accipiendum erit, cùm ille deterior futurus timetur, niſi acceperimus. Tyranno enim aut improbo aliquo domino munus vltro porrigente, ſi non acceperis, contemni ſe putabit, & qui prodeſſe volebat, mutato animo offendet. Ab hoc genus hominibus non eſt liberum nolle accipere. Nec tamen illi quicquam pro eo debeo, quod inuitus accipio, reddam ſi repetet, non vt benefactori, ſed tanquam creditori. Et ſi reddidero, gaudebo me ab illius beneuolentia eſſe ſolutum, qui dignus eſt odio. Alia quoque cauſa eſt accipiendi beneficij etiam ab impiis, cùm videlicet eo accepto datur facultas benefaciendi bonis ac iuſtis. Sic Ioſeph accepit à Pharaone, ſic Daniel à Nabuchodonoſor,

non hoc quidem, vt ipsis gratiam deberent, sed vt suis prodessent.

De beneficijs reddendis. Cap. 25.

POrrò in referẽda gratia tales nos præstemus, quales esse decuit in beneficio accipiendo. Cui refertur, sentiat quàm libenter, quàm iucundè sibi referatur: vt lætus sit, se quoque prudenter egisse, quod in homine tã grato suum collocarit beneficiũ. Nihilominus soluta etiam gratia, nos ei debere fateamur quia dignos nos suo beneficio iudicauit, quia prior ad amicitiam venit, vt merito redametur, qui cœperit amare. Interim si grati esse volumus, nũquam patiamur excidi memoriam collatorum in nos beneficiorum. Ingratus est, qui non reddit. Audeo dicere, non minus ingratus est, qui non meminit: quoniam ne tunc quidem gratus fuit cum acciperet. Quod enim libenti animo accipimus, id non facilè obliuiscimur. Illa verò facillimè obliterari solent, quæ minimi æstimantur. Qui ergo oblitus est, is profectò testatur, se pro vili habuisse quicquid accepit. Referrem, inquis, si accepti memor fuissem, imò memor accepti fuisses, si referre gratiam cogitasses. Ipsa obliuio te ingratitudinis accusat, qua te defendere ab ingratitudine conaris. Quæ autẽ res est: quæ præcipuè faciat ingratos? Alios certè superbia, alios auaritia. Illi dignos se beneficio existimant, & dedisse putant cùm acceperint: hi verò accepisse se dissimulant, ne reddant, & quanto cupidius acceperunt, tãto in reddendo lentiores existunt, nihil'que se fecisse lucri arbitrantur si paria reddiderint, quasi verò gratũ esse non virtus sit, sed vitium. Quod enim turpe est, id vtile putant: & quod honestum est, hoc sibi incõmodo esse existimãt. Ideo'q; alterũ respuunt, alterũ affectãt, & in-

& ingratitudine pro quæstu vtuntur. Duo autẽ ista, arrogantia videlicet & cupiditas, cùm omnibus vitanda sint, tum iis maximè, qui vel benefici vel grati esse cupiunt. Nõ referre gratiam cùm possis, turpissimum est, cum non possis, velle tantum retulisse est. Cæterùm illi qui non reddere lucrari, esse existimant, multûm quidem falluntur. Quis enim in eum iterum beneficus erit, cuius ingratitudinem semel fuerit expertus? Itaque rarius accipiet, qui in reddendo negligentem se præstabit. Illi verò qui capessẽdis virtutibus operam impendunt, non rerum emolumenta sequuntur, sed morum: eis incumbunt officiis, eorum cura studióque distringũtur, in quibus versantes, non diuitiis, quæ improbis etiã cõmunes sunt, sed quod lõgè beatius est, vitæ sanctimonia proficiunt. Quinimo contemptis calcatísque opibus ad solam virtutem confugiunt, neque hanc se consequi posse sciũt, nisi illas abiecerint. Et cũ nihil pciosius virtute sit, quis negauerit eos multùm lucrifacere, qui in dando, reddendóque beneficio & liberales in primis & grati esse student? Hæc enim ea res est, quæ amicos comparat, quę inimicos placat, quæ deum propitiat, quæ immortalitatem mortalibus donat, & de terra sublatos cœlo inserit sedibúsque sanctorũ, vt semp beati sint, qui vt charitatem seruarent, semper munifici liberalésque fuerunt. Is autem qui in beneficiis compensandis dati accepti rationes dispungit, nec liberalis pfectò, nec gratus est, sed cupiditati seruiens negotiator, & terrenis tantùm ac perituris inhians bonis, non ad cœlestia animum intendens & æterna. Virtute autem contentus esse debet, & non suum, sed alienum respicere commodum, tam ille qui confert beneficium, quàm qui gratiam refert, atque vterque ita se gerere, vt deo magis placeat quàm hominibus. Quos hominibus placere magis delectat, ab hominibus captant gloriam, & à deo non accipiunt mercedem, debitáque virtuti præ-

mia amittunt,dum quicquid rectè laudabiliter'que ege rint, vanitati tradunt, & non in eum finem, in quem debent dirigunt.

Vtrum debemus pro beneficio cui successit iniuria. Cap. 26.

QVid, inquiet aliquis, si post beneficium acceptum affectus sim iniuria, debeo ne aliquid pro beneficio? Non videtur mereri gratiæ relationem, qui beneficium suum consequenti corrupit offensa. Itaque non eris ingratus, si ei beneficium non reddideris, qui quantum intulerat boni, tantum postea mali irrogauit, intuendum igitur minor ne an maior sit iniuria quàm beneficiũ. Minoris enim iniuriæ obliuisci debes, & memor esse beneficij. Cùm verò maior vel par fuerit offensa, obligatione beneficij absolutus est, neque gratiam debes illi, qui gratiæ meritum lædẽdo amisit. Iniuriam tamen omnem, quantacunque fuerit, remittere debemus, nec vindictam appetere, propter eũ qui ait: Dimittite, & dimittetur vobis. Sed si cõdonata est iniuria, inquies, cur non manet beneficium? Iniuriam remitte, ne deum offendas: beneficium reddere supersede, si ita tibi expedire videbitur, ne homini qui non meretur, gratiam referas. Alioquin qui sine causa ingrati sunt, quamuis nulla lege puniantur, deum tamen habent vltorem. Agar ancilla beneficij immemor quod acceperat, dominam suam probro afficit: ob hoc eiecta cum puero quem genuerat, famem sitim'que pertulit pro culpa. Absalon patrem, cui charissimus erat, à quo fraternæ cædis veniam acceperat, regno pellere moliebatur, sed tantæ ingratitudinis scelus merita nece persoluit, telis confossus inimicorum. Nabalis in Dauidem ingratitudo, de summis diuitiis ad summam ipsum

Agar. Gen. 16.

Absalon. 2. Reg. 18.

Nabal. 1. Re. 25.

sum redegisset paupertatem, nisi vxor eius Abigail mul tis oblatis muneribus pro illo satisfecisset. Scias igitur deo atque hominibus pariter inuisum eum qui ingratus est, tantoque magis si pro bono malum reddit. Tũc enim non solùm ingratus est, sed etiam iniurius.

LIBRI. V. FINIS.

EVANGELISTARII

MARCI MARVLI LIBER.

VI. sub charitatis titulo, qui grati sint in deum vel ingrati, quo pacto prædicatorem docere conueniat, quomodo labori manuum, vt otium euitetur, insistendum sit, in quo denique vera & falsa consistat humilitas, disertè edocens.

Vtrum deo reddi possit beneficium. Cap. I.



NON possumus (vt quidam aiunt) deo dare beneficium, cũ ei9 omnia sint, sic neque gratiam referre, cũ nullius rei indigeat, bonorumque omniũ plenissimus existat. Quid ergo sæpe in scripturis de ingratitudine nostra querentem audimus. Ingratitudinis autem non iure

 arguerétur,

argueretur, qui gratus esse nequiuisset. Quæ igitur illa res est, quæ nos erga deum aut ingratos reddat, aut gratos faciat? Cuncta nanque dei sunt. Quicquid dare voluero, deum de suo dare necesse est, quid reddere conabor, ipse dedit quod reddo. Quid habes, inqit Apostolus, qđ non accepisti? Sed à quo omnia quæ habemus accepimus, ei proculdubio nec dare nec reddere quicq̃ possumus, nisi quod ipse largitus est. Si tamen esse aliquid beneficij, quod seruus domino suo tribuere possit inuenerimus, quamuis omnia quæ seruus possidet, domini sũt, inueniemus & quod homines offerre queant deo, & ille oblatum beneficij loco habeat, offerre verò nolentẽ ingratitudinis damnet. Quæro igitur si seruus fideliter seruit, si domini iussa gnauiter exequitur, si rem gratam domino facturus non dubitat subire capitis periculum, si nec viuere cum illo, nec mori pro illo, si casus inciderit, recusat, pręstat ne domino beneficium an nõ? Si negaueris, respondebo tibi, sine causa ergo benignius quàm reliqui eiusdem conditionis à domino accipitur, sine causa manumittitur, & iam non vt seruus aut libertus, sed vt filius diligitur. Immeritò certè ista in seruum conferuntur, si nullum domino beneficium præstitit. Sed qui talia à domino meruit accipere, negari non potest quin præstiterit aliquid, ob quod talia accipere visus est dignus. Rursùm si erro fugitiuus'que fuerit, si imperium domini contempserit, si furto non abstinuerit, si petulans, si mendax, si ebriosus, si rixosus, si denique nequam fuerit, nónne vinculis constringetur, stigmate notabitur, furcam ferre cogetur, flagris verberibus'que cædetur, & vel venundabitur, vel perimetur? Iniquè talia passum diceremus malum seruum, nisi offendisset: sicut bonum non iure remuneratum, nisi aliquid præstitisset. Cũ igitur omnium hominũ vnus dominus deus sit, & omnia quę possidemus, ab ipso acceperimus, beneficium tamẽ ei præstamus, vel verius red-

dimus

dimus, quoties mandatis eius paremus, quoties consulta suscipimus, monita implemus, & in omnibus ipsi soli obsequi nitimur. Offendimus autem, si his contraria agimus. Ideoque ab illo & iusti præmium referũt, & pœnam iniqui, non quòd deo ex benefactis hominum aliquid accedat, aut decedat ex malefactis: cui neque addi quicquam neque adimi potest, sed quia idem tum iustissimus, tum optimus sit, non potest non odisse malos, neque bonos non diligere, & hoc quidẽ pro beneficio sibi dato æstimat, si quod pręcipit facimus, pro offensa si nõ facimus. Atque ideo alios gratos vocat, alios ingratos, hos punit, illos efficit beatos. De ingratis dicturus est, si Euangelio credimus: Quodcunque vni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis: econtrario autem gratos illud beneficium sibi præstitisse fatebitur, quod indigentibus præstiterunt. Ingratos damnabit, dicens: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Gratos verò ad se vocabit, & dicet: Venite benedicti patris mei, possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi, ab initio æternitatis. Vide igitur qua ratione & demus deo beneficia, & accipiamus præmia, & quomodo si non dederimus, mulctandi simus. Atque vt apertius hoc quod astruimus intelligas, qui in Deum credit, qui deo obtemperat, qui DEVM diligit, honorat, colit, veneratur, gratus est. Incredulus, expers, impius, DEVM hominesque contemnens, ingratus est. Nullum postremò peccatum, quod legi aduersatur diuinæ, ingratitudinis vitio vacat. Illum enim offendimus, quoties peccamus, à quo cũcta bona quæ homini dari queunt, accipimus: Accepturi adhuc meliora, si non ingrati decesserimus. Operæpretium erit, huiusce rei proponere aliquot exempla, & prima eorum quos dominus gratiam sibi referentes amplexatus est: deinde illorum quibus pro ingratitudine intulit mala: vt cum præsentia considerauerimus,

Mat. 25.

de

de futuris non ambigamus: beatos videlicet & in cœlo fore, qui sic à domino diliguntur in terra. Econtrario autem in inferno quoque cruciandos esse, si non se correxerint, qui antequam eò descendant, pro scelere puniuntur.

De gratis erga deum in veteri testamento. Cap. 2.

Abel. Gene. 4.

IGitur vt ab aliis qui ante diluuium fuere, initium capiamus, gratus erga deum fuit Abel qui primogenita & pinguiora quæque gregis sui offerebat domino. Quòd autem propterea à domino dilectus fuerit, scriptura testatur. Ait enim: Respexit deus ad sacrificia Abel, ad Cain autem sacrificia non respexit. Maledixit quoque Caino dominus, quia ille ob hoc ipsum fratri inuidens, quòd sibi præferretur, ad se euocatum interfecerat. Gratus fuit Enos, primus quippe cantica quædam hymnosque composuit, quibus nomen domini inuocaret, pro quo dedit ei dominus, vt filios gigneret, & nõgentosquinque vitæ annos absque offensa impleret. Gratus fuit Enoch. Neque enim diceretur ambulasse cũ deo, nisi ei semper obsequentissimus fuisset. Morũ itaque sanctimonia meruit, vt viuens ad beatiora quàm est mortalium habitatio, loca transportaretur. Gratus Noë. Nam & ipse cum deo ambulasse dicitur, & perfectus iustusque fuisse. Proinde dignus fuit, qui mundo ꝑ diluuium pereunte, solus cum filiis ac nuribus fieret superstes, & omnium quæ aquis deleta fuere, reparator existeret. Post diluuium verò gratus fuit Abraham. Posuit enim altaria domino, victimas obtulit, decimas ꝑsoluit, deo credidit, & reputatum est ei ad iustitiam, deniquevt domino obediret, filio non pepercit. Ob hoc quidem cum deo colloquitur, pater multarum gentiũ constituitur, in semine eius, quod est Christus benedicen-

Enos. Gen. 5.

Enoch. Ibidem

Noë. Gene. 6.

Abraham. Gen. 11.

cendę omnes nationes deo promittente nascuntur. Gratus fuit Loth: vt enim Deo placeret, domi peregrinos acceptauit, quare meruit fieri hospes angelorum, & superesse Sodomitis, inter quos habitabat, igne & suphure de cœlo pluente ob scelera consumptis. Gratus fuit Isaac, qui cùm centum octoginta vixisset annos, in his omnibus domino suo non peccauit. Per quam dignè autem deo gratia refertur, cùm innocentia per omne vitæ curriculum inoffensa seruatur. Hic igitur benè de deo meritus, cùm sementem fecisset, centuplum collegit, geminos genuit, in quibus benedicendis errare non est permissus, non enim cui voluit, sed cui debuit benedixit, vt Abrahæ patris genus in Christum dirigeretur. Gratus fuit Iacob, in nullo illũ scriptura accusat, & deo charissimum fuisse beneficia testantur. Ad eum primogenita fratris Esau transferuntur, dicente domino: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Cùm obdormisset, scalã vidit à terra ad cœlũ extentã, & in ea angelos ascẽdẽtes & descẽdẽtes, ac dominum cacumini innixum, qui terram in qua quiescebat ei promisit, regnum'que eius longè late'que diffundendum prædixit. Inde ille parens efficitur duodecim liberorum, qui duodecim tribubus nomen dederunt, cœptus'que est vocari Israël, hoc est, deum videns: & vidi, inquit, dominum facie ad faciem. In Aegyptum transmigrans multiplicatur. Liberis quæ euentura erant, moriens prophetauit. Grat⁹ fuit Ioseph in Aegypto dum sæuus esset, & iuuenis impudenter se ingerentis dominę libidini non consensit, maluit'que vitam suam periclitari, quàm castitatẽ pollui, cùm ab illa irata tentati adulterij insimularetur. Magnam deinde fratrum in se iniuriam cùm vlcisci posset, magnis rependit beneficiis: eos quippe à quibus in seruitutem venundatus fuerat, in Aegyptum vrgente fame profectos benignè suscepit, largiter'que aluit. Erat enim secundus à rege, cuius visa obscuritatibus

Loth. Gene. 16.

Isaac. Gene. 35.

Iacob, Gen. 28.

Ioseph. Gen. 30.

tibus inuoluta spiritu sancto reuelante plana fecerat.
Moyses. Creatus fuit Moyses, filias Raguelis sacerdotis virgines
Exod.2. pastorum violentia tutatus est. Hinc à domino dux ele
Exod.31. ctus, Pharaonem prodigiis terruit, populum Israël eduxit de Aegypto, quãdo mare se aperiens aridũ trãseuntibus præbuit iter, & eorum persecutores oppressit aquis. Idem deinde in monte leges quas ad populũ ferret, à domino accepit: nemo tam familiariter cum deo colloquebatur, nemo tam ardẽter ab eo ad idola descisc
Iosue. scentes puniuit. Ipso saxum percutiẽte fluxerunt aquę:
Num.14. ipso orante, Amalech superatus est. Gratus fuit Iosue, diuinis enim credens promissionibus populum reges terræ quàm ingressurus erat metuentem, spe victoriæ animauit. Proinde dignus fuit, qui in demortui Moysi locum sufficeretur, & victis hostibus regionem à domino promissam obtineret, eam'q; p tribus diuideret. Ad hanc transeunti Iordanis refrenato aquarum cursu in sicco alueo viam cessit. Hierichuntem obsidente, muri corruerunt. Inimicos persequente sol & luna steterunt, ne noctis interuentu qui fugiebant elaberentur. Tot igitur miraculis testãtum est, quantum ei dominus faueret, quia erga se in omnibus grãtum fidum'que sciebat. Sed ne catalogum sanctorum texere videar,
Patriarchæ grati erga deum fuere omnes illi patriarchæ, illi duces, illi sacerdotes, illi iudices, illi reges, illi prophetæ, qui in mandatis DEI, in lege, in omnibus ceremoniis constanter pie'que permansere. Tales autem eligere solitus est dominus per quos populum erudiret, à seruitute liberaret, à periculis erueret, victoria donaret, & de illis quæ futura erant admoneret. Quòd si benignissimus dominus fideliter sibi seruientes, beneficiorum'que suorum non oblitos, ita vt dictum est fouet, ita amplexetur in terris adhuc viuentes, quantomagis ad cœlestis beatitudinis domicilia mansiones'que angelorum translatos? Hæc de veteris historię fontibus hausta iā

exi-

exigere videntur, ut à nouæ salubris fluentibus aquis aliqua deriuemus, ad éandem gratitudinis virtutem accommodata.

De gratis erga deum in testamento nouo. Cap. 3.

IEsus Christus dei filius, humani generis redẽptor ac saluator, patribus promissus, nobis exhibitus & datus, non præsentia bona hominibus polliceri cœpit, sed futura: nec terrenum largiri regnum, sed cœleste: Pœnitentiã agite, inquit, & appropinquabit regnũ cœlorum. Et ad latronem: Hodie mecum eris in paradiso. Quòd si tãdẽ, nõ vt olim ad inferos animæ iustorũ descendant, sed in sublime angelorum sedibus inferantur, iucundissimo domini sui conspectu semper fruituræ, nõne multo nos causatius quàm prisci illi, de quibus paulò antè est dictum, deo seruire debemus, & soli nauare operam, contemptisque omnibus ipsum vnũ absque quo nihil est beatum, tota mente concupiscere? Meritò igitur sequens credentium ætas ad omnia dura atque aspera perferenda cœpit accingi, mollia verò respuere & delicata: atque in his pręcipuè gratiam referri saluatori, per quæ maximũ omnium beneficium se accepisse meminit. Quid enim maius aut optabilius esse potuit, quàm paradisum p̃ tot secula primi hominis culpa clausum, per ea demum quæ Christus passus est, nobis fuisse reseratum? Oportuit enim pati Christum, & sic intrare in gloriam suam. Oportet igitur pati & nos, ac per vestigia eius incedere, si illò quò ipse p̃cessit, volumus peruenire. Hæc est ergo nostrorum erga deum maxima gratitudo, pro amore illius, qui prior dilexit nos, voluptates, opes, otia contemnere, continentiam seruare, modico contentos esse, religiosæ vitæ laboribus nunquam defatigari. Talem quippe pro bene-

Matt. 4.

Lucæ. 24.

nefi-

Apostoli. neficiis gratiam primo deo retulere Apostoli, deinde martyres cæteríque Christi serui, virgines quoque & viduæ omnesque illi qui ecclesię authoritate in sanctorum collegio numerantur. Pro Christi nomine non dubitauit Petrus crucifigi, Paulus capite truncari, Iohannes in feruentis olei dolium nudus demergi. Bartholomęus viuus excoriari, Thomas lanceis perfodi, Iacobus maior decollari, minor fuste fullonis interimi, Stephanus lapidibus obrui, Laurentius igne cremari: omnes denique per tormenta consumi. Hoc idem propositum fuit reliquorum sanctorum omnium necem videlicet à persecutoribus inferēdam subire potius quàm à Christi fide deficere. Illos quibus hoc contigit, Apostolus ad Hebræos scribens pulchrè percenset, cùm ait: Alij verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Noli expectare vt audias quid hi prosperitatis in vita perceperint, qui ad quæque laboriosa sustinenda magno animo se armauerant. Si tamen nosse desideras, nihil illis prosperius contingere potuit, quàm per aduersitatum patientiam ostendere, quali cōstantia, quantáque fide Christum diligerent. Adde quòd illos quoque à quibus necem suppliciáque passi sunt, victores fuerint. Præualuit enim patientium fides impietati persecutorum, & contempto inanium deorum cultu, ab omnibus adorari cœptus est Christus. Nequaquàm sancti martyres coronati triumpharent in cœlo, nisi in terra vicissent. Vera fidelium victoria est, neque deiici aduersis, neque secundis efferri, deo magis quàm hominibus obedire, & carnem spiritui repugnātem in seruitutem redigere. Quæ quidem & illi sancti, quos persecutionis non attigit gladius, diligenter obseruarunt. Dum enim viuerent, non cessabant Christo seruiendo vitę instituta vel ipsi discere, vel alios docere, vigiliis, precationibus, ieiuniis, lectionibusque vacare,

Martyres.

Heb. 11.

Fidei victoria.

care, diuitias indigentibus distribuere, & paupertate gaudere, virginitatem viduitatemque nuptiis præferre. Sic egerunt inter summos pontifices: Syluester, Gregorius, Leo & Cælestinus. Inter episcopos, Martinus, Nicolaus, Ambrosius, & Augustinus. Inter Abbates, Antonius, Hilarion, Hieronymus & Benedictus. Inter monachos, Dominicus, Vincentius, Franciscus & Bernardus. Inter eremitas, Paulus, Thebæus, Honophrius, Arsenius, Archebius, & Theonas. Inter virgines, Maria virgo, simul & mater, ipsum enim genuit Saluatorem, quẽ sicut de spiritu sancto concepit, ita sine virginitatis dãno peperit. Hanc secutæ sunt Thecla, Agatha, Hagnes, Lucia, Catharina, Cecilia, Margareta, Barbara, aliæq; permultæ, quas ad coniugium nulla blandientium promissa, nullæ furentium minæ, nulla sæuientium tormenta inclinare potuerunt. Omnia extrema perpeti malebant, quàm domino semel promissam amittere virginitatẽ. Inter viduas verò perpetuam continentiã custodientes fuerunt, Anna, Paula, Galla, Melania, Monacha, & aliæ plurimæ. Talium vitam moresque sequatur oportet, qui cumulatissimam deo gratiam cupit referre, ac post relatam ab ipso suscipi & immortalitatis gloria in cœlestibus vestiri. Proponamus nunc ingratorum exempla, & quos præmia ad virtutem parum excitant, saltem pœna à vitiis auocet.

Pontifices. Episcopi. Abbates. Monachi. Eremitæ. Virgines. Viduę.

De ingratis ante diluuium. Cap. 4.

PRimi parentes nostri donec beneficiorum memores iussioni diuinę obtemperarunt, paradisi in quo positi erant, bonis fruebantur, postquàm verò ꝑ ingratitudinem à mandato recessere, ligni vetiti fructum gustando, eiecti de paradiso, laboribus, ærumnis, mor-

Adã & Eua.

morti subiacuerunt. Ei enim peccauerant (licèt postea pœnitentiam egisse credantur) à quo corpus, à quo spiritum, sensum, intellectum, dei similitudinem acceperant: à quo præesse bestiis terræ, & volucribus cœli, & piscibus maris iussi erant: vt his quæ terra proferret vescerentur, & simul ligna, lapides, metalla, ignẽ quoque & aquam, tellurem & aëra in vsum vitæ necessarium haberent. Meritò igitur malis mancipati sunt, cùm talem ac tantum benefactorem offendissent.

Gene. 3. Mulier quia prior peccauerat, viri subditur imperio, & pariendi cruciatib⁹ mulctatur, vt voluptatem quam cœpit, fructum interdictum manducando, filios generando dolore compenset. Meritò etiam Adæ est dictum: Maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Tot igitur mala passi sunt post reatum, quot antequam peccassent, bonis fruebantur. Non esset magnum eorũ crimen, nisi & magna essent illius beneficia, in quem commissum est. Non tam enim ex se, quàm ex meritis eius, qui offensus est, ingratitudinis culpa pẽsari debet. Itaque quàm grauiter peccauerint, pœna indicat, quæ quidem ad posteros omnes fuit propagata ꝓpter corruptam radicem, de qua generantur. Et quoniam nihil ab homine nequiter agitur, quod ingratitudini in deum non sit ascribendum:

Cain. Gene. 4. Ingratus fuit etiam Cain Adæ filius, qui inuidiæ furore percitus interemit fratrem suum Abel. Ob hoc illum dominus execratus est, dicens: Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua: cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos, vagus & profugus eris super terram omnibus diebus vitæ tuæ. Postremò & ipse interfectus fuisse creditur in se-

ptima

ptima generatione, vt prius annos multos aduersa sustineret maledictionis, deinde quod fratri intulerat, ipse ab aliis ferret. Neque illa quidem parua fuit ingratitudo, illa malitia, quæ deum ad pœnitentiam compulit, quod hominem fecisset. Nemo qui ei nō peccauerat inuentus est. Omnis caro (inquit) corruperat viam suam, Gene. 6. præter illas octo animas quæ in arca seruatæ sunt, ne cum cæteris diluuio perirent. Porrò, si quæris quanta tunc fuerit culpa ingratorum, multę bestię cataclysmo superfuerunt, illorum nemo. Post diluuium ingratissimos omnium semper fuisse Iudæos comperio, illos excipimus, quorum superius facta est mentio. Iudæi. Etenim cum ab ipso mundi domino multo plura quàm reliquæ nationes beneficia accepissent, magis etiam constanter illum colere debuerunt.

De beneficiis Iudæis collatis post diluuium. Cap. 5.

VIdeamus igitur primo, quænam illis ab indulgentissimo rerum largitore deo præstita fuerint bona, deinde quàm ingratè ipsi ex aduerso se gessere, & simul quæ postea passi sunt mala. Iudæi. Solis vnius dei veritas fuit reuelata, solis leges de cœlo datæ, monstratus ceremoniarum ritus, oracula futurorū indulta, dei voces palam locutæ, ingentium miraculorum operatio concessa, deo fauente timuit eos Aegyptus, & cum dimittere nollet, flagella sustinuit, mare se aperiens siccū euntibus præbuit iter, & aquæ quæ illis hinc inde pro muro erant, Aegyptios cum armis hostiliter insequentes operuere, in solitudine manna cœlestis cibus pabulum illis præbuit; & de saxo virga percusso scaturiens amnis potum. Iordanis ad fontem suum reuersus perstitit donec transirent, terram denique promissionis lactè & mellè manantem: perdomitis eius incolis possederunt.

derunt. Quis denique explicet tot hoste victorias, tot à seruitute liberationes, vel quoties periculis eruti, à cladibus protecti? Moyse orante (vt antè diximus) victus est Amelech: buccinis clangentibus, Hierichuntis mœnia corruerunt: Iosue inimicos persequente, lapidibus pluit de cœlo super fugientium ceruices: ac ne noctis interuentu elaberentur, sol & luna motum suum continuerunt. Nulla vnquam fuit longior dies, quam ista in qua quinque Regum Chananæorum prostratus est exercitus. Balaam præterea prophetes asinæ loquentis voce prohibitus est eis maledicere, & pro maledicto induxit super illos benedictionem, benedictos à deo esse non dubitãs, pro quibus mutum animal vocem protulerit humanam, victi sunt deinde Palæstini tonitru & fragore de cœlo territi. Holophernes Chaldæorum dux, cum vrbes aliorum prouinciasque expugnasset, in Iudæa vnius fœminæ manu victus occubuit. Regnante Hierosolymis Asa, innumerabiles Aethiopum copias ad internecionem conciderunt: Regnante Iosaphato, cum ingentem Ammonitarũ Idumęorumque exercitum formidarent, inimicos inter se digladiantes conspexerunt, mutuoque cæsorum tulerunt spolia tam securi, quam paulo antè pauefacti: Regnante Ezechia, cum ab Assyriis duce Senecheribo obsiderentur, angeli manu vnà nocte centum octogintaquinque milibus hostium cæsis, obsidione soluti sunt. Omitto nunc Macchabæos, Iudam, Simonem, Ionatham, qui dei sui nomine inuocato, parua manu ingentes hostium copias pluries fudere. Magna quidem & immensa beneficia hæc, maiora tamen accepturi erant, si istorum quæ acceperant largitorem non deseruissent. Nunc ergo quod superest, breuiter expediemus qua ingratitudine vsi sint, quantaque deo vlciscente pati meruere.

De ingra-

De ingratitudine Iudæorum in deum, & quæ pro idololatria passi sint. Cap. 6.

LOngum admodum foret memorare scelera singulorum, qui inter Iudæos impij infidiq; fuere. Omnium ergo simul in deum suum infidelitas detegatur, pœnaque infidelitatis vt cum hæc nota fuerint, simul constet & ingratitudinis magnitudo, & iusti domini in ingratos præsens vindicta, quam si quis inuitauerit, nec futuræ quidem, quæ omnium acerbissima est obnoxius erit. Dum Moyses in monte immoratur, donec tabulas digito dei conscriptas acciperet, illi ad idololatriam conuersi, vitulum æneum adorauerunt: & hi sunt, inquiunt, dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Ob hoc iratus dominus, delere eos voluit, sed Moysi pro ipsis instanter supplicanti gratiã fecit. Moyses tamen indignos tabularũ beneficio testatus, de monte descendens ipsas confregit, vitulumque contriuit, deinde deo iubẽte Leuitę sumptis armis de illo XXIII. millia ferè, ex iis qui vitulum adorauerãt, occiderunt: vt eum morte dignum esse noueris, qui in deum ingratus est. Post hæc contempto cœlesti cibo cum Aegyptias dapes cõcupiscent, aduersus deum & Moysen mussitantes, prouocatus in iram dominus, multa coturnicũ vi castra operuit, vt cupidini eorum satisfaceret. Cæterum, dum adhuc carnes in dentibus manderẽt, animas efflabãt, plurimiq; desiderati sunt, locus inhuiusce vltionis memoriã, sepulchra cõcupiscẽtię appellat⁹. Rursum tamen pollicitationi diuinę nõ adhibentes fidẽ, de obtinẽda ꝑmissionis regiõe desperarũt. Ideoq; illã ingredi ꝑrsus indigni, anteq̃ fines ei⁹ attigissent, in deserto mortui sunt, pręter Iesum & Caleph & paruulos po- Exod. 32.

 puli qui

puli qui non peccauerant. Quadraginta annos per solitudinem antequam terram incolendam adissent, errauerunt. Choræ quoque, Dathani, & Abyronis castra, vnà cum ipsis terræ hiatu absorpta sunt: atq; inde subitus ignis exhalans, ducentos & quinquaginta viros, qui incensum offerebant, absumpsit: & hoc quidem, quia legi diuinæ aduersantes, vsurpare sibi sacerdotium nitebantur. Vide tamen inconsultam vulgi audaciam. Nihil his quæ acciderant territi. Moysen & Aaronem nimis procaciter incessebant, perinde ac si ipsi eos qui perierant, interfecissent. Mox igitur ambobus his ad tabernaculum confugientibus, incendium repente illarũ vastare cœpit proteruos. Quatuordecim millia ex eis & septingentos conueremauit. Omnes tunc perissent, ni Aaron iussu Moysi stans inter mortuos & viuentes, deũ orasset. Ad eius preces cessauit ignis. Deus enim iniuriã illam illatam sibi deputat, quæ seruis suis indignè infertur. Quandoquidem vltus est eos, qui Moysen & Aaronẽ minaciter impetere ausi fuerant. Post hęc profecti de monte Hor per viam quæ ducit ad mare Rubrum, pertæsi itineris laborem rursum reclamabant, sed neque hoc fuit illis impunè. Ignitorum serpentum ictibus percussi moriebantur. Hinc tandem humilitatis ac veniam poscentibus, Moyses domino iubente, serpentem ex ære formatum suspendit in ligno, quẽ vulnerari aspiciendo conualescebant. Id autem portẽdebat, quod olim in Christum dominum crucifixum credentes, à diaboli morsibus liberandi essent. Ignitus enim serpens, diabolus est: Christus æneus, nihil in se veneni habens, & veneno peccati infectos, clementer sanans. Porrò, vt quod proposuimus prosequamur, iidẽ Israëlitæ cum appulissent ad Sethim, capti sunt amoribus Moabitidarum, ita vt deos quoque illarum adorarent, sed dignas quidem scelere isto pœnas dedere. Leuitæ quippe iussu domini vigintiquatuor millia de illis interimunt.

Chore & Dathan.

terimunt. Tunc demum deo placato, à cædibus cessatũ est, cum Zambrin virum & Zochim scortum, dum simul coissent, Phinees Eleazari sacerdotis filius pugione in genitalibus confodit. Vt præterea pateret, non minori animaduersione dignos esse criminis impulsores quam autores, Madianitas quoque percuti iussit dominus, qui eos callidè per mulierum blandimenta traxerant ad cultũ idoli sui Belphegor. Multo tamen grauius deliquerunt, qui ad deos alienos conuersi fuerant, deo suo derelicto, nec mirabilium eius memores, nec erga beneficia grati. Transeamus ad tempora Iudicum. Iosue defuncto, degenerauit populus, Colere cœpere Baal & Astaroth, non numina, sed monstra. Ob hoc passi sunt direptiones rerum'que detrimenta, nec omnino pares esse poterant viribus aduersariorũ. Deinde, quoniam Palæstinis & Chananæis aliis'que idololatris cultu & connubiis iungere se ausi fuerant deo pœnam huiusce flagitij exigente, annos octo seruierunt Cusanrasathaim Mesopotamiæ regi. Cum autem illos præuaricationis pœnituisset, liberati sunt. Sub liberatoribus quidem satis probè se habebant, illis verò vita defunctis, veluti laxato freno quocunque rationis expers appetitio vocasset, eo ferebantur. Itaque sub Othoniele etiam fidem deo seruarũt, eo autem mortuo, statim ad idola desciuere, quemobrem tunc quoque seruire compulsi sunt Eglon Moabitarum regi annos octodecim. Deinde post obitum Aioth ducis, cum iterum idola colere cœpissent, oppressi sunt seruitute à Iabin Chananæorum rege per annos viginti. Post Delboram quoque vxorem Lapidoth (& ipsa enim præfuit populo) peccauerunt, atque septem annis à Madianitis vexati sunt, sata fruges'que eorum vastantibus. Item post Gedeonem, & erga familiã eius, à quo de inimicis liberati fuerant, ingrati extitere, & erga deum impij, ideo'que per idem tempus externorum bello variè inquietati sunt. Post

Tempore. Iudicum.

Abimelech, Tholam & Iair præsides, itidem peccauerunt, & à Palęstinis mala passi sunt annis octodecim. Post Iephthe & Abessan & Ahilon & Abdon, rursum peccauerunt, & denuò à Palæstinis oppressi sunt seruitutis iugo per annos quadraginta. Post Samsonem verò inter se dissidere cœperunt, quando tribus Beniamin ob stupratam cuiusdam Leuitæ coniugem, & per vim in vna nocte multorum coitu lassatam atque extinctam penè interiit, dum à reliquis tribus indignè id ferētibus impugnatur. Primo tamen de his qui illos oppugnatū venerant, cecidere. XXII. millia: iterum altero congressu XVIII. millia; & ipsi enim offenderant suis viribus magis, quàm dei auxilio freti, sed tertio tandem certamine de Beniamin periere XXV. millia, oppidum eorū Gabaa incensum, in quo obsessi erant, idemque factum reliquis vrbibus ac vicis tribus huius. Ista de Iudicum libro summatim perstringendo protulimus, quę sequūtur, Regum continet historia.

Mala X. tribuum. Cap. 7.

Tempora Regum.

OB idololatriam, quæ maxima in deum ingratitudo est, diuisum fuit Iudææ regnum. Decem trib⁹ in Samariam secessere sub rege Hieroboam, duæ reliquæ sub Roboam Hierosolymis manserunt. In Samaria quidem perseuerauit impietatis crimen. Hierosolymitæ magis fideles inuenti sunt. Vitulos æneos adorabant Samaritæ, quos pro diis colendos posuerat Hieroboam primus ex Iudæis Samariæ rex. Eam ob rem Abiæ Hierosolymarū regi in prælio succubuerunt, die vno quinquaginta millia eorum desiderata sunt. Ciuitates tres amissę, Bethel, Hiesana & Ephron. Deinde regnum de familia Hieroboami ad alios translatum. Postea regnante Achab aduersum Syros profecti, ob hanc ipsam idololatriæ culpam superantur: Achab quoque sagittæ ictu interficitur. Regnante Ioacham, seruierūt

Azabelo regi Syriȩ. Regnante Phaace, Theglatphalazar Aſſyriorum rex Samariam inuadens, magnam quidem populi partem captiuam ſecũ duxit Niniuen. Regnante Oſee, vnà cum rege omnes trãſlati ſunt in Aſſyriam, per Salmanaſar Aſſyriæ regem. Cum enim prophanos gentium ritus imitarentur & prophetarum arguerentur ſermonibus, ad deum Iſaël reuerti nolebãt, colentes Baal, filios filiasq́ue idolis initiantes, inſeruiẽtes etiam diuinationibus atque auguriis.

Mala duarum tribuum.

Cap. 8.

NVnc ad Hieroſolymitarum immunditias gradus faciendus reſtat. Sub Roboam rege legem domini reliquerãt, cum Seſac rex Aegypti ciuitates eorũ munitiſſimas debellauit. dixitq́ue eis per prophetam, dominus: Vos reliquiſtis me, & ego reliqui vos in manu Seſac. Hic captam Hieroſolymam ſubdidit ſeruituti. Templi theſauros, regiamq́ue gazam omnem ſuſtulit & aſportauit. Sub Ioram rege, quia gentilium ritus ſecuti fuerant. Palæſtinorum atque Arabum magna in parte præda facti ſunt. Tunc enim & regis domus direpta, & eius vxores liberiq́ue capti. Ipſe autem Ioram, quia ab impietate non receſſerat, alui profluuio conſumptus eſt. Ob idem crimen Ioa regnante ingentes militum copias parua Syrorum manu proſtratas amiſere. Ipſe Ioas à ſeruis domi fuit interemptus. Rurſum ſub Amaſia rege deos alienos adorabant, cum à Ioa Samaritano rege ſuperati ſunt, pars Hieroſolymitani muri diruta, theſauri ablati ipſe Amaſias captus, nobilium liberi pro obſidibus abducti. Tunc etiam regnante Achaz colebant Baal, cum & à rege Syriæ ſpoliati ſunt, & à rege Samariæ Phacee ingenti bello victi. Ea enim pugna centum viginti millia

ti millia virorum cæsa fuisse dicuntur, ducenta millia in captiuitatẽ abducta, cum præda omnis generis propè inæstimabili, quamuis Phacee ab angelo coargutus, restituerit captiuos: quia tamen ab impietate non recedebant. Idumæi illorum fines depopulati sunt, vrbes aliquot expugnarunt Palæstini, agrum vastauerunt Assyrij, neque tamen tot cladibus affecti, ad dominum redire voluerũt, donec in regno successit Ezechias Achazi filius, per omnia patri dissimilis. Piè enim ac sanctè vixit. Et vt intelligas principum mores ciuibus documento esse solere, semper quidem Iudæi sub religiosis regibus religiosi fuere, sub impiis impij. Post Ezechiã

Manasses. regnat Manasses eius filius, magis impietate quã regno nobilis. Captus à Chaldæis, addicitur seruituti. Aduersis pulsatus agnouit errorem, pœnitentiam egit, & domino miserante restitutus est regno. Quòd si Manasse pœnitentiam suscepit deus, quis tam impius est vt veniam desperet, si ad illum à quo alienatus est recurrerit? Ioachazo quoque impio super impios regnãte, Nechao rex Aegypti eosdem tributa sibi pendere compulit. Ea erant centum argenti talenta in singulos annos,

Eliachim. vnum auri. Tunc Iochazo sublato, Eliachimũ eius fratrem præfecit regno. Sed cum neque isto ad regni gubernacula sedente, populus ab erroribus resipuisset, Nabuchodonosoro Babyloniorum regi seruierunt, atque etiam latronum infestationes passi sunt. Et ne tunc quidem ab idololatriæ cultura desistentes, Ioachimo Ioa-

Ioachim. chimi filio regnante, obsessi à Chaldæis, vnà cum rege potestati illorũ sese dedidere. Tũc omnes ferè in Chaldæam traducti sunt, præter pauperes vulgi agricolationi relictos. Hinc Matathias vrbi penè desertæ iussus est præsidere, Cumque ipsi etiam qui tunc residui erant, nullo dei flagello ab inueterato iam errore reuocari potuissent, totam in illos indignationem effudit deus, eosque grauius quàm vnquam antea afflixit. Cum enim

Matathias

Matathias iste qui & Sedechias est dictus, à Chaldæis defecisset, obsedit eos Nabuchodonosoro Chaldęorum rex, vrbe potitus est, Sedechiam cum liberis fugientem comprehendit, liberos illo spectante trucidari iussit: ei verò nequid deinde iucundi videret, oculos eruit, & vinctum secum Babylonem abduxit. Post hæc Nabuzardam ducem cum valida militum manu misit, qui mœnia vrbis demolitus solo æquauit, domos templū'que incendit, ciues in seruitutem ad Chaldæam transtulit. & cum illis vasa templi aurea, argentea, ænea, æneas'que columnas templi, primarios vrbis ciues, dei'que sacerdotes interfecit, & impletū est quod in psalmo prædictum fuerat: Tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici, & cōclusit in gladio populum & hæreditatem suam spreuit. Denique facta est, quam prophetæ prædixerant, trāsmigratio Iudææ in Chaldæam, ac tanta prophanæ gentis ingratitudo tales quidem pœnas dedit, quæ si solæ proponerētur, & nulla futura esset in inferno, quia adeo temerarius est, vt audeat esse in deum ingratus?

Matathias

Psal. 77.

Mala Iudæorum post Christi passionem, propter incredulitatem. Cap. 19.

POstea verò per Cyrum manumissi, postliminio'q; reuersi sub Esdra sacerdote instaurarūt vrbem & templum, domino fauēte, postquam eos delicti pœnituisset. Fuisse deinceps legis diuinæ satis quidem studiosos, improbos tamen, semper'que virtuti alienæ inuidos atque infensos. Christū dei filiū, quem lex & prophetæ prædicauerant venturum saluatorem non receperunt, quamuis vidissent miracula facientē, & à plebe laudibus

In Christū impij

laudibus honoreque affectum: docenti veritatem non crediderunt, innocentem falsis criminationibus circũuenerunt, iustum condemnarunt, ludibrio habuerunt, & spinis coronatum, flagellisque cæsum cruci confixerunt. tantumque inualuit semel insitum infidis mentibus odium, vt ne tunc quidem ad pœnitentiam tanti sacrilegij mollescere quiuerint, cum illo in cruce pendente, sol obscuraretur, terra tremeret, sepulchra aperirentur, templi parietes dissilirent, saxa frãgerentur. Nam depositum quoque ac sepultũ custodiri iusserunt: cumque ipsi custodes perendie reuersi eum à mortuis resurrexisse testarentur, pecunia data redemerunt mendacium, vt rursum hi falsò assererent, se videlicet nocte præterita dormiẽtibus clam venisse discipulos, corpusque ideò furto sustulisse, vt qui sepultus fuerat, ad vitã credatur reuersus. Quid autẽ infelix Iudæa alios celare iuuat, cuius ipsa conscia es, veritatẽ? Si non surrexit, cur pecuniam porrigis? si surrexit, cur saluatorem tuũ non agnoscis? aut si nihil custodibus donaueris, nihilq; illi prius testati fuerint, quàm quod postremò dixerũt, nõnne sic interrogatos oportuit? Vidistis ne accessisse ad sepulchrum discipulos, an non? Si non vidistis, multo sopore fortasse oppressi, quomodo scire potestis? Sin vidistis, cur non comprehendistis inermes armati, paucos multi, onere sublati corporis grauatos expediti? Videtis ô Iudæi custodię vestrę manifestum mendacium, attamen quæ vestra pertinacia est, vultis potius mendacio credere & perire, quàm sequi veritatem & saluari? Quid est autem quod Christum negando, multo maiorem experti estis dei iram, diuturnioremque passi calamitatem, quàm cum vitulũ adorastis, quàm cum Baal, Astaroth, Acharõ, Beelphegor, Beelzebub, aliorumq; dęmonum simulacris sacrificastis: nam licet antea quoque cædes, incendia, rapinas, captiuitates, seruitutem, exilia, patrisque soli miserabilem desolationem pertulistis,

tulistis, quoties tamen vos deum vestrum offendisse pœnituit, toties de malis omnibus liberati fuistis. Longissima illa apud Babylonem seruitus (vt scriptores vestri testantur) septuagesimum annum nõ excessit: Rursum natali solo restituti, rursum in omnibus reparati instauratiq́;, regnastis. Quęnam quęso causa est, quod post Christum à vobis condemnatum, semel à Romanis victi, euersi, dispersi, nullam vnquam pristini status faciem, nullam amissę dignitatis vmbrã recepistis? Iam mille quadringẽti & octoginta anni sunt, ex quo incerta sede vagi ꝑ oẽs orbis partes errastis, sine lege, sine sacrificio, sine duce, sine rege, sine propheta, dicite si potestis quo crimine, qua culpa id patimini? non idola (vt olim sæpe cõtigit) colitis, nõ execrandos gentiliũ ritus exercetis: vnum deum, vnum cœli terræque dominum adoratis, & tamen nullus est miseriæ vestræ finis. Cur ita? profectò cum alia causa omnino nulla queat afferri, restat vt ea sola sit quia saluatorem vobis, imò omnibus missum non recipitis Mesiam, quem vestræ vobis indicant scripturæ non admittitis. Videte ingratitudinem vestram in deum vestrum. Ille vobis quẽ promiserat vitæ doctorem misit, vos ipsum occidistis. Ille dedit redemptorem, qui pro culpa primorum parentũ vestrorum satisfaceret, & vos ei non creditis, vos eum repudiatis. Quamdiu igitur obstinatis mentibus fouetis errorem, negando eum, per quẽ solum data est mortalibus ad deum accessio, fieri omnino non potest, vt vllam sperandæ salutis gratiam consequamini. Credite, credite, & salui eritis. Hic est enim cui dixit propheta: Psal. 79.
Excita potentiam tuam & veni, vt saluos facias nos. Cõuertimini igitur ad eũ, qui missus est vobis, & ille qui misit miserebitur vestri. Hic enim qui missus est, dei verbum est, dei sapientia est, dei virtus est: negat talia esse in deo qui Christũ negat. Carnem animamq́; hominis assumpsit, vt pro hominibus pati ac mori posset.

Itaque

Itaque non inuitus, sed volens crucem sustinuit, vt suo sanguine à peccatis credentes lauaret mortéque redimeret. Agnoscite beneficium, & cõfitemini Christum. Venit enim vos non de manu regis Babylonis sed de potestate diaboli liberare, non ad Hierosolymam reducere, nec regno restituere terreno, sed quod longè felicius est, ad paradisum transferre, in supernis cœli sedibus collocare, & sempiternæ suæ gloriæ participes facere. Quod si aduersus tantam dei vestri nostríque benignitatem, Christum suum non recipiendo ingrati esse pergetis, de temporalibus miseriis istis ad æternas descendatis necesse est. Nulla enim maior in deum patrem ingratitudo fieri potest, quàm in filiũ ei coæqualem & coæternum & consubstantialem nolle credere. Felices illi, qui olim ne ingrati essent, ipsum vobis gentibusque prædicare non timuerunt, qui vt nomen eius denegarent, nec minis, nec tormentis, nec cædibus compelli potuerunt. Verè quippe beatitudinis in Christo spe firmati tyrannis fortiores erant, occidi poterant, cogi ne Christum confiterentur non poterant. Felices nunc hi, qui vt qualem possunt pro beneficiis deo gratiam referant, Christo seruiunt, Christum adorant, de Christo die ac nocte cogitant, Christi præcepta totis viribus exequi contendunt, & contemptis terrenæ luxuriæ deliciis, post eum currere nunquam desistũt. Sed ne solos Iudæos accusasse videamur, nostrorum quoque in Christum infidelitas (vt alia delicta prætermittantur) in medium veniat, non tam quæ modo sit, quàm quæ olim fuerit, & vera assertione victa desierit.

De ingratitudine hæreticorum & Iudæ proditoris. Cap. 10.

CVm enim nullum mendaciũ diu stare posit, quia nihil firmi, nihil solidi habet, in quo innitatur, omnis

omnis falsa religio paulatim euanescat necesse est. Itaque iam pridē defecit ille diaboli fraude inductus deorum cultus. Vnus autem deus etiam ab illis inuocatur, qui Christum ignorāt. Defecerūt & hæreses, licet falsa veris mixta in se haberent, nihilominus quę vera erāt, manent: quæ falsa, vna cum suis autoribus perierunt. Arrius ab Euangelio alienatus, impieque de trinitate sentiens, vētris profluuio extinctus est. Olympus Arrianus, dum blasphemias in sanctam trinitatem ore sacrilego proferret, fulmine ictus, conflagrauit. Anastasius Augustus Euticetis erroribus implicatus, verbū dei in carnem mutatum, & in Christo incarnato vnam tantū esse naturā asserebat: cumq; ab hac impietate ne Hormisdæ quidem summi pontificis admonitione solicitatus recederet, ipse etiam fulmine afflatus periit. Nonne hi omnes tam infelici fine consumpti testantur, nemini tutum esse Euangelicæ veritati vlla in parte derogare, & ab ecclesia Christi quicquam vel minimum dissentire velle? Sola quidem adhuc Mahumetana hæresis extat, & virib⁹ aucta, sęuit in Christianos, vt qui Christi sunt, calamitatum patientia probentur, donec & illa sua corruat impietate ac dissoluatur: Quemadmodū autem Iudæorū olim fuit in deum ingratitudo ad idola conuerti, ita nunc nostrorum par flagitium erit, de Christo parū piè sentire. Quod si tam ingrati sint, qui solo errore delinquunt, quid de te dicam perfide Iuda? quibus verbis tuam accusem ingratitudinem, quæ maior est quàm vt fando exprimi queat? Non solum quæ vera rectaque erāt, quæ salutaria, quæ sancta, quæ perfecta, à magistro ac domino tuo didiceras, verumetiam in consortium ascitus fueras apostolorum, & tanquam cæteris fidelior apostolicæ familiæ œconomus factus, & loculos habens, vt quæ omnibus offerebantur, solus dispensares: at tu (proh nefas) tantorum beneficiorum prorsus immemor, & pecuniæ cupiditate superatus,

Arrius. Olympus Anastasius Augustus

Mahumetus.

Iudas.

vt XXX.

vt XXX. argenteos acciperes, dominũ in mortem tradidisti. Vicisti tuo parricidio Iudæorum ingratitudinem: bonum quod acceperant illi, commune cum aliis erat, tu speciali priuilegio dotatus, tu in ordinem præcipuorum Christi comitum vocatus, tu singulari quodam honore prçditus, in tantam excidisti dementiam, vt eius proditor fieres, cuius fueras discipulus, vt eũ crucifigendum inimicis offerres, cuius eras natura famulus, beneficio socius, dilectione frater, promissione cohæres, non terreni patrimonij, sed cœlestis. Nunquid te cum cœnaret, à mensa repulit, cum sacramentũ corporis & sanguinis sui discumbentibus porrigeret, præteriit? cum iisdem pedes lauaret, nunquid nõ se ad tuos inclinauit? nunquid, cum amplecti eum velles, restitit? cum osculum offerres, faciem auertit? Omnia quidem ille tanquam sibi charissimo indulsit, sed tu omnium oblitus, tanquam hosti insidiabaris, tanquam seruum vendebas, tanquam parricidam in manus perdere volentium dabas. Porrò tam cruenti facinoris, postquam ille crucifixus est, iam & ipse conscius, peccasse te fatebaris, argenteos quos acceperas, proiiciebas. Pœnitebat te quidem commissi sacrilegij, sed veniæ spe destitutus, dolore'que superatus, laqueo collum tuum confregisti, & pendens diruptis visceribus, effluentibus'que intestinis infelicem animam emisisti. O dirum & crudele mortis genus, nequitiæ tamen tuæ conueniens, tua'q; impietate dignum, non magis quia iustum vendideris, quam quod de misericordis misericordia desperaueris. Vtrum'que sanè inter crimina grauissimum ac nescio quod maius, nisi quod alterum remitti poterat, si alterum remissionis impetrandę aditum non præclusisset. Eo igitur tua te perduxit in dominum ingratitudo, vt pro grauissimis criminibus grauissimas quoque pœnas dare credaris in inferno, quo corruisti. Nunc tu his quidem suppliciis terres nos, ne

quid

quid ſiniſtrum de Saluatore noſtro ſentiẽdo ingrati ſimus, & tuis flagitiis oſtendis cõtrarias illis actiones ad gratitudinem pertinere. Gratus itaque erga dominum ac redemptorem ſuum erit, qui non pecuniam ipſo, ſed ipſum pecunia chariorẽ habuerit, nihil cum ipſo ſimulauerit, nihil in ipſum impiè neq; cogitauerit, neq; fecerit, & nunq̃ de clemẽtia dei diffiſus, omnẽ ſalutis ſuæ ſpem in ipſo ſitam fixamq́ue ſemper eſſe curauerit, & tandem mori potius quàm deo peccare optauerit. Atq; hæc hactenus, nũc autem ad reliquas charitatis partes deſcendere ſtatuens, arbitror non minimam, ſed præcipuam potius eſſe cum benè viuẽdi præcepta didiceris, operam dare vt alios doceas. Igitur prius de illius qui docere vult officio differemus, deinde videbimus quantum iuuat, ſi adſit qui doceat, & quantũ noceat, ſi abſit.

De officio catholici prædicatoris. Cap. II.

DOcere in eccleſia epiſcopi officium eſt, & illorum ſacerdotum, qui præſidis autoritate probati ſunt. Ioſaphat Hieroſolymarũ rex Leuitas miſiſſe dicitur & ſacerdotes, vt peragrando vrbes Iudææ inſtruerent populum præceptis legis. 2. Para. 17. Chriſtus vt gentibus euangelium prædicarent, apoſtolos, quos ipſe inſtituerat, deſtinauit. Euntes, inquit, in mundum vniuerſum prædicate euangelium omni creaturæ. Veruntamen qui apoſtolico iſto fungi voluerit munere, eruditione ac virtutibus pręſtare debet. Alioquin ſi indoctus fuerit, facilè in errorem labetur, & quorum conſcientiã curare volet, magis cõſauciabit. Diſcat igitur prius, & poſtea doceat, & quod verbis docuerit, operibus cõprobet. Sic egiſſe dicitur Eſdras ſacerdos, cũ ad reparandam Hieroſolymã ab Artaxerxe dimiſſus rediſſet. 1. Eſdr. 1. Ita enim ſcriptum de illo legimus: Eſdras autẽ parauit cor

ſuum

ſinum vt inueſtigaret legem domini,& faceret, & doce ret.Et apoſtoli antê ſpiritu ſancto replẽtur,deinde prę dicationis officio fungi iuſsi ſunt.Porrò,quod aliis prę cipiendo ædificabant, ne aliter agendo deſtruerent, id etiam ipſi præſtare ſtuduerunt,non minus exemplo do centes,quàm ſermone.Nam impudens admodum præ-ſumptio eſt,hoc alios monere,quod ipſe non facias,im-ponere aliis onera grauia, quibus ipſe dorſum non ſup-poſueris.Aut quomõ poteſt aliquis alios reprehendere his de rebus,quas facere ſe non ignorat.Turpiſsimũ eſt profectò,cum in corripientem culpa retorquetur,cum quis in quo alterum accuſat, ſeipſum damnat. Sic igi-tur viue,vt præcipis,& ad verba mores confer,& ſanus curationem ægris adhibe ne cum rubore audias:Medi-cè,cura teipſum. Vobis qui in eccleſia dei ad populum

Iſaiæ.13. daclamatis,per Iſaiam eſt dictum:Exaltate vocem, le-uate manum,vt videlicet voci manus conſonet,& prę-ceptis reſpondeant opera.Quia qui fecerit & docuerit ſic,hic magnus vocabitur in regno cœlorũ. Is demum aliorum delicta efficaciter arguit, in quo non inueni-tur,quod alij redarguant.Sit ergo mitis atque ſubmiſ ſus,qui humilitatem docet: recedat ab iracundia, qui patientiam ſuadet.Caſtitatem illæſam ſeruet, qui ſtu-pra adulteriaque deteſtatur. Nihil improbè agat, qui docet iuſtitiam,& inuehitur in vitia. Denique cum Sa maritana relinquat hydriam mundanæ vanitatis, qui paratus eſt populo Euangelizare Ieſum. Caueat quoq; ne lucri gratia prædicet,ſiue gloriæ ab hominibus ca-ptandæ. Non terrenum lucrum ſpiritalibus quærendũ

Matth.10. eſt diſciplinis,ſed cœleſte.Gratis accepiſtis, inquit do-minus,gratis date.Eos autem,qui in templo vendũt co lumbas,hoc eſt,dona ſpiritus ſancti,eiicit flagello,vt fi

Ioan.2. delium cõſortio indignos.Et non eſt domus dei,inquit, domus negotiationis, ſed orationis. Quid ergo? nihil ne accipere oportet?imò oportet,ſed quantum neceſſi-

tas poſtu-

tas postulauerit. Dignus est, inquit, operarius cibo suo, Mat. 10.
& in lege dicitur: Non alligabis os boui trituranti, vt Deut. 25.
videlicet & ipse de tritura sua pascatur & viuat, seque
sustentet. Ne quid autẽ vltra quàm quòd satis est quærras, ipse doctorum ecclesiæ princeps Paulus ait: Habentes alimẽta & quibus tegamur, his contenti simus. 1. Tim. 6.
Vitanda est etiam humanæ laudis captatio, ne pro labore doctrinæ, laudem quæ à deo est, amittam⁹, ad hæc ne illi quidem rectè, qui ecclesiastici doctoris officium professi, dimisso Euangelio, quæstionibus nihil ad rem pertinentibus occupari solent, qui syllogismos enthymemataque proponendo philosophantur, vel poëtarum figmenta decantant, vel explicandis gentilium historiis immorantur, vel de cœlestium motu syderumq; naturis disputant, non quærentes quod saluti conferat animarum, sed quod auditorum aures demulceat atque delectet. Hi certè à domino audient: Omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus, plausum enim vulgi quærunt, & docti dici quàm sancti malunt, nec vidẽt quòd callidis diaboli suggestionib⁹ supra pinnaculum templi statuuntur, vt quo altius ascenderint, grauius elidantur cùm ceciderint, quid tu ingenium iactas, aut rerum multarum cognitionem ostentas, qui non ex his quidem, sed ex operibus iudicaris? Magis deo placet sancti rusticitas, quàm peccatoris hominum ore laudata scientia. Non ergo attendat doctor, quid auditores delectet audire, sed quid se deceat loqui, nec se putet in theatro esse, vt cum fabulam peregerit, astantium plausu excipiatur, sed in ecclesia dei, vt postquam piis admonitionibus eos qui libenter audiunt iuuerit à domino capiet mercedem gloriæ sempiternæ. Impigrum quoque ac solicitum esse decet salutiferæ institutionis doctorem. Mat. 23.
Circuibat Iesus (vt Euangelistæ tradunt) totam Matt. 4.
Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicãs euãgelium regni. Et alibi dicitur: Erat quotidie docens in Lucæ. 19.

tẽplo. Intuere pręterea indefessam apostoli eius in prędicando curam. Scribens ad Romanos, affirmat quod ab Hierosolymis per circuitum vsq; ad Illyricum omnia repleuerit prædicationibus euangelij Christi, & neque persecutionibus deterretur, nec vinctus desistit, in Euangelio se laborare dicens vsque ad vincula. Vide etiam quàm anxiè opus hoc Timotheo discipulo iniungat, cùm ait: Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina, vt videlicet impleatur, quod in Isaia de Apostolis & ecclesiæ doctoribus prædictum fuerat: Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, & tota die, & tota nocte perpetuò non tacebunt. Sed etiam ipsi prophetæ fuit olim à domino iussum dicente: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorũ. Tãto enim diligentius instandũ est doctrinæ salutari, quanto peccantibus maius imminet periculum salutis. Nec semel aut iterum admonendi tibi erunt, sed toties, donec cum psalmista dicere possis, Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ. Magno autem animo verbum domini prædicandum est, neque ob præsentiam potentiorum subticeri debet veritas, dum vitia reprehenduntur. Gloriatur Dauid coram domino dicens, Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar. Et in Isaia euangelico doctori præcipitur, Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion, noli timere Ionas propheta prædicare iussus, dum homines timet, deo nolebat obedire, & cum naui fugeret, orta tempestate in mare præcipitatur, atque à pisce viuus deglutitur. Satius illi tunc fuerat, incidere in manus hominum, quàm nõ obedisse deo viuenti. Ieremias verò ipsius domini verbis animatur ad prædicandum, dicentis: Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi, ne timeas à facie eorum: nec enim timere

Roma. 15.
2. Tim. 4.
Isaiæ. 16.
Isa. 6.
Isaiæ. 58.
Psal. 68.
Psal. 118.
Isa. 40.
Ionę.
Iere. 1.

mere te faciem vultum eorum. Non timuit Ioannes arguere Herodem regem, vt ostenderet non esse timẽdos qui occidunt corpus: sed vnum illum, qui corpus & animam simul potest mittere in gehennã. Apostoli ac martyres domini, ne Christum prædicarẽt, nec minis principum deterreri, nec tormentis inhiberi potuerunt. Qui enim confidit in domino, sicut mons Sion, non cõmouebitur in æternum. Paulus cùm esset Corinthi, per visionem nocturnã audiuit Christũ sibi dicentẽ: Noli timere, sed loquere, & ne taceas, propter quod & ego sum tecum, & nemo apponetur tibi, vt noceat te. Proteget igitur verbi sui prædicatores deus, donec docendi munus impleant, & cùm impleuerint, occidi permittit vt coronet. Iohannes Baptista. Mat. 14. Acto. 18.

Quid potissimè prædicandum sit.
Cap. 12.

PRædicandum autem est Euangelium, danda piè viuendi præcepta, differendum de beatorum gloria, quatenus fieri potest, pœnaque damnatorum, vt peccatores ad pœnitentiam excitentur, iusti ad perseuerantiam. Ad apostolos ait Saluator: Prędicate euangelium omni creaturæ. Et de ipsomet in Luca legim⁹, quòd iter faciebat per ciuitates & castella, prædicans & euangelizans regnum dei. Hoc idem regnum discipulos iussit nunciare, cum ait: Dicite illis, quia appropinquabit in vos regnum dei. Idem in plurimis quidem Euangelij locis & tenebras commemorat, & gehennam, & tormentorum locum, & vermem immortalem, & ignẽ æternum. Pœnitentiam etiam prædicauit, dicens: Agite pœnitentiam, & appropinquabit regnum cœlorum. De discipulis quoque dicitur: Exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerent. Ad eos autem qui non indigent pœnitentia, est dictum: Qui perseuerauerit Mar. 16. Luc. 8. Idem. 10. Matth. 4. Mat. 10.

vſque in finem hic ſaluus erit. Præuaricator non prædicator eſt, qui ab his diſcedens aliqua ſuperflua & nihil profutura docet, multa ſe noſſe oſtentans. Quid autem prodeſt multa ſcire, & deum neſcire? Doctor gentium Paulus, miſſum ſe dixit euangelizare non in ſapiẽtia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti. Nõ iudicaui, inquit, me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtũ & hunc crucifixum. Vtque doceret aliam eſſe ſapientiam carnis, aliam ſpiritus ait: Sapientiam autem loquimur inter perfectos, ſapientiam verò non huius ſeculi, neque principum huius ſeculi, quæ deſtruuntur, ſed loquimur dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt. Idcircò ſanè & Timotheo diſcipulo ad prædicandum deſtinato. Formam habe, inquit, ſanorum verborũ, quæ à me audiſti, in fide & dilectione, in Chriſto Ieſu. Et ad Titum: Tu autem loquere quæ decent ſanam doctrinam. Non enim ſana, ſed lãguens & infirma eſt doctrina, quæ piè ſanctéque viuendi ſtudio nihil omnino cõfert. Mortifera verò & deteſtabilis, quæ peruertere nititur veritatem humanæ philoſophiæ argutiis. Audi præterea quid tibi ſapientiæ antiſtes Salomon præcipiat, dicẽs: Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes. Obſeruare quoque debet vitæ ſpiritalis inſtitutor & doctor, qui de theſauro cordis ſui profert noua & vetera, vt quicquid ex libris diuinis recitauerit, non ſecundum literam occidentem illud interpretetur, ſed ſecundum ſpiritum viuificantẽ. Sciat aperire ſenſus verborum ambage velatos, & in medium proferre, & auditorem emolumenta cõuertere, vt ſunt viſa dictáque prophetarum & ceremoniarũ ritus ac ſacrificiorum, quæ ſi ſpiritaliter & per tropologiam non intelligantur, ſimilia deliramentis annilibus erunt. Ideò autem in Leuitico animalia quæ ruminant & vngulã diuidunt, mũda ſunt: quia vtiq; is rumi nare videtur, qui in lege domini meditatur die ac nocte, &

Marginal notes: 1. Co. 2. — 2. Tim. 1. — Tit. 2. — Prouer. 24. — Leui. 11.

cte. & tunc vngulam diuidit,cũ mysticum sensum à literali intelligẽtia separat. Horum igitur scientiam ille qui populum docet,habeat: vt mundum cibum esurientibus offerre queat,& mentes ad audientũ intentas alere verbo salutis. Cæterùm,meminerit eos lacte alendos esse,id est,moralibus duntaxat præceptis instruendos,qui proficere incipiunt, solidum autem cibum pfectorum esse & ad altiora nitentium. His mysteriorum ardua explananda erunt,ut ad concupiscenda cœlestia magis inardescant,dum diuini eloquij arcana mirantur. Sic dominus noster montem ascendens docuit discipulos,tanquam sublimioris disciplinæ iam capaces. Descendisse autem de monte dicitur, quando cum turba fuit loquendum. Hoc illud est quod in Psalmo legimus:Ascendunt montes & descendunt campi in locũ quem fundasti eis. Montes erant,quibus dictum est:Vobis datũ est nosse mysterium regni dei. Campi verò descendentes,ad quos dicit Apostolus. Facti estis quibus lacte opus est,non solido cibo. Sicut igitur cuique conuenerit,ita doceatur vt omnes salui fiant, semper tamen cauendum est, ne rudis interpres declamet in ecclesia. Malè enim exponens dicta scripturarum,periculum est,ne & ipse in errorem incidat,& alios inducat,quòd si (vt dicitur)cæcus cæco dux fuerit, ambo in foueam cadent. Hoc Apostolus Galatis, quos ipse docuerat,metuens ait:Licet nos aut angelus de cœlo euangelizet vobis,præterquàm quòd euangelizauimus vobis,anathema sit. Indocto itaque silere multo satius est,& sua simplicitate contentum esse:quàm docti officium vsurpare, & docere velle quod non didicit,aut loqui quod nescit,cum periculo suo aliorumque salutis. Pleriquè tamen post eorum qui commendantur sermones lectitando edidicerint,confidenter prædicant. Tolerandos puto,dummodo aliquid vltra non præsumant. Sed verendum est,ne post hæc auditorum palpatione deliniti, se

Matt. 5.
Mat. 8.
Gal. 1.

 esse

esse magistros arbitrentur, cùm non fuerint discipuli, & aliquid vel addant arroganter, vel mutẽt inconsultè, vel subtrahant licenter. Multi me laudant, inquiet aliquis. Noli multitudini credere. Certius paucorum iudicium est, qui in se habent, quod in alio laudant. Illud nempè pictoris optimum est opus, quod pictores commendant, non quod variis fucatum coloribus coriarij mirantur. Tunc ergo vulgi de tua eruditione opinionibus fidem adhibe, cum idem senserint & periti.

Qui prætermittendi, & qui docendi, & qualiter corripiendi.
Cap. 13.

AB illis verò, quorum nulla speratur correctio, qui cum Pharaone obdurauerunt, auertenda verbi diuini prædicatio est. Apostoli Iudæorum obstina-
Actu. 13. tione offensi, dixerunt. Vobis oportebat primum loqui verbum dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim nobis præcepit dominus. Ac ne aliter illum præcepisse credas quàm egisse, nullum omnino Pilato dedit responsum, cùm ab eo quid esset veritas interrogaretur: quia veritatis inimicus, de veritate sermonem
Actu. 16. audire indignus erat. Ideò Paulus & Barnabas (vt in Actis Apostolorum legitur) prohibiti sunt à spiritu san-
Prou. 9. cto loqui verbum in Asia. Non sunt igitur mittendæ e-
Prou. 23. uangelij margaritæ ante porcos, ne conculcent eas pedibus. Iniuriam sibiipsi facit, inquit Salomon, qui erudit derisorem, & qui impium arguit, sibi maculam generat. & iterum ait. In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquij tui. Et fortasse non leuiter peccat, qui diuina mysteria ibi loquitur,

vbi non est auditus, dicēte propheta: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Illos verò qui libenter audiunt, & vitæ præceptis erudiri affectant, nolle docere cùm didiceris impium est. Cur talentum tibi à domino ad negotiandum creditum abscondis in terra serue nequam? Cur otio deditus nihil facis lucri? quam rationem reddes, cùm ad illum vacuus redieris? Pastorem te dominus gregi suo præfecit, vides lupum venientem, & fugis: vides diaboli fraudibus ac dolo multorum corda subuerti, & negligis? ciuium tuorum suffodi spiritales domos intueris, & taces canis mutus nō valens, imò nolens latrare. Speculatorem dedi te domui Israël, inquit dominus, audiens ergo ex ore meo sermonem annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris, non fueris locutus, vt se custodiat impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Abs te ergo requiretur perditæ ouis ratio, & negligis? Plebs tibi commissa, famem non panis, sed audiendi verbum dei patitur, & tu supprimis vitæ pabulū? nec attēdis quod scriptum est: Qui absconderit frumenta, maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium? Dolet Isaias quòd regem impium Oziam nō corripuerit. Et væ mihi (inquit) quia tacui. Apostolus quoque. Vę mihi est, si non euangelizauero. At tu otiósus oscitas, & nec maledictione territus, nec benedictione illectus, ad docendum inclinaris. Expergiscere tandem, aperi os tuum populo, lucrare domino, docendo, increpando, exhortando. Hoc fecit Christus, hoc Apostoli, hoc officium Episcopi est, quem te esse profiteris: Tibi dictum puta, quod per Isaiam dicitur: Quasi tuba exalta vocem tuā, & annūcia populo meo scelera eorū: vel quod ad Ezechielem: Notas fac Hierusalem abominationes suas. Duriores acerbius tibi increpandi sunt, iā ad pœnitudinem inclinati, mollius: Corinthios interro

[Margin notes: Psal. 118. — Ezech. 33. — Prou. 11. — Isai. 6 — 1. Cor. 9. — Isaiæ. 58. — Eze. 16. — 1. Cor. 4.]

gat Apoſt. Quid vultis(inquit)in virga veniam ad vos, an in charitate & ſpiritu manſuetudinis? Ita autem moderanda correptio eſt, vt & mordeat peccatorem, & ſpe veniæ conſoletur, ne ille abundantiori triſtitia abſorbeatur. Fragilitatis tuæ memor, aliorũ infirmitatibus medere, & ad mentem reuoca præceptum Apoſtoli di-
Gala.6. centis: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu mãſuetudinis, conſiderans teipſum ne & tu tẽteris. Hoc
Pſal.141. eſt, quod optat ſibi Pſalmiſta, dicens: Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me. Optimum in pſide temperamentum eſt, miſeratio cum iuſtitia. Miſeratio enim ſine iuſtitia, peccandi præſtat audaciam. Iuſtitia ſine miſeratione, inſtar crudelitatis eſt, altera alterius ope indiget, vt correptio ipſa & corripientem comendet, & emendet peccantem.

Vt prædicator ab adulatione procul ſit, & prædicandi tempora obſeruet. Cap. 14.

AB aſſentatione autem procul abeſſe peccatorum caſtigatorem decet, vt nihil ad gratiam audientium dicat, ſed ad profectum optimi'que medici
Exod.34. more vtatur, adhibens vulneribus, curationem, nõ quæ delectet malè affectum, ſed quæ ſanet. Vetat lex hœdũ coquere in lacte matris ſuæ, hoc eſt, peccatorem blanditiis fouere. Non debes quærere tu qui prædicatoris officio fungeris, vt hominibus placeas, ſed vt homines ad deum dirigas. Audi Apoſtolum dicentem: Si homi-
Gala.1. nibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. In eo placeas hominibus, in quo places deo. Alioqui non dei, ſed hominũ eris ſeruus. Multo melius eſt veris offendere, q̃ placere adulando: & malum incuſare, vt corrigatur, q̃ diſſi-

dissimulare vt inualescat. Tempus etiam prædicationũ cõgruũ quæratur: nõ sẽp seculi hominibus prędicationes vacat audire Oportet igitur vt fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, det illi in tempore tritici mensuram. Vbi obseruandũ est, quòd non solùm tempore apto opus sit, vt data prosint, sed etiam mensura, vt neque plus neque minus dicatur, quàm necesse fuerit. Accommodatissima autem huic negotio tempora erunt, ieiuniorum dies, qui antè festum dominicæ natiuitatis, dominicǽque resurrectionis solennes habentur. Tunc tempus acceptabile, tunc dies salutis, tunc messis tempora sunt, in quibus plus frugis colligi solet. Et qui congregat in messe (vt in Prouerbiis dicitur) filius sapiens est. Si quando alias contigerit, vt vel ad supplicandum vel ad pœnitendum plebem exhortari opus erit, vel ad sedandas ciuium inter se seditiones odiáque tollenda, tunc quoque prædicationibus erit insistendũ, vt in radice reprimatur malum ne pullulet, & in mortem multorum fructificetur. Luc. 12. Proue. 10.

De prædicantium meritis.

Cap. 15.

QVisquis in his quæ dicta sunt, diuinæ laudis gratia salutisquę proximorum sese pro viribus exercuerit, multa quidem in terra, sed plurima in cœlo beneficia consequetur. Spiritu sancto illuminabitur, scientiæ capiet incrementum, vim insuadendo dissuadendóque acquiret. Siquidẽ ipse vnus in trinitate deus, hoc visibiliter apparere fecit in Apostolis, quod postea in eorum successores operaturus erat inuisibiliter. Visæ sunt supra illos, qui ad euangelizandum mittendi erant, igneę lingua, & ipsi repleti spiritu sancto cœperunt loqui (vt Lucas inquit) variis linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Tu quoque ô sacerdos, qui

& an-

& antè vt disceres quæ DEI sunt, omnem curam operam'que adhibuisti, & postea vt doceres, syncero corde feruenti'que in DEVM ac proximos charitate pulpitum inscendisti, si sapienter, si egregiè, si efficaciter verba feceris, nihil tibi arroges, nihil tuo vel ingenio vel studio plaudas, totum hoc spiritus sancti gratia est, totum donum DEI est. Non vos estis, inquit, qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Hoc si habes, iam certissima futuræ beatitudinis spe oppignoratus es, iam beatus dici meruisti, iuxta illud Psalmistæ: Beatus homo quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Sic se eruditum confitebatur PAVLVS, licèt multà à Gamaliele didicisset, cùm diceret: An experimentum eius quæritis qui in me loquitur CHRISTVS? Excusabat immaturam ætatem Ieremias ad populum loqui iussus, imparem'que se huic rei asseuerabat, quando tetigit os eius dominus, dicens: Ecce ego dedi verba mea in ore tuo, ecce ego constitui te hodie super gentes & super regna vt euellas & destruas & disperdas & dissipes & ædifices, & plantes. Tu quoque si tuis sermonibus auelli videris vitia, & virtutes plantari in cordibus eorum quos doces, contactum à spiritu sancto os tuum esse scias, & de labiis tuis non tua, sed DEI verba processisse. DEVS est qui aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas: DEVS est cuius vox in virtute & in magnificentia, superborum cedros confringens, & humilibus præstans gratiam. Vox ista euangelicæ prædicationis est, arrogantes destituit, & in DEO tantùm confidentibus se commodat, ita vt interdum qui minus eruditus est, efficaciã in dicendo habeat, magis'que satisfaciat prudenti auditori. Sic enim per prophetam dicitur: Dominus dabit

Mat. 10. Psal. 93. 2. Cor. 13. Psal. 67.

dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Igitur quemadmodum virtus ista, vt in Euangelio est dictum de Saluatore nostro exibat, & ægros per tactum vestimentorum eius curabat, ita peccator fidelis ac sancti doctoris voce in intima cordis contactus ad pœnitentiam operáque virtutis conuertetur, & animæ suæ languorem conualuisse sentiet, occulta spiritus sancti medicatione. Prædicator quippe medicus animarum est, & cùm in homine nihil preciosius habeatur anima ipsa, præstantissimum diuinæ liberalitatis donum est, animæ languoribus succurrere scire, & vineæ manu DEI consitæ operarium, atque in multam messem mitti à domino messis, vt frugem colligas in horreis cœlestibus reponendam. Magnificum est mensæ diuinæ esse conuiuam, sed magnificentius ab ipso mensæ domino dignum iudicari, vt sis conuiuarum inuitator, & ad sponsi nuptias conuocator multorum atque collector. Cui hoc fuerit concessum, dici de illo poterit, quod de Iohanne Baptista fuit dictum: Et tu puer propheta altissimi Lucæ.1. vocaberis, præibis enim ante faciem domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum. Propheta enim altissimi, sacrarum interpres scripturarum est, qui tunc quidem ad cor audientium parat viam domino, cùm illi verbis eius edocti, à peccatis per pœnitentiam purgantur, & virtuti studere inicipiunt. Eidem conuenient laudes illæ quæ Apostolis à domino datæ sunt, dicente: Vos estis sal terræ. Verè enim sal terræ est, cuius præceptis humana mens conditur, ne corrumpatur contagione vitiorum & contabescat. Vos estis lux mundi. Lux mundi est, cuius Matth.5. verbis & exemplo fungantur tenebræ ignorantiæ alienæ,

alienæ. Ciuitas est etiam prædicator supra montem posita, omnium obiecta oculis, vt omnes ad illam concurrant, vel discendo quæ dicũtur, vel ea quæ ab eo qui docet fiunt imitanda. Idem lucerna est super candelabrũ, non aliter quàm ciuitas supra mõtem. Lucet enim omnibus qui in domo sunt, & fideles animas doctrinę suæ fulgore illustrat, vel qualiter illustrari debeant, morũ sanctitate demonstrat. Gaudete igitur omnes euangelicæ disciplinæ doctores, de vobis ista memorantur, non de philosophis, non de oratoribus, non de poëtis. Nulla in illis veræ lucis lux fuit, qui Christum ignorarunt: Vobis data est potestas, quam illi non habuerunt, curãdi infirmos, eiiciendi dęmonia, mortuos suscitandi. Infirmos enim curatis, quoties eos qui erant, in viam veritatis dirigitis: dæmonia expellitis, cum eos qui per peccatum diaboli domicilium erant ad pœnitentiam vestris exhortationibus conuersos Christo restituitis: mortuos ad vitam reuocatis, cùm de scelerũ sepulchro iam fœtentes, diuinæ misericordiæ magnitudinem ꝓponendo, ad veniæ spem erigitis, & vt in deo viuere incipiant authores estis. At verò illi scientiæ gentilis ꝓfessores, quomodo infirmos curarent, cùm ipsi infirmi essent, diuersa inter se sentientes? quomodo demones eiicerent, ipsi dæmonum cultores, quos pro diis habuerunt? Quomodo mortuos reuiuiscere facerent, cũ Christum, qui vita est, nescierint? Nónne vos illis doctiores estis, quos non homo, sed deus erudiuit, quos Dei filius, qui summa veritas est instruxit? De vestra certè non de illorum doctrina est dictum: Aurum & multitudo gemmarum & vas preciosum labia scientiæ. Nihil enim ea scientia charius, nihil pulchrius, quæ de ore fidelis doctoris emissa viam ad immortalitatem mortalibus ostẽdit, & quorum operum passibus ad beatitudinem peruenitur, verissimè docet. Vos ergo venter estis de quo flumina fluunt aquæ viuæ. Vos thesaurus de quo proferuntur

Pro.10.

runtur noua & vetera. Vos aurum quo templum veri Salomonis linitur. Vos templũ dei viui, qui in vobis manẽs emittit eloquium suum terræ, & per os vestrum velociter currit sermo eius. De hoc sermone est scriptum: Prouer. 20.
Fauus mellis verba composita, dulcedo animæ, sanitas ossium. Omnis quippe sermo cœlestis, animæ fideli & iucundus est & gratus, quandoquidem & delectat multũ, & virtuti studio plurimum confert. Quoties autem altiora repetitis, & mentis indagine illa quæ in mysterio condita sunt, elicitis, & in lucem profertis, vobis cõuenit quod in Prouerbiis dicitur: Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens inundans fons scientiæ. Quoties verò audacter & intrepidè ĩ vitia inuehimini, colũnæ estis firmæ fulcientes veritatem. Ob hoc Paulus Apostolus Petrum, Iacobum & Iohannem vocauit columnas, quarum stabilimentum à domino est, quod in Psalmo de ecclesiã loquens, ait: Ego confirmaui columnas eius. Ad hæc etiam montes estis, quos nulla ventorum vis concutit, nullus procellarum turbo commouet, de quibus in psalmo dicitur: Montes in circuitu eius, hoc est, ecclesiæ, & dominus in circuitu populi sui. Quid vltra dicam? Vos plenæ illæ nubes estis, de quibus Ecclesiastes ait: Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terrã effundent. Sapientia enim repleti diuina, non cessatis præceptis pluere doctrinarum. Vos estis cœlum late resonans, tonitru fidelium eloquiorum, de quo in Psalmo prædictum fuit: Intonuit de cœlo dominus. Et in alio psalmo, Annuntiabunt cœli iustitiam eius. Et rursum in alio: Cœli enarrant gloriam dei. Vos denique non solum montes vel nubes vel cœli, sed quæ omnium nobilissima creatura est, angeli dei estis, non naturę cõmercio, sed officij dignitate. Nuncius dei angelus est, nuncij dei sancti prædicatores sunt. Vnde sicut de Iohãne Baptista in Malachia dixit deus: Ecce ego mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, ita & vobis

Prou. 18. Gala. 2. Psal. 124. Eccl. 11. Psal. 17. Psal. 21. Psal. 18. Mala. 3.

Apoc.2. vobis dicitur: Parate viam domino. In Apocalypsi etiã ecclesiarum pręfecti, quos nos episcopos dicimus, angeli appellantur. Ille autem verius angelus est, qui sua doctrina ædificat ecclesiam, quàm qui ecclesię tantùm præses est, & docẽdi laborem otio superatus fugit. Plaudant igitur sibi, qui aurum argentum'que lucrantur, qui magnum pecuniarum quæstum faciunt, qui vrbes expugnant & regna suo subdunt imperio. Vos animas domino lucramini quibus nihil est preciosius, nihil in natura humana excellentius, vos ergo melius, qui muros Hierusalẽ ędificatis, qui ad cœlestem patriam exules reuocatis, vt cũ illis, imò & super illos regnetis. Vos enim constituet domin⁹ super familiam suam, & super omnia bona sua. Tunc perpetui reges æterni'q; domini eritis omnium illorum, quos vestris prædicationibus, vestra'que doctrina conuersos, de terra ad cœlũ trãsmigrare contigerit. Et tũc demũ Christus vester, rex regũ & dominus dominantium erit, cùm vos aliis præesse iusserit, tribulos vel chiliarchas animarum, quas ei lucrati estis, constituens.

De prædicantium beatitudine.
Cap. 16.

SVmite igitur calceamenta in pedibus ad pręparationem Euangelij, vt cùm cœlestia prædicaueritis, terrena nõ cõtingatis, & de vobis dici queat. Quàm

Isaiæ.52. pulchri pedes annũtiãtiũ & prædicantiũ pacẽ, & annũtiantium bonũ. Excitet vos dei amor, proximorũ charitas promissa'que vobis beatitudinis merces. Qui enim fecerit, & docuerit sic, magnus vocabitur in regno cœ-

Iohan.4. lorum. Et qui metit, mercedẽ accipit, & cõgregat fructũ in vitã æternã. Et qui talẽtis domini toti dẽ alia lucratus fuerat, dixit dominus: Euge serue bone & fidelis quia sup pauca fuisti fidelis, sup multa te cõstituã, intra in gaudium domini tui. Talenta quæ ad negotiandum

dantur,

dantur, scientia spiritalis est, talenta verò quæ superlu crantur, opera sunt tum nostra secundum scientiæ donum facta, tum eorum quos docendo & exhortando vt eadem facerent, alleximus. In Isaia etiam beatos vocat dominus doctrinæ sanctæ dispensatores. Beati, inquit, qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bouis & asini, hoc est, Iudæi & gentilis, quod quidem ad Euãgelij tempora pertinet. Antehac enim lex vetabat arare in boue & asino simul. Dominus quoque apostolis præceperat: In viam gentium ne abieritis. Nunc autem seminatur super omnes aquas, pes bouis & asini simul immittitur, postquã ipse dominus asinam solui iussit, & asino insidens ingressus est ciuitatem, mandauitque Euangelium omnibus vbique gentibus prædicari. Beati igitur erunt, qui verbi dei semen, vbicunque fruct⁹ aliquis speratur, studuerint seminare. Qui enim conuerterit peccatorẽ (vt Iacobus apostolus ait) saluabit animam eius à morte, & operit multitudinẽ peccatorum. Quanti autẽ meriti sit, peccatorem ad pœnitẽtiam inducere, & à vitio ad virtutem reuocare, ostẽdit dominus ad Ieremiã, dicens: Si conuerteris conuertam te, & ante faciẽ meã stabis. Quæ sanè beatitudo par videtur angelicæ felicitati, qui & stare dicuntur in cõspectu dei patris, & faciẽ eius perpetuò cernere. Atq; hæc sunt bona illa ineffabilia, quę sciẽtia & probitate præditis debentur præceptoribus, dicẽte Salomone: Eruditus in verbo reperiet bona. Dicente etiã angelo ad Danielem: Qui docti fuerint, fulgebũt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiã erudiũt multos, quasi stellę in perpetuas æternitates. In quo videtur maioris præstantiæ fore illorũ beatitudinem q̃ aliorũ sanctorum. Quandoquidẽ iis rebus cõparantur, quæ inter ista nostro aspectui patentia, omnium pulcherrima apparẽt, & terram omnem suo illustrant lumine. Ad hæc, si eos in terram præ cæteris reuereri iubemur, quomodo nõ etiam

Matth.6. Isaiæ.32. Deut.22. Iacobi.5. Proue.6. Daniel.12.

etiam in cœlo altiorem honoris gradum adipiſcentur: ait enim Apoſtolus: Qui benè pręſunt pręſbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.

1. Timo. 3.

Quantum prodeſt habere prædicatorem. Cap. 17

SAtis multa de officio Apoſtolici prædicatoris hactenus dicta ſunt. Reſtat nunc videndum, quantum populo proſit habere ſanctum atque eruditum piè iuſtéque viuendi præceptorem, & econtrario quantũ noceat ſi defuerit. Præſente illo erigimur, ſtamus, proficimus: abſente illo labi atque cadere ſolemus. Ioas rex Iuda, donec Ioiadę ſacerdotis cõſuetudine conſiliisque vſus eſt, piè probéque vixit: illo morte ſublato, ad vitia declinauit. Cæteros reges omnes, qui fidei morumque ſanctitate probantur, educatos inſtitutosque vel à ſacerdotibus, vel à prophetis fuiſſe conſtat. Samuel docuit Dauidem, Nathan Salomonem, Micheas Ioſaphatũ, Oſee Ioathanum, Iſaias Ezechiam, Ieremias Ioſiam, Eſdras populum, ita vt illo monente repudiarint vxores, filiosque abdicarint, quia contra dei legem alienigenas acceperant, prolemque cum his multã ſuſceperãt. Difficilè fuit vxores dimittere, difficilius ex ſe genitos à ſe ſeparare. Vtrunque tamen factum ſacerdotis adhortationibus hiſtoria ſacra teſtatur. Tantum ergo prodeſt idoneum habere doctoré, qui vitia increpet, & ad virtutẽ accẽdat, vt ipſo audito, etiã ea quæ incorrigibilia videntur, corrigantur: & quæ vix ſeparari queunt, eueniãt. In Prouerbiis à Salomone eſt dictũ, Legatꝰ fidelis, ſanitas. Et iterum: Vena vitæ, os iuſti. Dauid quoque in Pſalmis: Docebo, inquit, iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Ille ſanitas eſt, quo docente à peccatorum morbo grex infirmus conualeſcit. Ille vena vitæ eſt,

1. Re. 12. Ioas,

1. Eſd. 10.

Prou. 13. Pſal. 50.

est, per quem qui in peccato mortui erant, ad virtutem capessendam viuificantur. Tunc autem impius ad deũ conuertitur, cum sermonibus prædicatoris instructus, relicto errore, ad viam sese confert veritatis. Quid verbis opus est? Experimenta docent, quàm sit expediens prædicationes audire. Sæpe vidimus his auditis, Iudęos baptismum poscere Christi, seculares viros ac mulieres religionis vota suscipere, & quæ perfectionis sunt, libera voce profiteri. Prædicationes igitur audiẽdo, homines ex malis boni euadunt, ex bonis meliores, ex melioribus perfecti, & ex perfectis beati. Atque ita demum de terra transferuntur ad cœlum, vt fiant de mortalibus immortales, de terrenis cœlestes, & si fas est dicere, de hominibus dij. Quod si magni emolumenti res est patriam obsidione hostili liberari, inimicorum exercitus profligari, regni fines longè latéque diffundi, & attritis tandem viribus à bellorũ tumultu quiescere, tranquillíque ac pacati status optata felicitate frui, nónne vtilius est, vt animæ vitiorum oppressæ iugo, in libertatem vendicentur, vt diaboli potestas virtutum profectu conteratur, vt caro seruiat spiritui, & homo ipse nõ aliis, sed quod multo gloriosius est, sibiipsi imperet, sibíque dominetur? Si enim nihil prodest homini mundum vniuersum lucrari, & animæ suæ pati detrimentum, consequens est vt animæ profectus pluris sit, quàm vrbes debellare, quàm terrarum orbem sibi subdere, & omnibus quæ vbique sunt nationibus præesse atque dominari. Adde quod multi reges ac principes, qui ab hominibus honorãtur, deo exosi sint. Quicumque autem probè sanctéque vixerit, siue liber, siue seruus, non potest ei non esse gratissimus quidem atque charissimus. Quid autem iuuat regnis præsidere, & ab ipso rege regum reprobari? Regnum tibi si hostis non abstulerit, certè auferet mors, quæ semper propinquior est quàm creditur. Cœlestis verò beatitudinis præmium, perpe-

GG tuum est

tuum est & perrenne. Nullius metuet, qui illud consecutus fuerit, nullos casus formidabit, semper'que felix ac beatus erit, quem semel dominus in suum receperit regnum. Et si ad tantum ac tale bonum per sanctorum doctrinam peruenitur, nulli dubium est quin super omnia conducibile sit, sanctas in ecclesia auscultate prædicationes; & earum institutionibus in viam dirigi virtutum. Audisti quantum expedit habere vitæ institutorem, audi è diuerso, quanti detrimenti sit eo carere.

Quantum nocet prædicatorem non habere. *Cap.* 18.

MAlarum voluptatum illecebris deliniti homines, in omne nephas licenter irruent, si nemo sit qui improbè luxuriantes eloquij viribus coërceat atque moderetur, & futurorũ expectatione à præsentium cura auertat, vt vel pœnarũ metu, vel spe premiorum à vitiis ad virtutem transferantur. Hoc Salomon in Prouerbiis testatur, dicens: Cum propheta defecerit, dissipabitur populus. Dissipabitur itaque populus, non corporum motu, sed quod deterius est, inconstantia morum, carni magis quàm spiritui seruiendo. Neque enim fieri potest, vt sit ibi virtuti locus, vbi non est qui doceat virtutem. Hinc idem ait: Vbi non sunt boues præsepe vacuum est: vbi autem plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo bouis. Nam quemadmodũ de labore boum paleis ac fœno impletur præsepe, ita per studium prædicationis auditorum corda imbuuntur præceptis iustitiæ, exemplis'que virtutum & fructũ faciunt operando quæ didicerunt. Atque tunc bouis triturantis, cuius os vinciri lex prohibet, fortitudo apparet, cum in plebe, vbi lolium & steriles auenæ erant, bonarum actionum seges exurgit. Porrò vbi non sunt boues isti ibi præsepe, non solum vacuum est, sed etiam immundum,

Proue.20.

Proue.14.

mundum. Tunc enim luxuriæ frena laxantur, gulę ventrique indulgetur, tunc impudicitia amittit verecundiam, iniustitia metum, auaritia modestiam: tunc odia concipiuntur, iræ exardescunt, rixæ sæuiunt, & quolibet flagitij genere liberê peccatur, cum non adest qui peccantes verbo correptionis castiget, & sermonibus doctrinæ salutaris incitet ad probitatem. Fit autē plerunque, & plebs aliqua propter scelerum magnitudinem cordísque duritiam indigna sit, cui deus mittat sui verbi doctorem. Vnde per Amos prophetā ait Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum domini. Itaque verendum est, si in ciuitate suis temporibns non affuerit euangelicæ disciplinæ prædicator, ne ad extremum vsque scelerum peruentum sit. Quod cum acciderit, nihil reliquum est, nisi vt funditus euertatur gens illa & pereat, quæ ab eo, cuius nutu cuncta sustentātur, derelicta erit. Sunt præterea qui discere quidem vellent, sed non est qui doceat: esuriunt & sitiunt iustitiam, & non inuenitur, à quo præceptis iustitiæ saturentur. Hos deplorat Ieremias, & ait: Adhæsit lingua lactantis ad palatū eius in siti. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Hi certè miseratione digni, quia dum bonis exaturari cupiunt, malis quomodo sciunt, abstinēt. Ne quem autem scrupulum patiantur erroris, orādum est vt mittat dominus operarios in messem suā. Quicquid interim patiūtur, pastorum culpa fit, qui præsunt ecclesiis, & dum seipsos pascunt, gregis esurientis periculum negligunt. Quod si eorū incuria ouis aliqua perierit, sanguinis eius rei erunt. Dominus Iesus redēptor noster aluit turbam in deserto, ne deficiant in via: vt ostenderet eos in via vitę deficere, qui non habent ducē, à quo perduci possint ad vitam. Nulla autem maior homini cōtingere potest pernicies, q̄ à recti honestiq́; tramite deuiare. Tam ergo malum est carere viuæ vocis

Amos. 8.

hortatoribus ad coërcenda vitia virtutesq́ue capessendas, quàm bonum eos habere. Quare vos omnes, qui in deserto seculi huius vitam agitis, & terrenarum rerum solicitudinibus occupamini, quærite pium, quærite sanctum opportunis temporibus vobis monitorẽ, quo declamante & modestius discatis viuere, & meliora possitis sperare. Vos quoq; qui dono dei spiritualis doctrinæ scientiam estis consecuti, incumbite operi officioq́ue prædicandi ac docendi. Cogitate quanti apud deũ meriti sit, catholicis fidelibusq́ue pręceptis erudire indoctos, & vel vnum vel alterum Christo lucrari. Quantæ etiam dilectionis argumentum, omnes docere, vt omnes vobiscum simul saluentur. Non sit vobis grauè, vrbes, vicos regionesq́ue percurrere, & illos imitari, de quibus scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ. Qui non modo illos qui tunc erant, docuerunt, verumetiam posteros omnes qui sunt quique deinde erunt, ad quoscunque scripta illorum peruenerint. Ac ne quid ex his quæ in terra fiunt, sanctorum labore doctorum maius esse credatis, hoc labore fundata est Christi ecclesia, hoc ædificata, hoc permanet & aduersum hæreses inuicta, & aduersum vitia immobilis, nisi enim scripsissent illi, quibus datum fuit nosse mysterium regni dei, quis nũc quæ vera sunt disceret? quis doceret? A prophetis, ab apostolis, à reliquis ecclesiæ sanctæ magistris didicimus, quæ nunc docemus. Ipsorum profectò qui discipulus non fuerit, non poterit esse vtilis præceptor aliorum.

Psal. 18.

De corporis manuúmque labore. Cap. 19.

QVoniam verò prædicandi ac docendi exercitatio ad eruditos tantum pertinet, simplicibus & indoctis eam dabimus exercitationem, quæ

corporis

corporis manuumque labore constat. Iuuat enim post soluta precationum sacrificia operis aliquid facere, vt habeat mens & cogitatio in quo se occupet, & minus libera sit facultas euagãdi per illas rerum temporalium vanitates, quæ vel inuitis nobis obrepere interdum & obuersari animo solent. Honestus quisque labor monacho conuenit, aut legere aut scribere quæ sancta sunt pingere etiam vel fingere sanctorum imagines, quarũ contemplatione accendatur ad virtutem. Item in horto plãtas ponere, sarculo inutiles herbas excerpere, humum ligone versare, riuulis irrigare, & si quid aliud res exegerit, olitoris opera perficere. Præceptum est enim: Non oderis laboriosa opera, & agricolationẽ creatam ab altissimo. Præterea fiscellas lentis viminibus texere, ligna dolare, onera ferre, & quicquid dei seruo nõ illicitum factu creditur peragere: neque committere, vt inertia victus quiescat, & quæ prædicationi aut lectioni supersunt tempora, otio sibi perdat. Ista autem ô monache, quæ tibi facienda iniungimus, ne quasi vilia & abiecta contemnas: illi qui talia factitarunt, à domino sublimati sunt, piscabatur Petrus cum aliis, etiã post acceptum apostolatum. Paulus funiculos intorquebat, ne quem sui victus impensa grauaret, nunc à regibus terræ venerantur. In humili igitur opere exerceri ne asperneris, qui cum Christo cupis in cœlestibus regnare. Non te pudeat pauimenta monasterij, vt munda sint, verrere, vasa mappasque lauare, coquinam facere, esculenta poculentaque aliis ministrare. Non puduit omnium dominum seruis suis pedes abluere, tergereq; ablutos. Qui talia detrectat, scias illum nondum ad humilitatis virtutẽ peruenisse. Seruilia igitur opera fac, vt humilieris: laboriosa, vt carnis petulantiam domes, venalia, vt victum pares: religiosa, quæ pingendo vel fingendo fiunt, vt quod professus es constantius exequaris. Etenim sanctorum simulacra siue picta, siue ficta, si

Eccli. 7.

Petrus

Paulus

iugiter spectentur, stimuli sunt desidiæ fugiendæ labo risque subeundi, dum ad mentem nobis reuocant, quibus artibus ipsi sancti æternam beatitudinem consecuti sint. Hanc certè adepti sunt: Antonius qui sportulas de palmarum foliis texuit: Hilarion, qui ligna cõcidit: Serapion, qui cum suis discipulis messis tempore operã locabat, vt inde haberet quod ipsorũ victui annuo sufficeret. Archebius qui suis manibus cellas construebat quas aliis donaret. Pacomius cui cũ suis monachis propositum fuit manuum labore victum quærere. Dorotheus qui diuenditis quas texuerat sportulis, precium quod victui superesset, pauperibus erogabat. Non prauis cupiditatibus resistere non ad perfectionem vitæ peruenire potuissent: si subcisiua tempora otio contriuissent. Labore quippe corporis vegetatur intellectus, voluptatũ appetitio coërcetur, superbia frangitur, virtus retinetur, & quicquid per otium corruptum fuerit, per laborem instauratur. Deniq; operum orationumque vicissitudine diaboli tentamenta superantur, & in proposito vitæ sanctioris in finem vsque perseueratur. Si paupertatem professus es, magis liber eris cum manuum labore victum quæsieris, quàm cum eleemosynã acceperis. Laboramus, inquit Paulus, manibꝰ nostris. Et si manibus laborabat is, cui vt Christũ prædicaret iniunctum fuerat, quanto magis ei labor hic necessarius est, qui neminem docet, cui post dictas deo laudes otiandũ est, nisi se alicui corporis labori accingat. Ad Thessalonicenses ille scribens, fatetur opera manuum fecisse se, ne quem grauaret subsidia vitæ poscendo pro ministerio verbi, quamuis id liceret, volens potius dare se in exemplum operandi victus gratia, quàm poscẽdi, & si quis non vult operari, inquit, nec mãducet. Cumque esset Ephesi (vt Lucas refert) ad maiores natu locutus est: Argentum & aurum aut vestem nullius concupiui sicut ipsi scitis, quoniã ad ea quæ opus erant mihi, & his qui

Antonius
Hilarion
Serapion
Archebius
Pacomius
Dorotheus
Labor corporis
1. Corint. 4.
2. Tessa. 3.
Ibidem.
Actu. 20.

qui mecum sunt ministrauerunt manus istę. Hunc ergo qui inter apostolos plus oībus operæ impendit in prædicando & scribendo, si sequi in istis non potes, imitare saltem in manuum exercitio ac labore. Sic enim & necessitatibus vitæ tuæ consules, & simul vanis cogitationibus facilè dabis repulsam paratiorq́ue ac promptior ad soluenda precum vota redderis. Nam quemadmodum varius cibus appetentiam edendi prouocat, & cœna placet in qua apponuntur aliæ dapes diuersæq́ue ab illis, quæ in prandio fuerunt, ita & orationem gratiorem faciet magisq́ue delectabilem alterius operis vicissitudo. Quod autem ait dominus: Nolite solici ti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini, solicitudinem metuendi, ne vitæ necessaria desint tollit, nō laborem adimit, vt simul quod in te est facias, & omnium in deo spem habeas firmam atque stabilem. Otiosi autem vana est spes. Terra ipsa non reddet fruges, nisi araueris, sementemq́ue feceris. Primo homini dictum est, In sudore vultus tui vesceris pane tuo, & tu panem parare tibi posse putas nihil agendo, vel cupidines malas vincere & sensibus imperare? Crede mihi, non otium hæc omnia superat, sed labor improbus (vt poëta inquit) & duris vrgens in rebus egestas. Monachū itaque & pauperem & laboriosum esse oportet: pauperem vt in deo diues sit: laboriosum, vt facilius perueniat ad quietem. Vnde dono dei sapientissimus Salomon mittit te ad formicam, vt eius exēplo tibi aliquid pares, quo postea es vsurus, hoc est, vel victum ne esurias, vel in operando occupationē, ne carnis diaboliq́; oppugnationibus per inertiam succūbas. Ingētem (vt idem ait) formicæ farris aceruū Cum populant hyemis memores, tectoq́; reponunt, It nigrū campis agmen, prædamq́ue per herbam Conuectant calle angusto, pars grandia trudunt Obnixè frumenta humeris, pars agmina cogunt, Castigantq́ue moras,

Lucæ, 14.

Prou. 6.

opere omnis semita feruet. Tu ergo istas imitatus futurorum memor, præsentia benè dispone, & callem angustum ingredere, qui ducit ad vitam, non latum qui ducit ad perditionem. Suppone humeros labori, vt aliorum quoque desidiam somnicolosam tuo excites exemplo. Nullam interim lassitudinem timeas, laborantem adiuuabit dominns, & adiuuando consolabitur. Laborabant contra ventum remigando Apostoli, quando saluatore in nauiculã ascendẽte cessauit turba & fluctus quieuere. Vocat quoque eos dominus qui laborant, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Hanc tu refectionem intra te senties, quoties quicquid agis, ad eum finem direxeris, vt prius domino tuo seruias. Omne quodcũque facitis (inquit Apostolus) in verbo aut in opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi facite, gratias agẽtes deo patri per ipsum. Facere opus & gratias agere simul iuberis, vt & manum cum Martha ministerio occupatã habeas & mentem cum Maria diuinæ contemplationi intentam. Operari præterea manibus debes, non modò vt necessaria compares, vel mali tentamẽta vincas, verumetiam vt habere possis, quod aliis impartias, dicente Apostolo: Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret manibus suis quod bonum est, vt habeat communicare ei qui indiget. Hoc idem suo te exemplo hortatur mulier illa fortis, de qua scriptum est: Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. Deinde sequitur: Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Grandis profectò charitas, non tam pro sua quàm pro aliorum inopia laborare, & operi propterea libentius incumbere, vt colas pietatem. In fine dicitur, Date ei de fructu manuũ suarum, & laudent eam in portis opera eius. Ex quo discimus, quod charitatem sectantis labor, bonis tandem compensetur sempiternis. Verũtamen ne quis impru-

Mat. 8.
Matt. 11.
Col. 3.
Ephe. 4.

imprudenter ſupponat dorſum ſuum oneri, quod ferre non ſatis præualet, penſandæ vires ſunt, moderatéque agendum. Nemo iumentum ſuum plus iuſto onerat, & ſi illud viderit ſub faſce gemere, ac titubanti veſtigio malè incedere, demit aliquid, vt pondus eleuet & ad menſuram oneratum ire dimittit. Haud aliter tibi de iumento corporis tui faciendum erit, alioquin iumentis quibuſdam minus ſapere videberis. Camelus enim neque vltra ſolitum procedit ſpatium, nec plus inſtituto onere recipit. Quod ſi maius ferente fuerit onus neceſſe eſt vt opprimat, incōſulta effluunt, moderata antē durant. Neque enim qui tulerit laborem, ſed qui pertulerit, æternæ quietis beatitudinem conſequetur.

De otio inutili & infructuoſo. Ca. 20.

VT autem & corporalis & ſpiritalis operis laborē cupidius ardentiúsque ſubeamus, inertis otij vitium quàm deteſtabile ſit cōſideremus. Arguitur ſtultitiæ qui laborem deuitat, dicente Salomone: Qui ſectatur otium, ſtultiſsimus eſt. Idem puſilli animi eſſe dicitur, Pigrum, inquit, deiicit timor. Somno etiam magis quàm vigiliæ deditus eſt. Pigredo, inquit, immittit ſoporem. Idem tam virtutis quàm rerum egens erit. Dicitur enim: Egeſtatem operata eſt manus remiſſa, & iterum. Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æſtate, & non dabitur illi. Otioſus ergo & ſtultus eſt, & meticuloſus, & ſomnolentus, & animi fortunæque bonorum egens atque inopioſus. Nihil tamen in ſe peius habet otium, quàm quod pateat cōcupiſcentiis. Vnde dicitur: In deſideriis eſt omnis otioſus. Et rurſum: Multam malitiam docuit otioſitas. Cùm autem otioſus malitiam didicerit, flagitiiſque ſe onerauerit, iacet in illis, & torpore victus vix vnquam de reſurgendo cogitat. Nam ſi quando ad ſe rediens culpam agnoſcat, impoſſibile ſibi videtur, vt ab ea deſiſtat. Et interdum

Proue. 12.
Proue. 18.
Proue. 16.
Proue. 10.
Eccli. 33.

dum ipse de sua pigritudine conqueritur, intra se cum
Thren.3. propheta dicens: Circumædificauit aduersum me, vt
non egrediar, aggrauauit compedem meam. Sed cum li
berum sit non peccare. Nihil prodest difficultatem à
peccato cessandi prætendere. Et quoniam animæ otio
Thren.1. marcescentis ista imbecillitas est non naturæ. Viderũt
eam hostes (vt in Ieremia est scriptum) & deriserunt
sabbata eius, hoc est, infructuosam quietem eius dæmo-
nes intuentes lætati sunt, eo quòd illam ignauiter tor-
pescentem ad quæque turpia facilè pertracturos, quasi
piscem hamo sperarent, donec ad interitum vsque de-
ducerent. In hunc enim interitum corruit & Sodoma,
Ezech.16. de qua dicitur. Hæc fuit inquitas Sodomæ sororis tuæ,
superbia, saturitas panis, & abundãtia, & otium ipsius.
Quòd si non abundas, sed inòpia premeris, & tamen o-
tio indulges, non es à periculo perditionis liber, quan-
doquidem non solùm abundantia & saturitas euertit
Sodomam, sed etiam otium, imò tanto nequius otiatur
pauper quàm diues, quanto minus habet causam otian-
di. Diues nempe cum otiosus fuerit, voluptatibus luxu-
riæque operam dabit. Pauperi autem necesse erit, fur-
tò ac rapinis quęrere vnde viuat, & in alios grassari, ne
ipse famè pereat. Longè itaque periculosior est otiosi-
tas egentis quàm abundantis. Quid præterea dicã? Fru
stra illi natura manus dedit, qui nihil agendo conterit
ætatem, quod si necessariæ forent ad applicanda tantũ-
modo ori alimenta, etiã pecudibus datæ fuissent. Ope-
rari manibus hominis proprium est. Qui ergo manus
suas ad aliquid honesti faciendum non extendit, pecu-
di certè similior est quàm homini, aut etiã pecudè de-
terior. Mutum enim animal in multos vsus vtile est, ho
mo verò otiosus nulli prodest, sibi autem etiam nocet
plurimum, vt ex his quæ dicta sunt, satis constat. Idcir-
cò sanè & ab hominibus malè audit, & à deo reprobą-
tur. Alij eum statuam lapideam appellant, alij inertem
asellum,

asellum, alij fatuam anum aut nihili hominem, atque hunc in modum petulantibus cauillantium vocibus taxatur, illuditur, laceſſitur, probro, contemptuíque habetur. Leuius tamen hoc ei ab hominibus ferendum eſſet, niſi etiã ab illo qui ſupra homines eſt damnaretur. Lex vetat eunuchũ intrare in eccleſiam domini. Quiſnam iſte eunuchus eſt, niſi otioſus, de quo nulla proles oritur virtutum? Non poteſt eunuchus generare, neque languori ac ſocordiæ deditus aliquid boni facere. Repellitur itaque ab eccleſia, vt cœtu fidelium indignus. Non eſt enim de illo eunuchorum genere, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Valde quippe diuerſum eſt, caſtitatem deo vouere, & ſterilitatem boni operis torpeſcere, quod nõ deo, ſed diabolo ſeruire eſt. Hic eſt ille qui talentum ad negotiandum acceptũ abſcondit in terra, & cum nullum quęſtum fecerit, eiici iubetur in tenebras exteriores, quarum horrorem fletus auget & dentium ſtridor'. Hic eſt, quem neque frigidum neque calidum, ſed tepidum tantũ Apocalypſis appellat. Cui videlicet ſatis videtur, ſi peccata cauerit quãuis boni nihil operetur. Sed dũ in iſto tepiditatis propoſito inſipienter perſeuerat, nauſeam facit domino dicenti: Incipiam te euomere de ore meo. Præcepit enim dominus nõ ſolùm diſcedere à malo, ſed etiã facere bonum. Quod ſi bonũ non feceris, licet à malis abſtineas, nõ es executus quod iuberis. Nolle aũt obedire deo, malum eſt, tẽpus etiã ad benè agendũ datũ ſine fructu elabi ſinere malũ eſt. Non poteſt igit᷑ fieri, vt otioſus mali omnino expers ſit, cũ etiã ipſum otiũ malũ ſit. Meritò itaque & ab eccleſia propellit᷑, & ab ore domini veluti mucidus panis expuit᷑, atq; ad tenebras relegat᷑, vt ſemper patiat᷑ malũ, qui nunq̃ facere voluit bonũ. Oĩs enim arbor quæ nõ facit fructũ bonũ, excidetur & in ignem mittetur. Ficus etiã habens folia, ſed nõ & fructũ à domino maledicitur & areſcit. Illam quoq; ficũ dominus

Deute. 23.
Matth. 25.
Apocal. 3.
Matth. 3.
Marc. 11.
Lucæ. 13.

vineæ

vineæ ſuccidi iubebat, ne terram occuparet, in qua iam per triennium fructum nō viderat, ſed ad preces cultoris vineæ volentis arborem ipſam circumfodere, ſtercoraq́ue apponere, quarto etiam anno expectauit, vt fructum faciat. Expectat vtique clementiſsimus dominus ab otioſo boni operis fructū in pueritia, expectat in iuuentute, expectat in ætate virili, denique eccleſiæ præpoſiti alicuius verbis exoratus expectat vſque in ſenectam, vt ille tandem eiuſdem præpoſiti vel increpatione impulſus, vel præceptis eruditus, ab ignauia mollitieq́ue animi ad ſtudium honeſti laboris excitetur & exurgat. Quod ſi ne tunc quidem deſidiam infructuoſam reliquerit, quid aliud reſtat, niſi vt dimittatur dānationis iuſtæ ſecure ſuccidēdus? Ne igitur tibi placeas otioſe, quod nihil boni agens adhuc non plecteris. dilatio pœnæ eſt iſtud, nō vitij impunitas. Quanto diutius otiatus fueris, ſi te ſaltem in fine non correxeris, tanto acrius punieris, in ſalicibus infructuoſis, in medio Ba-
Pſal. 136. bylonis, quæ eſt mentis in deliciis perditæ confuſio, ſuſpendiſti organa ſenſuum tuorum, turpi voluptati deditus, & ad flagitia indies magis declinans. Quouſque abutere patientia domini, emendationem tuam expectantis? Non vides? non animum aduertis? quàm citò tranſeant dies & labantur anni, quàm vnaquæque hora non ita vitæ longioris, vt præſentis mortis certa ſit? Nullus eſt enim temporis punctus, quo nō arctentur vitæ noſtræ ſpatia, & quo mors nobis non propior ſit. Quid ergo moraris? quid procraſtinas? Rumpè tādem ſomnolentiam iſtam & expergiſcere, ac tam ſupinæ oſcitationis tarditatem rectè factorum ſolicitudine diſcutere feſtina, antequam rationem villicationis tuæ reddere cogaris. Vel ſi vſque adeo totus obſtupuiſti, vt virtutis operibus te parem fore diffidas, voto ſaltē aut lingua pete languori remedium, aridamq́ue oſtentans manum, ad dominū ſuppliciter accede, & ipſe poſtquā

te pigritiæ

te pigritiæ tuæ pœnitere conspexerit, dicet tibi: Surge in medium, extende manum tuam. Tunc tu ope adiutus diuina, protinus exurges qui hactenus iacueras, & in medium stabis in quo locus virtutis est. Nam extrema vitiosa sunt, dexteramque diu contractam extendere incipies, vt opereris bonũ. Atque ita qui tua culpa inutilis otij languorem patiebare, diuinæ gratiæ curatione saluus euades. Lucæ, 6.

De humilitatis virtute. Cap. 21.

PORrò, quoniam ad acquirendam diuinæ benignitatis gratiam, opus est humilitatis virtute, tempestiuum videtur, vt nunc de ipsa differamus, dominus enim qui in altis habitat vt in psalmo dicit, humilia respicit ĩ cœlo & ĩ terra. Superbis resistit, humilibus autẽ dat gratiã. Et in alio psal. Excelsus, inquit, dominus humilia respicit, alta autẽ à longè cognoscit. Longè est enim ab eo qui inflatur, qui fastum fouet, seque super alios erigit: & quanto magis insolescit, tanto longius à deo recedit ad quẽ non est nobis accessus nisi per humilitatem, iuxta illud: Suscipiens mansuetos dominus, humilians autem peccatores vsque ad terrã. Quod & Salomon in Prouerbiis confirmat, dicens. Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiã. Et Isaias propheta: Deus (inquit) in sancto habitas & cum contrito & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum. In eodem propheta dominũ audimus dicẽtem, Ad quem respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Et in Zacharia: Conuertam manum meam ad paruulos. Quæ autem maior gratia humilibus in vita dari potuit, quàm veræ religionis cognitio quæ in arcano latebat, & quam ne philosophi quidem inuenire poterant, eam nos Christo monstrante didicimus. Vnde ipse ad patrem conuersus: Confiteor tibi (inquit) pater domine

Psal. 112. Psal. 137. Psal. 146. Proue. 3. Isaiæ. 57. Isaiæ. 66. Zacha. 13. Matth. 12.

domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Paruuli ſanè atque humiles erant Apoſtoli, qui primi didicerunt vt alios docerent myſterium dei, de quibus in pſalmo fuerat prædictum à propheta ad deum dicente: Ex ore infantium lactantium, hoc eſt ſermonibus & prædicatione ſimplicium & vulgarium hominum perfeciſti laudem, laudem veritatis, laudem euangelij, diſciplinæq́ue ſalutaris, vt quàm mundanæ ſapientiæ acumen

1.Cor.1. inueſtigare nequiuit eam piſcatorum hebetudo docere inciperet. Hinc eſt illud quod Paulus apoſtolus ait: Stulta mundi elegit deus, vt confunderet ſapientes, & infirma mundi elegit deus, vt confundat fortia. Idem dominus humilium precibus facilém ſe præbet, arrogantes

Sopho.2. verò nō exaudit. Ideo Sophonias propheta hortatur & ait, Quærite dominū omnes manſueti terræ qui iudicium eius eſtis operati, quęrite iuſtum, quęrite manſuetum. Sciebat enim vt iuſtus & māſuetus dominus exoretur, ad ſeruos iuſtos manſuetosq́; ſpectare. Seruū quippe qui gratus charusq́; domino ſuo fieri deſiderat, mores eius imitari oportet. Nam quemadmodū diſſimiles inter ſe diſſident ac diſſeparantur, ita ſimiliū ſumma ſemper concordia eſt, & dum paribus nituntur ſtudiis, mutua beneuolentia incaleſcunt. Quod autē humiles exaudiat deus, per omnes ferè diuinæ ſcripturæ hiſto-

Iudith.9. rias patet: Sancta vidua Iudith cum Holopherne congreſſura, ciliciū induit, ieiunat, orat, & ait: Nec ſuperbi ab initio placuerūt tibi, ſed humiliū & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio: & illa quidem ſicut hu-

Matth.8. militer orauerat, ita quod volebat, perfecit. Clamat in euangelio Centurio: Domine non ſum dignus vt intres

Eccli.35. ſub tectum meū, & eadem hora qua ſic humiliatus eſt,

Matth.15. quod petierat impetrauit, neq; enim fruſtra ſcriptum eſt: Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, Chananęa mulier iam repulſam paſſa, iam in canum cōparatione contempta,

contempta, quia ab humilitate nō recessit, meruit tan dem exaudiri. Filius prodigus consumpto patrimonio ad patrem cum humilitate reuersus, inuenit veniā. Pec caui, inquit, in cœlo & corā te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Atq; ita humiliatus amplexum meruit patris osculum, indumenta, anulum, conuiuiū. Quod er go luxuria exhauserat, humilitas reparauit. Publican⁹ pectus percutit, consciusq; delictorū, oculos in cœlum non audet attollere, & iustior redit pharisæo, qui ieiunabat, qui decimas soluebat, qui bona multa faciebat. Illius enim peccata deleuit humilitas, hui⁹ merita cor rupit mentis elatio. Non sum sicut cæteri homines, inquit, & qui se cæteris præferre non dubitauit, publicano etiam postponendus iudicatur. Lucæ.15. Lucæ.18.

De exaltatione humilium in lege. Cap. 22.

NOn solū autē quæ poposcerint humiles cōsequun tur, sed etiā mirabiliū operū gratia donantur & post hæc præmia beatitudinis æternę cumulatius capiunt. Abrahā puluerē & cinerē se esse dixit, loquens cum deo, benediciturq; ei & semini eius. Iacob submit tit se fratri Esau, atq; illū dominū suū vocat, per nuntios ab eo captat beneuolentiā, mittit munera vt leniat iratū, & post hęc gloriat̃ dicens: Vidi dominū facie ad faciē, & salua facta est aīa mea, & tamē adhuc submissi⁹ agit. Obuiā enī fact⁹ fratri, septies ꝑnus ī terrā adorat, donec ꝓximè accederet. Atq; hac tāta subiectiōe ab īdignato fratre extorsit pietatē, ita vt ille quē perdere decreuerat, in eius collū ruens ipsum amplexaret̃, oscularetur q; dulci⁹ q̃ dici queat, & fraterna teneritudine superatus fleret. Vnde rursū benedictionē accipit à domino, & indit̃ ei nomē Israël. i. vir vidēs deū. Deū ergo videre meret̃, qui se propter deū hoibus humiliat atq; submittit. Loqnte dño de rubo, corruit Moyses ī faciē, Gene.18. Abraham. Gene.32. Iacob. Gene.33. Exod.3. Moyses.

& cum

& cum mitteretur ad Pharaonem, educẽdiſque de Ae-
gypto populi dux conſtitueretur, indignum ſe fateba-
tur eo munere, atque id inire recuſabat, pro illis etiam
à quibus paſſus fuerat iniuriam ſuppliciter deum de-
precatus eſt, Quas ob res meruit fieri populi Iſraëlitici
liberator de Aegyptiaca ſeruitute, legiſque diuinæ la-
tor & multorum mirabilium author, atque aliis præ-
Nume.11. ferri dei iudicio, dicentis: Si quis fuerit inter vos pro-
pheta domini, in viſione apparebo ei vel per ſomnium
loquar ad illum. At non talis ſeruus meus Moyſes, qui
in omni domo mea fideliſſimus eſt. Ore enim ad os lo-
quar ei palam, nõ per ænigmata & figuras deum videt.
Eccli.41. Hinc eſt illud in Eccleſiaſtico ſcriptum: Dilectus deo
& hominibus Moyſes, Et poſt pauca: In fide, inquit, &
lenitate ipſius ſanctum fecit illum, & elegit eum ex om
Dauid. ni carne. Dauid quoque mãſuetus & mitis, vel ſi mauis
dicere humilis, perſecutionem Saulis, odiumq́ue capi-
tale maluit vitare fugiendo quàm vindicando, cum il-
lum ſemel atque iterum occidere potuiſſet, noluit, Ab
inimicis profligatum & interemptum fleuit, Ideo-
que dignus iudicatus eſt, qui ei ſuccederet in regno. Ab-
ſalonis etiam filij necem lachrymis & lamẽtationibus
proſecutus eſt, in eo bello interempti, quo ille niteba-
tur patri regnum eripere. Qua quidem pietate Dauid,
vel patientia, vel humilitate, quocunque horum dixe-
ris, rectè dictum erit: promeruit ad decrepitam vſque
ætatem regnare, inimicorũ victor, & ipſe inuictus, om-
niumq́ue regum Iudææ deo clariſſimus. Vnde futuræ
Pſal.114. beatitudinis ſpe plenus, Placebo, inquit, domino in re-
Pſal.11. gione viuorum. Credidi propter quod locutus ſum, ego
autem humiliatus ſum nimis. Quanto maiora ſperat,
Iob. tãto magis humiliatur. Non enim euehit mortales ad
cœlum ſuperbia, ſed humilitas. Iob patiẽtiſſimus, cum
fortunæ ſimul & corporis bona amiſiſſet ad extremam
redactus miſeriam, humilitatis virtutem non amiſit.

Folium

Folium se quod vento rapitur & stipulam siccam vocat. iuitum dominum alloquitur, & tot tantisque calamitatibus affectus, nihil stultum locutus est. Posthæc sibi restitutus, duplicia recepisse dicitur, vt quantum se humiliauerat, tantum exaltatum vel duplo magis intelligas. Duos quinquagenarios ab Ochozia rege missos, vt Eliam prophetam comprehenderent, ignis de cœlo lapsus, absumpsit: tertium humilitas reddidit tutum. Flexis coram Elia genibus veniam precatus, vitæ periculum euasit. Superbi ergo prouocant iram dei, humiles autem prouocatam placant. Amos pastor, quia mitis mansuetique ingenij fuerat, spiritu sancto repletus, prædixit Samariæ mala futura, & prophetis meruit annumerari. At etiam prophetali dignitate præditus non insolescit, sed magis humiliatur. Non sum propheta, inquit, nec prophetæ filius, sed armentarius vellicans sycomoros, &, Dominus misit me prophetare ad Israël. Dum exaggerat domini beneficium, suæ conditionis confitetur obscuritatem, de armentario factus propheta si dissimulasset, & ingratus quidẽ haberetur, & humilis parum. Quid multa? sic habe, neminem in virtutibus profecisse, neminem sanctum vel à deo charum fuisse, cui defuit virtus humilitatis. Fundamentũ custosque virtutum, & de terra ad cœlum ascendendi via est humilitas. Per hanc omnes prorsus ingressi qui nunc in supernis sedibus habitant, facti domestici dei ciuesque sanctorum.

4. Re. 1.

Amos.

Amos. 7.

De exaltatione humilium in euangelio. Cap. 23.

NE tamen nouorum exempla omnino præterisse videar, Iohannis Baptistæ, Petrique & Pauli Apostolorum humilitatem in mediũ proponam. De his enim discrtius expressum in scripturis comperio.

Iohannes. Baptista.

HH Iohan-

Iohannes interrogatus quis esset, negauit se esse Christum, malens veritate submitti, quàm efferri mendacio, & neque Eliam, neque prophetam se esse asseruit, dum humiliatur. Proinde Christi testimonio extollitur, quod videlicet in spiritu Eliæ venisset, quod plus quàm propheta esset, quod denique inter natos mulierum nemo illo maior surrexisset. Ille tamen modis omnibus deiicere se & humiliare nõ destitit, cùm de Christo diceret: Ipse est, qui post me venit, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus, vt soluam corrigiam calceamenti. Petrus piscator erat, & in Christum credens, indignum se eius cõsortio iudicauit. Exi à me, inquit, domine, quia ego homo peccator sum. Ob hoc ad apostolatum vocari meruit, vt qui retibus pisces capiebat prædicatione veritatis homines caperet. Solus non sinebat sibi à domino lauari pedes. Postquàm autem se cum illo partem non habiturum nisi lauaretur intellexit, non solùm, inquit, pedes, sed & manus & caput. Prima vox humilitatis fuit, secunda charitatis. A quo nolebat lauari, ab eo separari pertimuit. Porrò, quoniam & humiliabatur plurimum, & vehementius quàm cæteri diligebat, dedit ei dominus claues regni, & principem constituit Apostolorum. Paulus de vase iræ vas factus est electionis, quantum antea furore aduersus CHRISTVM intumuerat, tantum deinde propter Christum humilitate se deiecit: Ego, inquit, sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiã dei. Gratia autem dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnib^9 laboraui. Ac né laboris laudem sibi tribuere videretur, subdit: Non ego autem, sed gratia dei mecum. Alibi etiam omnium infimum se fatetur, dicens: Mihi enim omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi. Dum Lystris cum Barna-

Iohan.1. Petrus. Lucæ.5. Ioan.13. Mat.16. Paulus. 1.Cor.15. Ephe.3. Acto.14.

Barnaba prædicationis officio fungerentur, dij crediti, diuinum sibi exhiberi honorem vsqueadeò respuerunt, vt scissis vestibus mortales se esse clamarent, & ob hoc quidem missos, vt falsorum deorum cultoribus, veri DEI notitiam insinuant, salutíque eorum qui credituri sunt, consulant. Et hi sanè de quibus locuti sumus, cęteríque eiusdem ordinis homines, si nosse vis ad quantam gloriam in cœlo exaltati sint, considera qualem dum in terra viuerent, gratiam acceperint. Cæcos illuminare, leprosos mundare, mortuos viuificare nulla possunt medicamenta, isti potuerunt. Si magna gratia hæc, haud dubium quin etiam magna, quæ gratiam secuta est, merces fuerit. Quanto igitur humiliores deo seruiendo erimus, tanto gloriam celsiorem consequemur. Cæterùm cùm multos hoc loco breuitatis causa præterierim, quorum exemplis vti magnificè poteram. Mariam tamen dei matrem, eiúsque filium saluatorem nostrum silentio prætermittere nullo modo possum. Hæc fabro desponsata fuerat, in turba pauperum incognita latebat, in tantum autem humilitate placuit, vt à deo electa sit, quæ dei filium generaret. Vnde ipsa gloriatur, dicens: Magnificat anima mea dominum, & exultauit spiritus meus in deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Quid enim maius virgini conferri potuit, quàm vt creatorem suum pariat, quàm vt domini sui mater sit, & hoc quidem nõ violata virginitate, sed sanctificata, vt purius niteat in fœcunda, quàm nitebat in sterili.

Maria mater dei.

De humilitate Christi.

Cap. 24.

DEi verò filius factus est hominis filius. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quid deinde? & vidimus, inquit, gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Qui eius gloriæ consors esse desideras, eius humilitatis prius te socium ac participem exhibeas oportet. Non est discipulus supra magistrum, neq; seruus domino suo maior, vt exaltari velit sicut dominus, & humiliari nolit sicut seruus. Hunc autem omnium authorem, omnium

Phil. 2. saluandorum doctorem ac redemptorem, Paul⁹ Philippensibus in exemplum proponens, ait: Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu, qui cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Audisti humilitatem, attende gloriam. Propter quod, inquit, & deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua cõfiteatur, quia domin⁹ Iesus Christus in gloria est dei patris. Neque humilius diuinitas inclinare se potuit, quàm vt hominem assumeret séque hominum potestati submitteret, ad flagella & mortem per ludibria sustinendam: neque subblimius attolli, quiuit humanitas, quàm vt diuinitati vnita, vnus Christus & deus esset & homo, sedens ad dexteram patris, à spiritibus angelicis omniũque sanctorum cœtu venerandus: mortuos & viuos iudicaturus in eadem humanitate, in qua voluit ab homine iudicari, tunc humilis quidem, nunc gloriosus: tunc mortalis, nunc immortalis & impassibilis: tunc seruus, nunc dominus: tunc infirmus, nunc ponens inimicos scabellum pedum suorum in virga virtutis suæ. Tunc non

Psal. 44. erat ei species neque decor, nunc dicitur ei, Specie tua

& pulchritudine tua intende prosperè, procede & regna, propter veritatem & mãsuetudinem & iustitiam: nunc regnum ei⁹ regnum omnium seculorum. Sed paulò distinctius videamus, à qua humilitate ad hanc sublimitatem peruenerit, quam tamen semper habuit à patre & cum patre communem. Cùm igitur deus esset, hominem quem ipse fecit, assumpsit, nunquam dimissurus, vt & homo fieret, & deus esse non desineret: de paupercula matre nasci voluit, nõ in vrbe regali, sed in paruo oppidulo Bethlehem, non saltem in domo vulgari, sed in iumentorum stabulo, vbi reclinatus in præsepio vagit. Ab angelis nuntiabatur, à pastoribus quærebatur, à magis adorabatur, & tamen ipse contemptibilis & despectus apparere volebat. Adultus non habuit vbi caput reclinet suum, alienis impensis sustentatus est, alieno vsus hospitio. Qui cœlum terramque fecerat & quæ in eis sunt, hic die ac nocte in laboribus fuit, docendo, sanando, orando, miracula operabatur & latere volebat. Super asinam sedens intrauit Hierosolymam, cuius sedes cœlum, & terra scabellũ pedum erat. Lauit discipulorum suorũ pedes, cui angeli seruiebant. Cùm innocens esset, pro peccatis nostris ab incredulis quos ipse saluare venerat, comprehendi, ligari, cõspui, cædi, occidi voluit. Atque ita se submisit obtulitque vltro omnibus impiorum iniuriis, qui mundum pugillo continet, qui terram respicit & facit eam tremere, in quem angeli intueri gaudent, qui vita est omniũ quę viuũt, & author quæ subsistũt. Quid ergo vel magnificẽtia ei⁹ mai⁹, vel humilitate abiectius? Nemo æquare potest eius humilitatem, quia nemo habet tantam de qua descẽdãt sublimitatẽ. Satis est si vestigia eius obseruantes, quantum possumus nos humiliter submisisseque geramus, ipso admonente ac dicente: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Sit igitur nobis curæ, vt minimi simus, Matt. 11.

in omnibus patientes, in omnibus mites & mansueti, nulli malum pro malo reddentes, paruo contenti in laboribus assidui, seruire magis quàm præesse cupientes, nunquam captemus hominum gloriam, sed semper dei laudem, & proximorum profectum. Parati simus omnia supplicia, omne morti genus perpeti prius quàm deo peccare. Per hanc humilitatem aditum nobis parabimus in cœlum & gaudiis perfrui merebimur sempiternis, participes facti gloriæ domini nostri, cuius humilitatem in terra fuerimus imitati.

De humilitate vitiosa.

Cap. 25.

SCiẽdum tamen, esse alias quasdam humilitates, ex quibus aliæ quidem nihil ad hanc pertinent, de qua locuti sumus, aliæ verò ipsam reddunt vitiosam. Quid enim ad virtutem illa humilitas qua obscuro loco natos designamus, humiles appellando demissi generis in plebe vulgaria viros, vel illa quàm etiam rebus animatis insensibilibus'que damus, nam & locum humilem dicimus qui pressior iacet inter eminentes atque demissior, & humilem arborem quæ non multum ab humo erecta sit. Sunt & alia duo humilitatis
Psal.93. genera in scripturis obseruata, alterum cum quis aliorum iniquitate opprimitur affligitur'q;, iuxta illud populum tuũ domine humiliauerũt, & hæreditatem tuã
Psal.106. vexauerunt, alterum cum quis ob suam culpam pœnis aut calamitate aliqua grauatur secundum illud: Propter iniustitias enim suas humiliati sunt. Vtrũque hoc inuitum sit atque nolentem, virtutis autem humilitas voluntaria est, proinde etiam illam quæ vitij est voluntariam esse constat. Illa itaque non virtutis, sed nequitiæ malignitatis'que erit humilitas, cum quis ea de caudus

sa præ se feret humilitatem, siue vt inter sanctos ponẽdus videatur, siue vt facilius eleemo synam eliciat & lu cretur. Tales erant, quos in Euangelio taxauit dominus dicens: Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui mũdatis quod foris est calicis & paropsidis, intus autẽ pleni estis rapina & immunditia. Exterius quippe cilicio se tegunt, nudis pedibus ambulãt, horridi, inculti, squalentes, illuuiosi, inter loquendũ suspirant, ingemiscũt, fatentur se esse peccatores, crebrò ad orandum procũbunt, sed intus vel inanis gloriæ cupidine flagrant, vel quærendæ pecuniæ cura solicitãtur, sepulchris dealbatis, foris quidem mundi puri'que, sed intus pleni sordibus atque spurcitia. Perniciosa est ergo humilitas, fingere quod non es, & esse quod non debes, Nam licet callida simulatione falli possint homines, deus tamen nunquam fallitur, omnia nuda & aperta sunt oculis eius, ipse cordis & rerum scrutator, vnicuique reddit iuxta opera eius, quæ tunc quidem iudicanda exponentur, cũ nihil erit occultum quod non sciatur, neque absconditum quod non reueletur. Quid ergo proderit, humilẽ, sanctum, mansuetum ab hominibus fuisse iudicatum, cùm etiam hominibus manifestum erit, qualis reuera fueris? Neque enim ex præteritis aliorum rumoribus, sed ex conscientia tua præsenti iudicaberis. Cæterùm, veræ quoque ac sanctæ humilitatis valdè studiosis cauẽdum erit, ne fortè humilitatem putent, eos quibus præpositi sunt, non corripere si deliquerint, non castigare si perseuerauerint. Negligentia est istud non humilitas & charitatis quàm proximo debes obliuio Debes enim curare, vt eos qui tibi commissi sunt, efficias meliores, docendo, increpando, puniendo, quòd si per ignauiam teneritudinẽve animi omiseris, nõ mitis neq; mãsuet⁹, neq; humilis, sed ecõtrario ĩhumanũ & à charitate alien⁹ fuisse argueris, crediti'q; tibi gregis nõ pastor, sed desertor, q̃ris fortasse cur ergo p̃cipiat dñs: Qui maior ẽ

Mat. 23.

Mar. 20.

vestrũ, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator? Non hoc dicit vt peccantes non arguas, quos & ipse flagello de templo expulit, sed vt in laboribus opereque seruili cum ipsis quibus præsides, communices, & in spiritalibus negotiis grauiora onera tuis q̃ aliorum humeris imponas, necessitatibusque domesticorũ tuorum pro viribus prospicias, & tanquam filiis ministres, indulgentissimique patris fungaris officio, nihil prætermittendo quod vel ad humilitatem pertinere videbitur, vel ad charitatem. Definiamus igitur vitiosam fore humilitatem, quæ charitati aliisque virtutibus nõ fuerit copulata. Nam neque libidinosis proderit humilitas, neque gulæ ventrique seruientibus, neque alij alicui flagitio subnixis. Prima humilitas esse debet deo obedire, deinde præpositorum iussa exequi, postremò facilem se omnibus prętare, neminem offendere, & pati potius iniuriam quàm inferre: nihil terrenum appetere, sed cœlestium desiderio semper inhęrere. Quicunque ita se humiliauerit, exaltabitur & vnà cum illis quos in exemplum proposuimus, gaudebit in æternum gloriosus. In psalmo enim dicitur: Iuxta est dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Et in euangelio: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniã ipsi possidebunt terram. Et alio psalmo: Mansueti hæreditabunt terram, & delectabũtur in multitudine pacis. Possidebunt ergo humiles terram, non hanc ærumnarum & inquietudinis plenam, sed illam in qua iugis tranquillitas & pax est perennis, quæ etiam terra viuẽtium dicitur, iuxta illud: Credo videre bona domini in terra viuentium. Humiliemur igitur (vt Petrus Apostolus præcipit) sub potenti manu dei, vt nos exaltet in tẽpore visitationis. Nihil est vera humilitate prętantius, nihil tranquillius, & à perturbationibus animi magis remotum. Humilitas patiens est, benigna est, nec con-

Marginal notes: Humilitatis ordo. — Psal. 33. — Matt. 5. — Psal. 36. — Psal. 124. — 1. Pet. 1.

pta irascitur, nec laudata se extollit, nec aduersis concutitur, nec prosperis delinitur, in vtraq; fortuna æquabilis perseuerat. Vulgi quidem opinione despicitur, sed sapientissimi cuiusque iudicio commendatur, summique dei benignitate ad cœleste regnum sustollitur, & coronatur. Expediens nunc videtur, vt de contrario humilitati vitio, superbia differamus. Nam virtutem ardentius amplectemur, cum nequitiæ turpitudinem magis plenè cognouerimus.

LIBRI. VI. FINIS.

EVANGELISTARII MARCI MARVLI LIBER VII. sub charitatis titulo, de vitio superbiæ, de virtutibus obedientiæ ac patientiæ, earumque oppositis vitiis. Item de vitio iræ ac linguę edisserens.

De superbiæ vitio. Ca. I.



QVARE scriptum est: Initium omnis peccati est superbia, nisi quia omne peccatum à voluntate diuina nostræ voluntatis auersio est: vt faciat seruus quod vetat dominus, vel facere nolit quod ille iussit. Hoc autem proprium superborum esse negari non po- Eccl. 10.

non poteſt. Quãuis igitur variȩ ſint peccati ſpecies, vna tamen omnium mater eſt ſuperbia, ita vt cum ipſis peccatis quæ genuit, ſimul viuat, ſimul moriatur. Nemo qppe deſinit eſſe ſuperbus, niſi cum deſierit eſſe peccator. Peccata tamen quæ plus in ſe ſuperbiȩ habẽt, hæc ſunt: Sui confidentia, inanis gloriæ appetitio, aliorum contemptus, de ſe iactatio oſtentatióque, neminem pati ſibi ſuperiorem, & ne æqualibus quidem facilem ſe prȩſtare. Præterea geſtus habitusq; corporis immodeſtus, proterua atque aſpera verborum prolatio, temerariáque cõfidentia actionum, erecta ceruix, contumax aſpectus, lentus tardúsque inceſſus, & vecordiam potius q̃ grauitatem prȩſe ferens vultus. Veruntamen quo magis arroganter coram hominibus ſeſe compoſuerint ſuperbi, eo minoris exiſtimationis apud deum erunt, dicẽte Iſaia propheta: Dixit dominus deus, pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant & ambulabãt, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebãt, decaluabit dominus vertices filiarum Siõ, & dominus crinem earum nudabit, & pro ornatu erit ignominia. Nihil enim ſecum feret ſuperbus cum hinc deceſſerit, omni pomparum ſuarum ornatu faſtúque decaluabitur, nudus ad inferos deſcendet inglorius, contemptibilis, deſpectus, tanto aliis magis infimus, quanto ſibi videbatur ſublimior. Hoc etiam per Sophoniam minatur dominus, dicens: Viſitabo omnem qui arroganter ingreditur ſup limen, hoc eſt, ſiue priuatas ædes, ſiue dei templum cum ſuperbia ingredientem viſitabo iuſta vltione atq; vindicta. Sunt enim quibus non eſt ſatis in foro, in campis, in hominum frequentia ſupinos elatosq; incedere, ſed etiã domum domini ingreſſi, cum maximè ſe ſubmittere deberent ante altare cœleſtis regis, eundem vultũ ſeruant, eandẽ ſupercilij elationem, quaſi iam ei æquales, cuius non multo poſt iudicium velint nolint ſubituri ſunt,

Sopho. 1.

ri ſunt,

ri sunt,& tunc demum fiet, quod ad Deum Psalmista Isa.17.
ait:Oculos superborum humiliabis. Nihil enim oculi iam ad inferos damnatorum quod eos delectet videre poterunt,sed cuncta tristia & acerba miseri illi & cernere & pati compellentur,qui'que se olim supra homines esse arbitrabantur,sub immundorum spirituum potestate erunt.Quod quidem metuens Iesus Syrachi filius,orabat dicens:Domine pater & deus vitæ meæ extollētiam oculorum meorum ne dederis mihi, hoc est, ne permittas,vt me superet superbia,& me aliquid esse credam,supra id quod sum. Eccl.23.

Quanta mala pariat superbia.
Cap. 2.

SCriptum est preterea: Vbi fuerit superbia,ibi erit & contumelia.Necesse est igitur, vt elati superbia Prou.11.
toruo'que aspectu homines,prorumpant in contumeliam & probra & conuitium. Sicut enim nebulosa ac tristis cœli facies raró cum silentio soluitur: ciet tonitrua,cogit micare fulgura,fulmina cum fragore decidere,terram'que imbribus repentè inundare : ita ventosæ superbiæ tumor, nisi ratione coërceatur, irarum austros proflabit,& obuium quenq; maledictis petulāter lacesset.Vnde alibi dicitur:Inter superbos semper Prou.13.
sunt iurgia.Intantum quidem superbi iurgiis assuescūt, vt ipsa iurgia superbiam appellet Psalmista,dicens:Os Psal.16.
eorum locutum est superbiā.Superbi erant Iudæi,ideò neq; contra deum murmurare timuerūt, nec Moysi & Aaroni contumaciter insultare. Roboamum Salomonis filiū ad contumeliæ verba regalis impulit dignitas, & populo poscenti aliquod pensionum leuamen,addam respondit super iugum vestrum.Pater meus cecidit vos 3.Reg.12.
flagellis, ego cædam scorpionibus. Tantum hac animi elatione profecit, vt duodecim tribuum rex,

mox

mox duarum tantummodo fieret, reliquis ab eo fecedentibus. Nemo enim superbo domino libenter seruit. Nemo etiam impunè aduersus deum superbit. Etenim Sennacherib rex Assyriorum, captis aliquod Iudææ oppidis, Hierosolymam obsidiõe premere cœpit, blasphemias in deum Israël dixit, séque diis potentiorem asseruit. Ex quo Hierosolymarum rex Ezechias perterritus, deposita regali purpura, saccum induit, & supplex dominum orauit. Præualuerunt preces humiliantis se aduersus furorem impotentiámque superbi. Angelus domini maiore parte Assyrij exercitus prostrata, regem cum reliquis Niniuẽ redire coëgit. Quo ille perueniẽs, filiorum suorum manu interemptus occubuit. Hinc planè satis patet, quàm fragiles, quàm nullæ sint humanæ vires, si cum deo contenderint. Ad hæc, superbus post iurgia illos cum quibus iurgatus est, re atque opere lædere affectat, vt vim robúrque suum ostentet, séque ex illis esse probet, de quibus Amos propheta ait: Conterunt super puluerem terrę capita pauperum, & viam humilium declinant. Sedechias quoque filius Chanaan volens videri propheta, cum prospera regi Samariæ Achabo prædixisset, Michee contraria, quæ & euenerunt, prophetanti colaphum infregit, dicens: Mé ne ergo dimisit spiritus domini, & locutus est tibi? Vir arrogans igitur & inani gloria tumens, dum persuadere nititur se esse quod non est, si quis contradixerit, impatiens iræ, ne manibus quidem temperat, nihílque pensi habet meliores se atque honorabiliores afficere iniuria. Ioab Dauidici exercitus ductor, non potuit pati p̃fecturæ honorem laudémque militiæ cum aliis partiri, & Amasam collegam suum amicè alloquens, incautũ interemit. Nullo itaque scelere abstinet superbia, nec rapinis, nec cædibus parcit, dum supra omnes eminere atque excellere appetit. Aduersus hanc per os Abacuc prophetæ spiritus sanctus clamat: Væ qui congregat

Marginal notes: 4.Reg.19. (beside "dentibus"); Amos.2. (beside "runt super"); 3.Reg.22. (beside "naan volens"); 2.Reg.20. (beside "ria. Ioab"); Abac.2. (beside "atque excellere")

auaritiam

auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius. Ad superbiæ autem vitium alios virium confidentia stimulat, alios rerum prosperitas hortatur, aliis audaciam longus peccandi vsus præstat, qui retuso iam conscientiæ aculeo delictorum assiduitate, neque hominum pudore neque vllo dei metu cohibetur. In Abdia propheta Idumæam increpat dominus, & ait: Valdè superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petræ, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo. Quis detrahet me in terram? Et quoniam supra quàm decuit efferebatur Idumæus, consequenter dicitur ei. Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde te detraham dicit dominus. Vt qui se omnium fortissimum credidit, omnium imbecillimus euadat, & de illo quoque dicatur: Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore. Quod autem & superbi humilientur & humiles exaltentur. Benedab quoque Syriæ rex nobis exemplo est, qui Samariam cum innumera militum multitudine inuadens, gloriabatur quod puluis Samariæ non sufficeret pugillis populi, qui ipsum secutus fuerat. Deo autem arrogantiam eius vlciscente, egressus rex Achab tantum cum septē millibus virorum, & ducentis triginta duobus fudit fugauit'que eum, qui iam in manibus victoriam se gerere credebat. In sequenti anno Israëlitarū parua manus cētum milia Syrorum in prælio conciderunt, reliquos fuga elapsos, in oppido Aphec murus ruina oppressit. Benadab captus qui sibi insuperabilis videbatur, pro vita supplicauit. Niniuen etiam Assyriorum metropolim, cui dominus pœnitenti & humiliatę pepercerat, postremò tamen insolenter elatam repenti ruina cōcidere ꝑmisit. Ideò illi per Sophoniam superbiæ crimen obiicitur, dicentem: Hæc est ciuitas gloriosa, habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo: Ego sum, & extra me non est alia amplius, quomodo facta est in desertum

1. Reg. 2.

3. Reg. 20.

Niniue

sertum cubile bestiæ? omnis qui transit per eam, sibilabit & mouebit manum: quasi dolens eam quæ fuerat, iam non esse sicut & Psalmista ait: Vidi impium superexaltatum vt cedros Libani, transiui, & ecce non erat.

Psal. 36.

In illos qui sanctitatis ostentatione alios carpunt. Cap. 3.

SVnt qui de morum sanctitate sibi plaudétes, aliorum vitam carpunt, vt illis quos improbant, meliores videantur. Talibus in Isaia minatur dominus dicens, Qui dicunt, recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es. Isti fumus erũt in furore meo, ignis ardens tota die, ecce scriptum est coram me. Qui se igitur quamuis bonus suo ore extollit, dei damnabitur iudicio, saluatore in Euangelio dicẽte, Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, de⁹ autem nouit corda vestra quia quod hominibus altum est, abominatio est apud deum. Huiusce rei nobis pharisæi quoque proponitur exemplum, qui templum ingressus, dum se iustificat, & publicanum iuxta orãtẽ accusat. Publicano ipso nequior de templo exiit. Modicum itaque arrogantiæ fermentum, totam corrumpit massam virtutũ, & si quid boni superædificatur, corruit. Quid est enim quod Salomõ in Prouer. ait: Domos superborũ demolitur dominus, nisi quia superbi licet opere interdũ non peccent, animo tamen delinquunt, donum dei non Dei laudi, sed suæ tribuendo? Vnde idem, Abominatio est domini inquit, omnis arrogans, etiam si manus ad manum fuerit, non erit innocens. Et in psalmo est scriptum: Superbi iniquè agebant vsquequaque. Cæterùm impossibile est, ne quando etiam actione delinquãt, qui per arrogantiam in se confidunt. Sibi quippe derelicti, absque gratię diuinę fulcimẽto stare nullo modo pote-

runt.

Isaiæ. 65. Luc. 16. Luc. 18. Prou. 16. Ibidem. Psal. 118.

runt. Semper autem prius est, vt in corde superbiat pec-
cator quàm in opere, & hanc reor Salomonis esse sententiam dicentis: Contritionem pręcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus. Quòd si iam affectione mali interitus cecidit, nisi repentè culpam agnoscat & doleat, quomodo nō etiā exterius iniqua operatione labetur, quomodo dum multos probitatis laude anteire se existimat, non de aliis obloquetur? non aliorum vitā carpet, & insectatione lacesset? Quamobrē iterum Salomon ait: Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus quàm fatuo confidenti sibi in iustitia sua. Non enim fama honesti deperit, si à fera mordearis, sed si linguæ petulātis iaculo ictus fueris, periculū est ne inter infames computêris. Et licet mala hominum opinio de te innocente, tibi non noceat, nocet tamen aliis, qui te sibi similem rati, sese corrigere negligunt, & quasi te authore in malo perseuerant. Incipiet autem & tibi detrimēto esse, si in tua infamia contemnes lapsum proximorum. Ideò dicitur: Qui negligit famam suam, crudelis est. Melius est bonum nomen q̃ diuitiæ multæ. In sua verò iustitia confidenti ab Apostolo dicitur, Qui se existimat stare, videat ne cadat. Et alibi: Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantum gloriā habebit, & nō in altero. Illi quippe in altero hābent gloriā, qui malunt laudari ab hominibus, quàm à deo probari. His quidem non tam virtus ipsa placet, quàm vmbra quædam simulatióque virtutis, non habentes curæ vt boni sint, sed vt esse videantur. Et hoc quidem in causa est, vt se aliquis arroganter iactet, & alios contemnat, & parui reputet: Sed talem condemnat propheta dicens, Væ qui prædaris, nônne & ipse prędaberis? & qui spernis, nônne & ipse spernêris? Certissimum quippe est, quod malum à iusto iudice recipiet, qui malum proximo suo machinabitur. Spreuerunt

Prouer. 16. Prouer. 17. Prou. 22. 1. Cor. 10. Gal. 6. Isaiæ. 33.

Iere.42. runt Ieremiam Iohannan & qui cum illo erant, contéptoque eius consilio abierunt in Aegyptum. Et gladius regis Babylonis, quem fugiebant, ibi cõcîdit illos, cum in terra Iuda si prophetam audissent, à periculo tuti forent. Spernũt etiam superbi eos qui in monasteriis deo seruiunt, & quòd seculo renũciarint, irrident, ipsi mox

1.Par,15. Michol. ridiculi futuri dæmoniis. Sic fatua Michol virum suũ Dauidem derisit, ante arcam domini saltantem atque ludentem, & Ephot lineo indutum. Hoc autẽ regis seruitium quàm gratum esset domino, superbæ mulieris mulcta ostendit. Eam enim ob rem sterilitate damnatur, ne de illo habeat liberos, quem deo deuotum despexit.

Nicanor. 1.Mac.7. Sic & impius Nicanor cum exercitu missus à Demetrio Anthiochiæ rege, ascendens montem Sion, ludibrio habuit sacerdotes, ipsa sibilauit sacrificia, & minatus est ferro se ignique cuncta vastaturum, nisi Iudã & omnes qui ipsum sequebatur, sibi traderent. Occurrit illi Iudas cum trium milium manu tantum, castraque eius contriuit. Cecidit Nicanor, plurimi de suis desiderati sunt, caput & dextera superbissimi ducis ante portam Hierosolymæ vrbis suspensa, vt omnibus pateret, spes eorum in contrarium verti, qui diuina incessere præsumunt, Psalmista dicente:

Psal.128. Confundantur & cõuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion. Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquàm euellatur exaruit.

Psal.122. Ab his liberari precatur iustus, cùm ait, Miserere nostri domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione, multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus & despectio superbis.

Quod superbi succumbant passionibus, & quæ sint illa per quæ notantur superbi.

Cap.

Cap. 4.

PAssionibus præterea seruit superbus, immoderatè gaudet, intemperanter tristatur, supra modũ sperat, infra modum metuit, nihil ei temperamento constat rationis, quoniam in omnibus appetitum sequitur carnis, quamobrem in psalmo dicitur: Fundamẽta montium commota sunt, & conturbata sunt, quoniã iratus est eis deus. Alias montes intelliguntur, sancti ꝑpter diuinæ cõtemplationis altitudinem, Hinc superbos accipimus propter arrogantiæ elationem. Superbi ergo conturbãtur, quoniam iratus est eis deus. Quemadmodum enim humilibus placatur ita irascitur superbis. Quos autem deus abnuit, & auersatur, fieri omnino non potest, quin suæ imbecillitati relicti conturbentur animis, & insipienter commoueantur curisque superuacuis incessantur. Hinc est quod secundus à rege Persarum Assuero Aman, pati non poterat quod Mardochæus Iudæus non sibi assurgeret seque nõ adoraret. Ion furore accensus, à rege apud quem plurimum poterat exegit, vt Iudæi qui in regno eius erant, internecione delerentur, & cum his ipse Mardochæus in crucem actus periret. Sed vide quomodo deus deposuit potẽtes de sede, & exaltauit humiles. Rex edoctus per reginam coniugem suam Hester, quàm benè de illo meritus fuerit Mardochæus, detectis olim insidiis cõiuratorum in ipsum mutauit edictum. Iudæosque liberæ conditionis esse iussit. Mardochæum verò post se primùm fecit. Aman autem in crucem, quam ipse Mardochæo parauerat actus est. Atq; ita omnia superbi vota in contrariũ versa sunt, & pernicies quam aliis inferre cogitarat, ipsi contigit, nunc superbè, preme alios vt te extollas, insidiare, machinas omnes intẽde, vt per aliorum ærumnas ad fastigium alicuius dignitatis ascendas, dummodo scias iustissimum simul & potẽtissimum esse illum,

Psal. 17. Aman. Hester. 3. Hester. 7.

quem offendis. Quod si præsentium bonorum cupidine duceris, quis erit finis concupiscendi? regnū adeptus aliud desiderabis, terræ marisq; imperio potitus quæres si quis vltra alius lateat orbis cuius nondum dominus factus sis, & quo maior fueris, magis exaltari affectabis, vt de te quoque propheta ad dominum conuersus conqueratur, & dicat: Superbia eorum qui te oderunt

Psal.73. ascendit semper. Ascenderat Nabuchodonosor factus arbor fortis & procera vsq; ad cœlū & lata nimis, expendens ramos vsque ad terminos terræ, foliis fructibusque referta, non quod esset, sed quòd tam magnus

Dani.4. sibi videretur. Et cum præ viribus imperij sui neminē timeret, repente corruit, dicente per angelum suum domino ac iubente: Succidite arborem, præcidite ramos, excutite folia, dispergite fructus. Itaque cum omnium orientis regum potentissimus esset, ob hoc superbię fastum ita deiectus est, vt ab hominum quoque cœtu pulsus, cum bestiis in solitudine vitam ageret. Postea verò humiliatus deo miserante regnum recepit, pristinæq; fortunæ restitui meruit. Quamobrem in hoc vno quidem perspicuè dicimus tum quantum displiceat domi

Lucæ.3. no nostra arrogantia, tum rursum quantum placeat humilitas, de quibus in Euangelio dicitur: Omnis vallis implebitur, & omnis mōs & collis humiliabitur. Montes hoc loco superbi intelliguntur, vt est illud in psal-

Psal.96. mo. Montes sicut cera fluxerunt à facie domini. Et in

Psal.145. alio psalmo: Tange montes & fumigabūt. Superborum

Volucr. quippe gloria in fumo vanitatis laborat, humiles autē

Psal.80. in luce resplendent veritatis, cùm exaltantur. Superbi volucres cœli sunt, de quibus dicitur: Omnia subiecisti sub pedibus eius, volucres cœli & pisces maris, vt Christi iudicio subiecti sint & hi qui mentis elatione insolescunt, & illi quorum vita inter mundanas fluctuat va

Lucæ.9. nitates: & vt vtrosq; Christo inuisos intelligas, ipse in euangelio dixit: vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos,

nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet suum. Alteri enim terrenis negotiis dediti, auaritiæ student, alteri nihil magis curant, quàm vt fama honoribusque emineant, vtque id assequantur, neque homines neque deum offendere verentur, Destituit enim eos ratio ac veluti pecora præsentia tantum aspiciunt, & futura quæ æterna sunt, non recogitant. Quod si quid etiam benefecerint, suæ virtuti non diuinæ gratiæ tribuunt. Contra quos clamat Isaias, dicens: Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur? quasi diceret: Ista instrumenta nō vendicant sibi laudem operis, quæ propria opificis est, & vos de bono illo, quod non tam à vobis quàm per vos gestum est, totam gloriam vobis vsurpatis? Cum omne bonum desursum sit, & omne donum perfectum à patre luminum descendat in hominibus, vt quod ille iubeat, ipsi possint perficere. Isaiæ.10.

Quòd alij dignitate, alij humilitate laudari appetunt, alij deo quoque se audent comparare.

Cap. 5.

Alij sanè per ambitionem magni apparere volunt & sicut saluator ait: Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi. Qui talia amat, peccat: non quòd non liceat homini primo loco sedere, si id dignitas ipsa in qua est exigit, sed quòd ex eo voluptatem capere, arrogantiæ vitium sit. Itaq; non erit nefas ei qui iussus est præsidere, primam tenere cathedram, sed hoc affectare inanis gloriæ gratia, nefas erit. Quinimo si etiam in infimo loco sedendo ab aliis commendari concupieris, humilitatis bonum humanæ Matth.23.

laudis desiderio corrumpes,& devirtute facies vitium. Et quoniam (vt diximus) mens animusque superborũ nequit quiescere, semperque se magis ac magis erigens eò quosdam prouexit vecordiæ,vt se deo comparare ausi sint,deumque contemptui habere. Nabuchodonosor rex,cuius insaniã paulo antè retulimus,hoc tamen prætermisso quod nũc dicemus, auream statuam erexerat, se in ea veluti deum adorari iubens. Et quoniam se supra hominẽ extulit, regno depositus cum bestiis vixit. Ad principem Tyri in Ezechiele dicitur:Hęc dicit dominus deus, eo quod eleuatum est cor tuum, & dixisti deus ego sum,& in cathedra dei sedi in corde maris,cũ sis homo & nõ deus. Hinc demum post commemoratas tantæ elationis causas infertur,quod tradendus alienigenis esset,spoliãdus atq; interficiendus. Illorum quoque superbia deo se conferentium fuit, qui primum ab oriente venientes posuerãt sibi sedem in terra Sanaar. Turrim enim ædificarũt, cuius altitudinem ad cœlum vsque educere decreuerãt. Tam igitur stulta est superbia,vt etiam nulli mortalium possibilia præsumat. Inter ædificãdum linguis confusi sunt, deinde per orbem dispersi,ita vt neq; intelligere alter alterum,neque simul consistere quiuerint. Senacherib Assyriorum Rex, vt antè est dictũ: Deum Israël blasphemare ausus, vnà nocte cæsis ab angelo exercitibus, fugere coactus est à mœnibus Hierosolymæ vrbis quam obsederat, & cum Niniuẽ peruenisset,à filiis fuit interemptus. Balthasar Chaldæorum rex,quia vasis sacris, quæ de Hierosolymis translata fuerãt,bibit in conuiuio,& idola vana colens laudes dixit diis,antè manu supra parietem scribẽte territus,deinde ipsius interpretatione scripturæ, postremò nocte insequente interfectus est. Antiochus Epiphanes & ipse in deum blasphemus, iraq; tumens minabatur vrbem Hierosolymam supra Iudæorũ corpora dirui turum se,& quæ habitantium erat locus,facturum vt

Nabuchodonosor Daniel.3.

Gene.11. Turris Babel

Senacherib 1.Reg.19.

Balthasar Daniel.5.

Antiochus 2.Mac.9.

rum vt sit cæsorum sepultura: mox viscerũ dolore correptus, ac toto tabefacto corpore sero pœnitẽs, æquum esse ait, vt homo mortalis deo immortali sit subiectus: talia fatus vita decessit, de dolore traductus ad acriores gehennæ dolores, inferorumq́; supplicia. Documento est quod omnino nihil sit regum terræ potestas, si cœlestis regis potentiæ comparetur: Non absimile fine consumptus est Herodes Agrippa, Sedẽs enim pro tribunali dum cõcionaretur, magno plausu exceptus dicentiũ, non humana verba, sed diuina de ore eius fluere: nõ egit gratias deo, sed laudem illam totã sibi vẽdicauit, quod deo conferẽdus videretur, ob hoc ab angelo percussus, vermibus scaturire cœpit, ac tam infelici exitu is qui sibi felicissimus videbatur, vitam obiit: adhuc deterius ab immortali verme in inferno carpẽdus quam à quibus consumptus est. Caius Cæsar (vt Iosephus refert) cultum sibi tanquã deo exhiberi iussit, statuam in Capitolio posuit, se Ioui parem dictitans: deinde in senatu interemptus, deus esse desiit, ita vt ne hominis quidẽ in eo facies aliqua superesset, toto tandem in cineres cõuerso. Talibus imprecatur Ecclesiasticus, dicens: Contere domine caput principum & inimicorũ dicentium, non est alius præter nos. Grandis arrogantia stultaq́ue præsumptio, putare se singularẽ, & ab iis qui prudenter iudicant, non ita magni haberi. Vnde præceptum est: Non te extollas in cogitatione animę tuæ velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiã. Et alibi: Odibilis, inquit, coram deo est & hominibus superbia. Et rursum: Quid superbis terra & cinis? Quid est enim de quo gloriari possit aliquis, nisi de sola animi virtute? qui autem gloriatur, in domino glorietur.

Acto. 12. Herodes

C. Cæsar

Eccli. 6.

Eccle. 10.

Ibidem

Quòd sancti quandóque lapsi sint per superbiam. Cap. 6.

NIhil aliud habemus, quod non sit cum brutis commune, præter ipsam animi rationem atque sapientiam. Difficile est tamen ne quando in ipsam labamur mentis elationem, neue aliqua laudis cupiditate interdum perstringamur, quandoquidem sanctissimis quoque viris hoc contigisse, scripturarum monumenta
2.Reg.23. nobis testãtur. Peccaui (inquit Dauid) valde in hoc fa-
Dauid. cto, cum numerare iussisset Israëlem & Iudam, censique fuissent de Israële octingenta milia virorum fortium, de Iuda quingenta milia. Cumque se peccasse fateretur, subiunxit: Sed precor domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis. Quamuis autem eum pœniteret, de tribus tamen pœnæ generibus datur vnius optio, hoc est, vel septennis famis, vel trimestris fugæ persequentibus inimicis, vel triduanæ pestilentiæ. Qua electa septuaginta milia virorum, qui eius ditionis erant, morte consumpta sunt. Lugenti & in humilitate supplicanti venia tandem data, cessauit
Psal.29. internecio ac vastitas plebis. Hinc ille gratias agẽs, dixit: Audiuit domin9 & misertus est mei, dominus fact9 est adiutor meus. Quoties igitur nos aliquo rerum successu quicquam efferri contigerit, toties ad nos reuersi humiliemur, veniamque precemur pœnitendo, ne forte totam iram effundat deus in obstinatos, qui vindictã temperat aduersus pœnitentes, miseretur que supplici-
Ezechias. bus & ignoscit. Peccauit & Ezechias rex, alioqui erga
Isaiæ.39. deum pietate notissimus, eleuatum est cor eius, postquã graui obsidione Assyriorum fuit liberatus, additique sint vitæ suæ quindecim anni, dato ne id futurum dubitaret signo per decem horarum spacium retro ducti solis. Et tunc quidem iactabundus regis Babylonij legatis ostentauit omnem domus suæ opulentiam, propterea per prophetam audiuit diuitias illas ad Babylonem transferandas vna cum liberis nepotibusque suis. Sed quoniam submisit se domino, dilata est calamitas ad re

gni successores. Ipse verò mali huius expers decessit, non tamen absque dolore eorum quæ post se nouerat esse ventura. Peccauerunt & discipuli Christi, orta inter se contentione, quis eorum videretur esse maior? Sed ab ipso veræ virtutis præceptore reprehensi sunt, dicente: Gentilium non Christianorum esse, ambire honores, & se magnificos apparere velle. Vos autem non sic, inquit, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nónne qui recumbit? ego autem in medio vestrũ, sum sicut qui ministrat. Is igitur qui præferri aliis concupiscit gentilitatem sapit, qui verò vel in dignitate positus, minoribus ministrat ea quæ ad cõsequẽdam salutẽ necessaria sunt virtutum præcepta, siue ad sustentationem vitæ opportuna subsidia, hic Christi discipulus est, humilitate deiectus, dignitate pręstans, non quærens quæ sua sunt, sed quæ aliorum.

Apostoli
Lucę. 22.

De superbia diaboli, & superborum damnatione. Cap. 7.

ILle pręterea qui tumidè arroganterq́ue sese gerere non desierit, hic diaboli discipulus simul & seruus erit. Diabolus quippe (vt in Iob legimus) rex est super vniuersos filios superbiæ. Quid autẽ vilius, despectius, miserius, infelicius, quàm eius esse mancipium, qui & ipse propter superbiam cœlo deturbatus lucem amisit, & in infernum corruens, tenebris & igni est addictus? Quid, inquam, dici aut cogitari fœdius potest, q̃ vt homo ad similitudinem dei factus, conditionis suæ oblitus, immundum imitetur spiritum, teterrimã sequatur beluam, immanissimoq́ue sese subdat serpenti? Qui licet sæuissimus insolentissimusq; sit, à sanctis tamen humilibusq; dei seruis cõculcandus & cõterendus

Iob. 41.

 est in

Miche.4. eſt in die iudicij, dicente Michea propheta: Calcabitis impios, cum fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum in die quam ego facio dicit dominus exercituum, vt videlicet tanto deſpicabilior appareat malignus hic ſpiritus, quanto arrogantius cõtra deum creatorem ſuum
Iſaiæ.14. & dominum inſurrexit. Dixit enim vt in Iſaia eſt ſcriptum: Aſcendã ſuper ſydera dei, exaltabo ſolium meũ, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ero ſimilis altiſſimo. O inſatiabile malum ſuperbia: In cœlo erat & adhuc altius prouehi cupiebat. Nam ſupra illud etiam cœlum ſe aſcenſurum iactabat, de quo dicitur: Cœlum cœli domino, terram autem dedit filiis hominum, ſupra ſydera dei, ſupra altitudinem nubium, hoc eſt, ſupra omnes angelicas virtutes & poteſtates. In mõte teſtamenti, in lateribus aquilonis, iuxta illud quod
Pſal.47. in pſalmo legimus: Mons Sion latera aquilonis, ciuitas regis magni, mons Sion & mons teſtamẽti ſancta eccleſia eſt, latera aquilonis in cœlo puriora nobis apparẽt. Ideò ſub hac metaphora ſignatur locus in cœleſti gloria cæteris purior atque ſanctior, in quo ſummæ maieſtatis principale habitaculum eſt: Illo igitur mens elata & temeraria cogitabat aſcendere. Quemobrem ne ibi quidem vbi erat, quiuit permanere. Ad ima terræ corruit: dum ſe ad faſtigia vſque cœlorum extendit, diciturq́ue ei: Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruſti in terram. Hoc in Euangelio dominus teſtatur, dicens: Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Et Ioannes in Apocalypſi: Vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clauis putei abyſſi. Idem alibi: Factum eſt, inquit, prælium magnum in cœlo Michaël & angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo, & proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus,

antiquus, qui vocatur diabolus & satanas, qui seducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo missi sunt. De quibus in Iob dicitur: Et in angelis suis deus reperit prauitatem: In his videlicet, Iob.4. qui vnà cum dracone in profundum deciderunt. Itaque etiam illi, qui eum sequuntur superbè & elatè se gerendo, & sub potenti manu dei humiliari contemnendo, eodem loci corruant necesse est. Sordet enim vita eorum nauseam'que facit domino, qui in superbiam eriguntur, Iohele propheta teste, qui ait. Ascendet fœtor Iohel.2. eius, & ascendet putredo eius, quia superbè egit. Superborum igitur fœtor ascendit, quia dereliquerunt odorem humilitatis, fragrantiam'que virtutis, & elato incedentes supercilio aduersarij sequuntur vestigia, vt cum eo damnentur in die illa, quando visitabit dominus (vt Isaias inquit) in gladio suo duro & grādi & for Isaiæ.27. ti super Leuiathan serpentem veterem, & super Leuiatham serpentem tortuosum, & occidet cetū qui in mari est. Qui enim nunc vel circa aëra istum nubilosum vel circa terram hanc mortaliū sedem versantur, tunc omnes in barathro tartari terribili atque horrendo concludentur. At tu si nolis cum his habere sortem, cōsortium quoque fuge superborum. [Rarum est enim vt quis illorum mores non imitetur, quorum consuetudine vtitur. Vnde Psalmista: Superbo oculo, inquit, & in- Psal.100. satiabili corde, cum hoc non edebam. Et scripturarum præcipuus illustrator Hieronym⁹ noster: Nihil, inquit, à pueritia magis vitare conatus sum, quàm tumentem animum & erectam ceruicem; dei contra se odia prouocantem. Ob hoc quæque superbos fuge, ne fortè dum illis iungeris, cū ipsis simul turbine diuinæ vindictæ inuoluaris. Qui enim vitiosis libēter copulatur, licet moribus dissimilis sit, fauere tamen vitiis eorum videtur, & sicut à societate malorum non abhorret, ita minimè mirum erit, si pœnæ quoque eorum particeps efficitur.

De super-

De superborum pœna. Cap. 8.

QValis autem superborum pœna futurà sit, præsentia demonstrant, nam si in vita quoque interdum grauissimè plectuntur, haud dubium quin multo acerbiora passuri sint post mortem in inferno, nisi decedentium comes fuerit humilitas, id quamquam ex his quæ diximus perspicuè adparet, addamus tamen & alia quædam de scripturis, vt quo plures aduersus vitium istud sententias didicerimus, in euitando efficiamur diligentiores. Per Isaiam superbis minatur
Isaiæ.13. dominus, dicens: Quiescere faciam superbiam infide-
Ezech.7. lium, & arrogantiam fortium humiliabo. Et per Ezechielem: Adducam (inquit) pessimos de gentibus, & possidebunt domos eorum, & quiescere faciam superbiam potentium, & possidebunt sanctuaria eorum. Vtinam non de nobis ista exponi queant, quorum infideles Turcæ vicos, oppida, prouincias occuparunt, aras fosque prophanãtes, nullo die cessant in reliqua Christianorũ regna debacchari, captiuos abducere, pecora deprædari, vastare agros, cædibus grassari, & in nomen Christianũ magis quàm dici queat impiè furere. Hoc perpetuo flagello nostra percutitur superbia, & tamen adhuc humiliari negligimus. Infidelium arma sine intermissione sæuiunt, & sæuiendo prosperantur: quia Christiani principes inter se dissident, inter se digladiãtur: & cũ iunctis viribus cõmuni periculo simul occurrere deberẽt, id agunt, vt facilius quicquid reliquũ est Christiani imperij, dissipetur, & in impiæ infidæque gentis veniat potestatem. Cæterum si quis hanc quam imminere cernimus calamitatem effugerit, & tamen scelere atque superbia sese efferre non desierit, nequaquam illam multo horribiliorem ærumnam effu-
Malac.4. giet, quam futuram Malachias denunciat dicens: Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi &

perbi & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit dominus exercituum: quæ non relinquet eis radicem & germen, id est, vllam conuersationis pristinæ spem, dicetur enim eis. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Vt videlicet superbi homines cum ipsis superbiæ spiritibus crucientur simul, omni prorsus quiescendi expectatione sublata. Plurimi tamen & antè in hoc seculo magnis afficiuntur incommodis atq; angustiis, quo vel ipsorũ superbia castigata submittat ceruices, vel aliorum territa in humilitatem conuertatur. Quẽ superbum tunc non terruit Hierosolyma, vel cum olim à Chaldæis euersa est, vel cum postea à Romanis? De qua Isaias prophetauit, dicens: Dominus deus fortis incuruabit habitantes in excelso, ciuitatẽ sublimẽ humiliabit, humiliabit eam vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem. Postremo à saluatore coarguta quod occideret prophetas, & ad se corripiendã missos lapidaret, audit, Ecce inimici tui circundabunt te vallo, & coangustabunt te vndique & ad terram posternent te, & filios qui in te sunt & non reliquent in te lapidem super lapidem. Quem arrogantem non pauefecit Babylõ à Medis Persisque destructa? quod quidem immanitate eius atque superbia offensus dominus futurum prædixit, cum ait: Visitabo super regẽ Babylonis, & super gentem illam iniquitatem eorũ, & super terrã Chaldęorum, & ponam illam in solitudines sempiternas. Hanc & Isaias lugere videtur, dicens. Descẽde, sede in puluere filia Babylon, sede in terra nõ est soliũ filię Chaldæorum. Idem alibi. Et erit Babylon, inquit, illa ciuitas gloriosa, in regnis inclyta, in superbia Chaldęorum subuersa, sicut subuertit dominus Sodomã & Gomorrhã, nõ habitabitur vsq; in finẽ, & non fundabitur vsq; in generationes & gñationes. Chaldęorũ hęc metropolis erat, inter septẽ mũdi spectacula à scriptorib⁹ numerata,

Hierusa.
Isai. 26.
Lucæ. 19.
Babylon.
Iere. 28.
Isaiæ. 47.
Isaiæ. 13.

merata, tanta ædificiorum magnificentia, vt penè incredibilia sint, quæ de illa narrantur. Muris coctilibus cincta, Semiramis reginæ opus, cuius ambitus (vt Herodotus prodidit) sexagintaquatuor millium passuum erat, vt Strabo, trecentorum & octoginta stadiorum, quod penè idem est. Multo Babylone maiorem fuisse Ninum aiunt, quam nos Niniuen dicimus, cuius ambitum trium dierum itinere constitisse, Ionæ prophetæ liber testatur, quam cum ille subuertendam prædixisset, Niniuitæ pœnitentiæ humilitate veniam impetrarunt. Postea verò cum ad pristinas superbiæ sordes reuerterentur, quod antè timuerant, passi sunt à Cyaraxe Medorum rege, regnante Hierosolymis Iosia filio regis Amon à seruis interempti. De ista Niniuæ vastatione prophetauerat Zacharias, dicens: Humiliabitur superbia Assur. Et Sophonias. Extendet dominus manum suam super Aquilonem & perdet Assur, & ponet speciosam in solitudinem & in inuium, & quasi desertũ. Paulo post. Hæc est (inquit) ciuitas gloriosa habitans in cõfidentia, quæ dicebat in corde suo, ego sum, & extra me non est alia amplius, quomodo facta est in desertum, cubile bestiæ? Igitur vt taceam Moabitas & Ammonitas & quosdam alios potentia atque opibus quondam claros, ob hoc ipsum superbiæ crimen penè deletos, omnes terrarum dominos hortor, cum talia legerint de his, qui ipsis fortiores, opulentiores, virorum armorumq́ue & rerum omnium copia maiores extitere, tam subitò cecidisse, ne sibi insolẽter superbeq; cõfidant, sed summi dei scita legesq́ue contemnere metuant, semperq́ue meminerint, solo illiꝰ nutu cœlum terramq; posse deficere, qui solus vt essent potuit facere. Non eos extollat successus rerum, non erigant contra inimicos victoriæ, non inflet imperij ampliatio. Audiant psalmistam domino dicentem. Non enim in gladio suo possederũt terram, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera

Zach. 10. Soph. 2. Ibidem Psal. 43.

tua &

tua & brachium tuum & illuminatio faciei tuæ. Nunquid igitur qui dare potuit, non poterit auferre cum voluerit? Nunquid quisquam valebit resistere illi terribili, qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ? Erit, inquit Isaias, fortitudo vestra vt fauilla stuppæ & opus vestrum quasi scintilla, & succendetur vtrunque simul. Potentissimus olim fuit Ozias Iudææ rex, Geth oppidum destruxit, Samniam & Azotũ ædificauit, domuit Palestinos, Ammonitas pendere vectigal coëgit, erat exercitus eius duorũ millium & sexcentorum principum, & sub his trecenta & septem millia virorum bello fortium. Cum tamen insolenter elatus, & templum ingressus adolere incẽsum vellet, quod officium sacerdotum erat, continuò lepra perfunditur, redditurq; ineptus curæ & gubernaculo regni. In eius locum suffecto filio, vitam morte acerbiorẽ duxit. Sic igitur oculos superborũ humiliat dominus, sic superbi ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos: sic humiliat dominus peccatores vsque ad terram. Excelsi ergo statura (vt Isaias ait) succidentur, & sublimes humiliabuntur. Iterum ait: Dominus exercituũ cogitauit hoc, vt detraheret superbiam omnis gloriæ, & ad ignominiam deduceret vniuersos inclytos terræ. Et rursum: Væ, inquit, coronæ superbiæ ebriis Ephraim, & flori decidenti gloriæ exultationis eius. Quid est enim aliud humanæ potentiæ ostẽtatio nisi florum gloria, mane florens, vesperi arescens ac defluens, & omnem penitus amittens decorem. Nullum terræ regnum perpetuum, neque diuitiæ stabiles, neque honor firmus. Cuncta caduca, fragilia, varia atque mutabilia: in quibus hominum superbia dum caput attollere nititur, dum se stare putat, corruit. Hoc est illud Ieremiæ lumbare, quo cum se præcingere vellet, nequiuit. Cõputruerat enim, & nulli iam vsui aptũ erat, atque hinc captata occasione dominus. Sic, inquit, putrescere

Psal. 75. Isaiæ. 1. Ozias. 2. Para. 26. Isaiæ. 10. Isaiæ. 23. Isaiæ. 28. Ierem. 3.

trescere faciam superbiam Iuda, & superbiam Hierusalem multam. Nemo igitur superbiat, quia omnipotens est qui auersatur superbos. Vnusquisque humilietur, quia deus est qui humilibus dat gratiā dicente Baruch propheta: Constituit deus humiliare omnē montem excelsum & rupes perennes, & cōualles replere inæqualitatem terræ. Dicente etiam deo ipso in Ezechiele propheta, Ego dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignū humile, & siccaui lignū viride, & frōdere feci lignum aridum. Hoc idem aliis verbis expressum est in euangelio, vbi dicitur, Omnis mons & collis humiliabitur, & omnis vallis implebitur. Et iterum, Dispersit superbos dominus mentē cordis sui, deposuit potentes de sede & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Cæterū ibi quoque terribiliter minatur superbis dominus, vbi ait, Et tu Capharnaum, numquid vsque in cœlum exaltaberis? vsque in infernum descendes, vt videlicet pœna delicto respondeat, & quanto quis altius erigitur, tanto inferius labatur & corruat. Hinc est ille angeli in Apocalypsi clamor, Quantū glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Et cum hæc ita sint nónne fidelissimo cuique ab arrogantia, fastu, atque superbia maximè abhorrendum sit & enitendū, vt humilitatem, mansuetudinem, humanitatemq́ue sequatur? Id demum ita seruare poterit, si in omnibus ei qui omnibus præsidet, parebit. Quam rem vt impensius præstet, nunc de ipsa obedientiæ virtute tractationem spiritu sancto fauente aggrediemur.

Baruc. 5. Ezech. 17. Lucæ. 3. Matth. 18. Apocal. 18.

De obedientia deo præstanda. Cap. 9.

PRimum omnium deo obediēdum est, deinde aliis propter deum. Nemini autem in eo gerendus mos est, in quo offenditur deus. Omnia extrema prius perpetiēda sunt, quàm contra dei iussa, mandata, leges

aliquid

aliquid agendum. Nec vnquam dubitandum, quin illud bonum æquum'que sit, quod iussum à deo atque constitutum fuerit. Cuius vnius sapientia nunquam errat, & bonitas nunquam à sui perfectione deflectitur. Cuicunque igitur ita vt oportet de deo persuasum fuerit, non inquiret quare sic aut sic aliquid ille iubeat siue mandet, sed tantum quod imperatum est, id persequi atque perficere curabit. Abraham filium immolare iussus, non respondit quòd in illo sibi promissum esset semen, quòd in illo benedicendæ erant gentes. Credidit enim cuncta euentura quæ deus promiserat, etiam ipso mactato, in quo promissa ista implenda erant. Ideo tacitus maturabat quod iussum fuerat, perficere. Denique filium vnigenitum vnicè dilectum, vt deo obtemperaret, suis interfecisset manibus, nisi is qui iusserat, rursum inhibuisset. Sic probatus, cum vnius tantum esset genitor, omnium in Christo credentium constitui meruit pater, stellas numerare iubetur, in earum comparatione filios habitaturus. Amalechitarum regem Samuel propheta in frustra discidit, cui victo Saul rex pepercerat, maioris'que pietatis exemplum præbuit Samuel, quia homini non pepercit, vt deo obediret. à Saule autem tollitur regnum, & alteri datur, quia illum quem iussus erat interficere, viuere permisit. Nõ itaque pius, sed impius est habendus, qui domini transgreditur legem, vt seruo indulgeat & blandiatur, magis'que hominem offendere metuit, mortalem, fragilem, caducum quæ deum immortalem æternum, omnipotentem, omniũ quæ vbique sunt opificẽ, omniũ dominum ac moderatorem. Quid vxore, quid liberis in vita charius? legimus tamẽ illos qui de Babylone cum Esdra sacerdote postliminio redierant, cum didicissent ex lege diuina non licere sibi alienigenis mulieribus copulari, cum illis quas duxerant, diuortium fecisse ac de ipsis genitos abdicasse. Vincere enim debet omnẽ erga

Gene. 22.

Samuel. 1. Reg. 15.

1. Esdr. 10.

alios

alios amoris affectum sola deo parendi atque obsequendi sedulitas. Quæ profectò si nobis cõtigerit, nullus hominũ timor obstabit, nullus pudor, quin agamus, quicquid vel à domino, vel à pontifice, vel à collegij nostri præposito iniunctum fuerit. Non timuerũt sancti prophetæ magnos reges coram arguere, neque populo plebique aduersa denunciare, cum à domino mitterentur,

Isaiæ.20. Nõ erubuit Isaias deposito quo indutus erat cilicio nu-

Isaias dus per vrbem incedere, & regum necessitudine nobilis pudendam de semetipso detectis natibus spectaculum publicè præbere, quia ille qui super omnes est iusserat, vt per hoc Aegyptum & Aethiopiam ab Assyriis despoliandam significaret. Magno igitur animo omnibus in rebus diuinæ obtemperandum est iussioni. Contempse-

Apostoli runt Apostoli impiorum contumelias, verbera, minas

Actu.5. omnes: & cum compellerentur ne Christum prædicarent, responderunt, deo magis quàm hominibus obedire oportere. Et nisi domino nostro obedierimus, ne diligere quidem illum conuincemur. Si diligitis me, in-

Ioan,14. quit, mandata mea seruate. Et iterum: Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me. Idem rursum ait. Qui non diligit me, sermones meos nõ seruat. Mentitur igitur qui se deum diligere dicit, & quod ille imperauit, hoc exequi negligit. Quod verbis profiteris, operibus comproba, & quod promittendo iactitas, verum esse obediendo ostende. Ad testandam erga deum charitatem nihil magis necessariũ est, quàm ipsa obedíẽtię virtus, vt videlicet facere studeamus quod ille imperat, & eo quod prohibet abstineamus. Cuncta quæcunque sunt, autorem suum agnoscunt, & ei obtemperant. Cælum, terra, mare, volucres, pecora, pisces, nec animantia tantum, verumetiam inanimata eandem naturam seruant, quæ illis ab initio est collata, & nunquã ordinem suum, quem à conditore acceperunt transgre-

Psal.18. diuntur. Vnde psalmista dominum alloquitur & ait.

Fundasti

Fundasti terram & permanet, ordinatione tua perseuerant dies, quoniam omnia seruiunt tibi. Et in alio psalmo dicitur. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius, montes & omnes colles, ligna fructifera & omnes cedri, bestiæ & vniuersa pecora, serpentes & volucres pennatæ. Cuncta igitur quę subsistunt, verbum dei faciunt, bruta vtique ratione carentia, sensibilia atque insensibilia, & nos quos ille intellectu donauit, veritatis cognitione illuminauit, æternis bonis dignos reddidit, non faciemus? Creatori, redẽptori, saluatori nostro non parebimus? Non ille nostra indiget obedientia, sed nos illius indigemus imperio, qui ideò imperat aliquid, vt bona conferat obedientibus. Quæ autem his qui obediunt conferenda sunt, obedire nolentes mereri non poterũt. Qualia verò & quãta sint obedientium bona, docebo: si prius quibus post deum obediendum sit, viderimus. Psal. 148.

Quorum imperio parendum sit.

Ca. 10.

OMnibus illis qui nobis iure præsunt, obedire nos oportet, dummodo id iubeant, quod diuinæ non aduersatur iussioni, neque eorum qui præsidibus præsunt imperio. Vt semper maioribus honor deferatur in obediendo, dicente Apostolo: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à deo, quæ autem sunt, à deo ordinata sunt, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi, inquit, damnationem acquirunt. Quoties ergo imperatum est, quod potestati, quæ à deo est, conuenit, parere debemus vt deo. At verò cùm malè, iniustè aliquid iussum fuerit, malignitati eius qui iussit resistendum est, neque quod fieri voluit, faciendũ. Talis quippe iussio nequaquam sequitur ordinẽ à Deo Roma. 13.

 datæ

datæ potestatis, sed eius qui abutitur potestate, prauitatem atque nequitiam, Idcircò idem Apostolus ad Titum scribens, nō satis habuit dicere. Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, sed
Tit.3.
subiunxit, ad omne opus bonum paratos esse. Cùm itaque potestas aliquid iusserit, subditi mens maturè perpendat, vtrum bonum an malum sit quod iubetur: si bonum fuerit, pareat: si malum, parere caueat, ne deum offendat, quòd si nec bonum nec malum videbitur, proinde ac si bonum esset obtemperet. Satis est enim si malum non est quod iubetur. Bonum autem etiam si iussum non fuerit, agere expediens erit. Benè enim agendo mala iubentem poteris contemnere. Vis, inquit, nō timere potestatem, bene fac. Fieri quidem potest vt potestas malè officio suo fungens ad uersus innocentem sæuiat, sed dominum audiuimus dicentem: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt
Mat.10.
occidere, sed eum potius timete, qui potest corpus & animam perdere in gehennam. Quid nocuit sanctis tyrannorum impietas deos eorum contemnentibus? Quibus illi vitam hanc breuem & caducam abstulerunt; iis deus dedit stabilem & æternam. Quos illi suppliciis affecerunt, eos deus perennis gloriæ immensíque gaudij corona insigniuit. Igitur sicut recta honestáque iubentis præsidis imperium totis viribus exequi debemus, ita iniqua turpiáque imperantis minas intrepidè contemnere. Sed rursum apostoli præceptum est: Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore & synceritate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, id est, laudem, fauoreínve hominum occupantes, sed & serui Christi facientes voluntatem dei ex animo, seruientes sicut domino & nō hominibus. Dominis igitur fideliter vt deo seruiendum est, promptéque obtemperandum, quàm diu iussa eorū cum dei concordent voluntate, nec ab æquo honestóq;

honestoque videantur discrepare. Et si carnalibus dominis tanta animi solicitudine obediendum sit, quanto magis domino spiritali, qui animarum nostrarum curam gerit, & illa duntaxat iubet quę magis ad consequendam pertinent salutem? Rectè itaque hortatur nos Apostolus, & ait: Obedite præpositis vestris & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Pontifici maximo ante alios parendum est, Christi enim vicem gerit in terra. Deinde ab illo vt nostro conuentui præsint, constitutis: omnibus denique qui ex eius authoritate ius habent, quod volunt nobis imperandi, vt deo erit obediendũ, semper tamen habita superiorum ratione, ne fortè dũ minoribus obedimus, eos quibus & ipsi obedire debẽt, offendamus. Deinde parentibus nostris obedire nos & natura suadet, & diuina lex iubet. Vnde Apostolus: Filij, inquit, obedite parentibus vestris in domino, hoc enim est iustum, honora patrem tuum & matrem tuã, quod est mandatum primum in promissione, vt benè sit tibi, & longæuus sis super terram. Non vtique super hanc terram, in qua & obedientes possunt citò mori, & inobedientes diu viuere, sed super illam de qua propheta dixit: Credo videre bona domini in terra viuentium. Quod etiam filiis Ionadab à domino promissum fuisse credimus. Vt enim præceptum patris perficerẽt, vini potu abstinebant, & meruerunt audire domino dicente: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filiis Rechal, stans in conspectu meo cunctis diebus. Tunc autem cõspectum domini merebimur, cum totius obedientiæ nostræ vnus finis fuerit, vt videlicet hominibus obediendo, Deo placeamus. Qui enim ideò alicuius iussis obtemperant, vt ab eo mercedem capiant, mercenarij sunt: & qui parent metuendo, ne quid mali patiantur, serui sunt. Is verò, qui neque spe præmij, neque timore supplicij, sed solo Dei amore se subiicit ad

Heb.13.

Ephe.6.

Psal.26.

Filij Ionadab.

Iere.35.

obediendum aliis, non mercenarius neque seruus est, sed potius filius patri æterno perpetua charitate deuinct⁹. Atque ideò quidem voluntariè seruit, spontè obtemperat, nihil in quo deo gratificari se censet, agit inuitus.
Psal.39. Hic certè cum Psalmista sancto concinere poterit: Vt faciam voluntatem tuam deus meus, volui. Tunc demũ vera perfectáque obedientia est, cum nostra voluntas ex dei pendet voluntate. Cùm videlicet quod ipse pręcipit, facimus: non quod caro ad malum prona suggerit.
1.Reg.15. De isto obedientiæ genere est dictum: Melior est obedientia quàm victimæ, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum.
Eccl.35. Et alibi: Sacrificium salutare est, attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate. Quoniam autem nihil mali est, quod lex diuina non prohibeat, neque boni quod non imperet vel præcipiat, omnium prorsus abstinentia vitiorum, omniumque exercitatio virtutum obedientia est, ita vt ne fidei quidem sacramenta proderunt nobis, nisi ipsam obedientiæ coluerimus virtutem.
1.Co.7. Vnde gentium Apostolus Paulus: Circũcisio, inquit, nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum.
Iaco.2. Et Iacobus Apostolus: Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa.

De obedientium præmio.

Cap. II.

VIdeamus nunc quęnam bona pollicetur obedientibus dominus. Obediens inter aduersa securus est, dicente dei sapientia. Qui me audierit, absq; terrore quiescet, & abundantia perfruetur malorum
Prou.1. timore sublato.
Eccl.8. In Ecclesiaste quoque dicitur: Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali. Iustis enim aduersa bene cedunt, dum ea ferendo superãt.
Isaiæ.1. Huic simile est quod in Isaia loquitur dominus, & ait: Si me audieritis, bona terræ comedetis. At verò Apostoli.

stoli & sancti martyres quos obedientes fuisse negare non possumus, angustias, persecutiones, & supplicia passi sunt, quomodo ergo bona terræ comederunt, cum tribulationes in vita tolerarint? Bona igitur terræ illa esse reor, quæcunque nobis materiam præbent exercendæ virtutis, Multa autem vulgò bona putantur, quæ potius mala sunt, quia peccandi occasionem licentiamque suppeditant, vt sunt diuitiæ quæ luxuriam alunt, & dignitates mundi atque honores, quę superbię fomenta sunt. Post hęc in eodē propheta dominus ait ad domū Iacob: Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris. Idem.48. Sed quę pax erat discipulis Christi, qbus ipse dixit: Ite, eccę ego mitto vos velut agnos inter lupos. Itē, iniicient vobis manus suas & psequentur, tradentes in synagogas & custodias, trahentes ad reges & præsides ppter nomen meum. Luc.10. Postremò ait: Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Luc.21. Quę est igitur pax ista, quæ obediētibus promittitur, si Christi discipulis non pax, sed odia hominum offeruntur. De interiori ergo pace intelligendū est, quoniam obedientes mādatis non perturbantur animo, sed semper in spe futuri boni conquiescunt, ac tanto magis iustitiæ operibus proficiunt, quanto minus præsentibus bonis deliniuntur. Longæuitas etiam promissa est dicto audientibus, quā quidem beatioris vitæ æternitatē interpretari possumus. Nulla enim felicitas est, in hac lachrymarum valle diu commorari. Illa ergo dierum longitudo quæ finē non habet, ipsis qui obediunt proponitur, dicente ad Salomonem domino: Si ambulaueris in viis meis, & custodieris præcepta mea & mandata mea, sicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos. 3.Reg.3. Victoria quoque aduersus inimicos obedienti spondetur in Leuitico, vbi cuncta eis ex sententia successura recensentur, qui dei mādata obseruarint, atque inter multa: Perse- Leuit.26.

quimini, inquit, inimicos vestros, & corruant coram
Deut. 7. vobis, eadem repetuntur in Deuteronomio. Et in Para
2. Para. 25. lipomenon libro legimus, Amasiam regem Iuda cum
Syris congressurum centum talentis centum milia mi
litum conduxisse, deinde vt viri dei iussis obediret,
dimisisse conductitios, & cum paruo suorum numero
ingentes hostium copias fudisse victoriaque potitum.
Itaque qui cum paucis vicit, victus cum multis fuisset
si non obedisset. Dei quippe est (vt ibidem dicitur) &
adiuuare & in fugã conuertere. Quia in Psalmo ait: Si
Psal. 80. populus meus audisset me, Israël si in viis meis ambu-
lasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem,
& super tribulantes eos misissem manum meam.
Prou. 21. Præterea in prouerbiis est dictum: Vir obediens loque-
tur victoriã. Porrò præstantissima victoria illa est, qua
spiritales prosternuntur nequitiæ, caro inimica spiri-
tui, & vtrique diabolus, à quibus vinci perniciosissimũ
quidem est. Cæterùm, hoc etiam facilè subiugabimus, si
obedientiæ sanctæ armis muniti fuerimus. Discant
3. Reg. 11. nunc reges terræ cui & ipsi parere debeant. Regni sta-
bilimentum est obseruatio mandatorum dei. Sic enim
ait dominus ad Hieroboam: Si audieris omnia quæ p̃-
cepero tibi, & ambulaueris in viis meis, & feceris quod
rectum est coram me, custodiens mandata mea & præ-
cepta mea, sicut fecit Dauid seruus meus, ero tecum, &
ædificabo tibi domum fidelem quomodo ædificaui Da
4. Re. 10. uid domum, & tradam tibi Israël. Ad Iehu quoque re-
gem Israël locutus est: quia studiosè egisti quod rectum
erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant
in corde meo fecisti contra domum Achab, filij tui vs
que ad quartam generationem sedebunt super thro-
num Israël. Magis tamen necessarium est hominis re-
gnum, nosse seipsum regere, & animi motibus cum ra
tione imperare. Nec mirum quod obedientiæ meri-
to regna conseruentur, quando quidem nihil est, quod
obedien-

obedientium precibus denegetur. In Psalmo legimus: Psal.98.
Moyses & Aarō in sacerdotib⁹ eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius, inuocabant dominum, & ipse exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos. Quare autem hæc continuò subiunxit: Custodiebant testimonia eius, & præceptum quod dedit illis. 1. Ioan. 2.
Eadem Iohannis Apostoli sententia est in Epistola dicentis: Quicquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus. Obedientia postremò facit, vt inter amicos & discipulos Christi censeri mereamur, postea, Ioan. 15.
tandem cum CHRISTO quoque beati futuri, Vos Ioan. 7.
inquit, amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. Alibi autem ait: Si manseritis in sermone meo, verè di Matt. 25.
scipuli mei eritis. Vis audire maius his? Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus Iere. 7.
frater & soror & mater est. Ad beatitudinis autem pmissionem pertinet, quod in Ieremia clamās ait: Audite vocē meā, & ero vobis deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in via quā mādaui vobis vt bene sit vobis. Hoc aperti⁹ discimus in Euāgelio dicēte saluatore: Ioan. 8.
Si quis sermonē meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Et iterum: Oues meæ, inquit, vocem meam audiunt, & ego cognosco eas & sequuntur me, & Ioan. 10.
ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Cauillabitur aliquis, & dicet, Deo & CHRISTO obedientibus talia promittuntur, non his qui episcopis vel Luc. 10.
sibi prefectis parent. Audiat ergo ipsum dominum ad illos quibus Ecclesiam commendabat dicentem, Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: qui autē me spernit, spernit eū qui misit me. Deo igitur patri te ô monache obedisse existima, cū seniori tuo obedieris, & bonorū q̄ hactenus dicta sūt, te cōpotē fore spera,

 secu-

securitatis, pacis, iustitiæ, longæuitatis, victoriæ, regni, exauditionis, cum Christo amoris, in deo beatitudinis.

De inobedientiæ pœna.

Cap. 12.

ET cùm tot bona obedientium sint, haud dubium quin totidem mala eorum, qui obedire contemnunt, habeantur. Ex his aliqua nunc breuiter perstringēda sunt, quo diligentius ad obedientiæ opus accingamur, cum cognouerimus quàm acerbè contumacium atque proteruorum inobediētia plectatur. De illis qui mandata dei contempserunt, primi Adā & Eua
Gen.3. de paradiso eiecti, laboribus, miseriis, morti subduntur, non solum ipsi, sed etiā omnis eorum posteritas penitus piisset, nisi pro illorum inobedientia Christi saluatoris
Indic.2. obedientia satisfecisset. Israëlitico populo exitio fue-
1.Par,15. re gentes quas domino deleri iubente, ipsi per inobedientiam reseruarant, neque vt iussi fuerūt interfecerāt:
1.Reg.31. regnum Iudææ à Saule ad aliam transfertur domum:
3.Reg.13. quia contra mandatum domini Agago Amalechitarū regi capto pepercit, mox enim ipso à Palęstinis victo atque interempto, Dauid domini iussu rex creatus est. Propheta missus in Bethel vt aduersa denuntiaret domui Hieroboam, & antequàm Hierosolymam redisset, ne quid gustaret iussus, comedit & bibit: cūque iter suum arripuisset, à leone oppressus in via, suffocatur, dicēte domino: Quoniam non obedisti sermoni meo, nō inferreris in sepulchrum patrum tuorū. Anathemate interdictum fuerat, ne quis Hierichuntem solo æquatam
3.Reg.6. rursum erigeret. Ahiël de Bethel quoniam id præsum-
4.Re.17. psit, vnà cum liberis repentina morte sublatus est. In Assyrios qui Samariæ resederant, leonum feritas grassabatur, quia deum Israël contempserant. Idcircò in

Isaia

Isaia dicitur: Væ qui contradicit factori suo, & in Euangelio ipse factor noster ac dominus: Qui spernit me, inquit, & non recipit verba mea, habet qui iudicet eum, hoc est, condemnet, iuxta illud. Linguis suis dolosè agebant, iudica illos deus, & in multis aliis scripturæ locis iudicare positum est pro damnare. Sedechias etiam quem Nabuchodonosor victis Hierosolymis regem cõstituerat, domino non obediuit, neque serui eius, neque populus terræ, & à rege quoque defecit, ob hoc Chaldæi capta vrbe, ipsóque cum suis comprehenso, & ad regem perducto, liberos eius trucidarunt & ipsi oculos eruerunt, atque catenis vinctum Babylonem vnà cum reliquis omnibus abduxerunt. Tantæ illi calamitati fuit, domini monitis non obedisse. Cæterùm non minoris criminis reus est, qui non paret illis, qui à deo destinãtur vel cõstituuntur, vt instruãt nos aliquid ac doceant, siue vt præsint nobis atque imperent. Hi sunt primo angelici de cœlo spiritus, deinde pontifices, prophetæ, principes, genitores, mariti, & omnes qui vel publico vel priuato iure præferuntur atque præstant. Angelis non obediuit vxor Loth, cum de Sodomis fugerent, ad monita enim ne post se respiceret, respexit, & cõuersa est in statuam salis, non quod ipsa sapiens esset (sal enim sapientiam designat) sed quod aliis ad cauendum inobedientiæ vitium sapientiam ministraret, suo casu omnes deterrendo. Pontifici autem & principi dicto audientes non fuere illi, quos vlcisci volens dominus ait, Separetur omnis multitudo à tabernaculis Choræ Dathan & Abiron, quoniam vocati à Moyse & Aaron, responderunt, non venimus. Tunc illi viui terræ hiatu absorpti sunt. In lege quoque qui noluerit exequi sacerdotis imperium, morte affici iubetur. Et in Euangelio non acquiescens iussis ecclesiæ, pro ethnico habendus est & publicano. Apostolis item præcipit dominus dicens: Quicũq; non receperit vos, neque audierit sermones

Isaiæ.45. Iohan.12. Iere.37. Gene.19. Num.16. Deut.17. Matt.18. Matth.10.

mones vestros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorũ in die iudicij quàm illi ciuitati. Hi quippe qui prædicationes audierunt, miracula viderunt, religione receperunt, si carni magis quàm spiritui obsequentes fuerint, grauius punientur, quàm illi quibus non est prædicatum. Prophetis etiam vel doctoribus probatis ac sanctis, qui nos rectè atque fideliter instruunt, nolle o-
3.Reg.20. bedire damnabile est. Quendam dum iter ageret, & prophetę iubenti vulnus infligere recusaret, protinus leonis morsibus peremptum legimus, quod futurum ipse propheta docuerat dicẽs. Quia noluisti audire vocẽ domini, ecce recedes, & percutiet te leo. Ad Ioam regẽ & populum Iuda, quia post gentilium ritum conuersi fuerant, mittebat dominus prophetas vt reuerterẽtur.
2.Par.24. Tantum autem abfuit vt obedirent, vt etiam ad se missos necem inferrent. Etenim Zachariam Ioiadæ sacerdotis filium prophetantem lapidibus in atrio templi obruerunt, rege ipso iubente. Sed non multo post maxima pars illorum in prę lio à Syris prostrata, & rex
2.Par.29. à seruis suis domi interemptus pœnas dedere. Amasias rex Iuda cum obediuit prophetæ, de hostibus triũphauit, cùm obedire noluit, victus est. Deinde suorum etiam insidiis exceptus atque peremptus. Et nos profectò si nostris prophetis, id est, diuini verbi pręceptoribus non paruerimus, deo vlciscente perire necesse erit, & isti qui nunc nostræ salutis cõsultores sunt, in die iu-
Mat.11. dicij erunt accusatores. Cecinimus vobis dicent, & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis: neque virtutis exhortationes admittendo, neque post peccatũ pœnitentiã suscipiendo. Dominis prætereà siue præfectis
1.Reg.14. non iniqua iubẽtibus obtemperare nolle, perniciosum est. Saulis regis filius Ionathas, nescius regis edicti, quo cautum erat, ne quis prius aliquid gustaret, quàm cum inimi-

inimicis cõfligeretur, de fauo mellis casu reperto comedit & cũ ob regi de euẽtu belli cõsulenti domin⁹ nõ daret responsum, Ionathas morti addicitur, sed quoniam ignoratione excusabatur, populo intercedente liberatus est. Quòd si etiã ignoranter peccãti irascitur deus, quanto magis ei qui sciens prudens'que delinquit? & p̃sidum suorum contumaciter spernit imperia? Spernenda tamen sunt, si impia fuerint, sicut fuere Pharaonis regis cum obstetricibus imponeret, vt Hebræarum mulierum masculos fœtus inter obstetricandum præfocarent, quibus (vt ait scriptura) quoniã regi nõ paruerũt, benefecit dominus. Cũ enim illicita iubentur, tũc deo, non hominibus erit obediendum. Parentibus quoq; nõ inhonesta imperantibus obsequium obedientiam denegare, mortiferum habetur, iubente lege filium contumacẽ, proteruum, monita patris & matris non audientẽ, lapidibus obrui. Adhæc si longitudo vitæ promittitur reuerenti patrem ac matrem, nõne mors manet illum, qui per inobedientiam parẽtes offendit? Vnde Salomon in Prouerbiis ait. Qui affligit patrẽ & fugit matrem, ignominiosus erit & infelix. Vxor etiam si mariti iussionibus nõ indignis renuerit obtemperare, peccabit. Cui à domino est dictũ, Sub viri potestate eris & ipse dominabitur tui. Hoc Paulus apostolus affirmat ad Corinthios, dicẽs: Omnis viri caput Christus est, caput aũt mulieris vir. Et ad Ephesios: Mulieres viris suis subditę sint sicut domino. Et ad Colossenses: Mulieres, subditę estote viris, sicut oportet in domino. Idẽ astruit ipse apostolorũ princeps Petrus: Et mulieres (inq̃t) subditę sint viris suis. Certè nõ aliã ob causã ab Assuero Persarũ rege Vasthim repudiatã legim⁹, nisi q̃a p̃ internũ eios ab illo vocata, venire cõtẽpsit, & hoc quidẽ egit ille sapiẽtũ consiliũ secutus, vt oẽs mulieres discãt deferre honorẽ viris, & nõ minus obedientiã q̃ fidem pręstare. Quòd si omniũ de quibus locuti sumus, iussioni ac

man-

Exod.1.
Deut.21.
Prouer.19.
Gene.3.
1.Cor.11.
Ephe.5.
Colos.3.
1.Pet.3.
Hester.1.

mandatis nos parere atque obsequi diuina lex iubet, profectò qui illis non obedierit, ne deo quidem obedisse conuincetur. Et cùm dictum sit. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, nónne obedientiam minus seruans
Psal. 118. ingredietur ad mortem, & vitæ expers in interitum corruet sempiternum? Quid est enim quod Psalmista in feruore spiritus dominum affatur, & ait, Maledicti qui declinant à mandatis tuis, nisi quia à mandato declinantes, cum illis futuri sunt, quib9 dicetur. Ite maledicti in ignẽ æternum qui paratus est diabolo & angelis eius? Cum'que dicat dominus, Obedientiam volo & non sacrificium, quid quæso prodest hostias orationes'que offerre, & ei quem laudas, quem deprecaris, cui sup
Luce. 12. plicas, obedire nolle? Iure igitur ac meritò seruus ille qui cognouit voluntatem domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, plagis vapulabit multis. Multis, non ad numerum refertur, qui infinitus est in inferno, sed ad plagarum grauitatem, qua sola inter se differunt pœnæ damnatorũ, vt qui magis peccauit, acri9 torqueatur. Non solũ igitur pœnis æternis, verum etiam amarissimis afficientur & illi qui cognouerunt, & non obedierũt. Porrò vt omnia mala quæ
Matth. 26. contumacibus proposita sunt effugiamus, & simul bona
Ioan. 14. consequamur sempiterna, Christus dominus vt in omnibus, ita & hac in parte nobis imitandus est. Ipse ad patrem, Non sicut ego volo, inquit, sed sicut tu. Et alibi, Sicut mandatum dedit mihi pater sic facio, Christus itaque dominus noster factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum. Si ergo cum Christo exaltari cupimus, in gloria, cum Christo prius prosternamur in humilitate, deo ante omnia obediendo, deinde hominibus illis, quorum iussa exequentes domino seruimus. Illorum voluntatem nostræ voluntati semper præferamus.

De patientia

De patientia calumniæ.
Cap. 13.

PRofectò si humiles, si obedientes fuerimus, erim⁹ etiam in omnibus patientes. Nihil erit quod illi⁹ turbare mentem poterit, qui se totum diuinæ subdiderit voluntati. Non igitur incongruum erit si nunc de patientiæ virtute verba fecerimus. Patientia est animi quædam constantia, quam nec iniuriæ irritare, nec incommoda queant frangere. Patientia semper iuncta fortitudini est, ita vt mutua inter se ope connexæ, & iniurias quidem submissè ferant, & aduersa alacriter tolerent. Hoc totum autem qualecunque sit, vni nunc cõcedamus patientiæ, quandoquidem tam hominum iniurias, quàm casus aduersos pati dicimur, cum acciderint. Primum igitur vt in omnibus patientiam conseruemus, meminerimus nullum omnino ea in re malum esse, qua non offenditur animus noster. Quid est autem quo ille offendi queat, ꝑter peccatũ? Solũ ergo peccatũ cauẽdũ nobis erit, quia malũ est. Cætera quę cũq; cõtigerint, æquo aĩo ferẽda, quia nec bona, nec mala sũt, sed inter bonum malúmque media, quibus si applicueris virtutem, bona erunt: sin vitium, mala quidem. Veluti aquæ potus cum vinum additur, sapit: cum venenum, interimit. Ita sanè aduersis rebus quoties animi patientiam accommodauerimus, non solum non nocebunt, sed etiam proderunt, ita vt materiam nobis suppeditent sperandæ beatitatis. Apostolica quippe sententia est, per multas tribulatiões oportere nos introire in regnum dei. In psalmo quoque patientibus dicitur: Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris. Breue est quod patimur, æternum quod speramus. Ideò Ecclesiasticus ait: Vsque ad tempus sustinebit patiens, & postea reditio iucunditatis. Et Apostolus: Existimo, inquit,

Eccl.10.

Rom.8.

inquit, quod non sint condignæ passiones huius tempo ris, ad futuram gloriàm, quæ reuelabitur in nobis, quã- obrem idem exclamat, & ait: Quis nos separabit à cha- ritate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nudi tas, an periculum, an persecutio, an gladius? Patienter ille quidem talia pertulit pro Christi nomine, nunc cũ Christo bonis fruitur sempiternis. Quid ergo tam gra uè, tam tristè atque acerbum esse potest, quod non sit li benter subeundum proposito tanto præmio. Si persecu tione inquietaris, audi dominum dicentem: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Si verbis petulantibus lacesseris: Beati estis, inquit, cùm maledi- xerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixe- rint omne malum aduersum vos mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copio- sa est in cœlis. In præferendis igitur calumniis imite- mur Moysi mansuetudinem, pro illis à quibus procaci- ter iactatus fuerat, solicitus orauit, precibusque eius an nuens dominus Mariam quæ de illo immodestius oblo cuta fuerat, lepra exulceratam sanitati restituit. Imite- mur Saulis æquanimitatem, qui iam rex creatus cum ab inuidis probro afficeretur, dissimulauit se audire, & stipatores suos qui vlcisci volebãt iniuriam, prohibuit quidem, abstinuitque vindicta. Imitemur & Dauidis humilitatem, qui Semeim non modo maledictis, verũ- etiam lapidum ictu se prouocantem lædi vetuit, atque inoffensum dimisit. Cùm enim filij Absalõis premere- tur seditione, fortè (inquit) respiciet dominus afflictio- nem meam, & reddet mihi bonum pro maledictione hac. Imitemur & Saram Raguëlis filiam, quæ quoniã antequam ducta esset septem maritos amiserat, ab an- cillis interfectrix virorum suorum iniquè compelle- batur, earum tamen petulantiam tacita sustinuit, tan- tum dominum precans, vti ex ista contumelia libera- retur, exaudita octauo viro despõsatur, Tobię iuniori domi-

Ibidem.
Matt. 5.
Moyses. Num, 12.
1. Reg. 10. & 11. Saul.
2. Reg. 16. Dauid.

dominoq́ue fauente cum illo feliciter vixit. Tu quoq; beatus eris,& preces tuę ad aures domini sabaoth peruenient,si cum Psalmista dicere poteris: Qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates,& dolos tota die meditabantur,ego autem tanquam surdus non audiebam,& sicut mutus nō aperiens os suū,& factus sū sicut homo nō audiens, & non habēs in ore suo redargutiones,quoniam in te domine speraui,tu exaudies me domine deus meus.Sic certè exaudita est Chananæa mulier pro filia supplicās,quando canibus comparata, humili responso intimam cordis patientiam indicauit. Psal.17. Matth.15. Chananæa.

De patientia persecutionis. Cap. 14

PAuli Apostoli,in quo Christus loquebatur, sententia est:Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu,persecutionem patientur. Quid ergo de aliorū inuidia querimur, si ea ipsa testis est nostrę in Deum pietatis ac religionis? Dominus noster Iesus Christus malorum inuidiam passus est. Cum ab hominibus expelleret immundos spiritus,dixerunt:In Beelzebub eiicit dæmonia.Idem sola verbi virtute morbos curat, mortuos suscitat,& aiunt:Non est hic homo à deo qui sabbatum non custodit.Si ergo pro benefactis malè audit iustus & innocens dominus, quare cum detractiones accipit,irascitur peccator seruus? Ille apostolis suis dicebat;Si mundus vos odit,scitote quia me priorē vobis odio habuit:si de mundo fuissetis, mūdus quod suū erat,diligeret:quia verò de mundo non estis,sed ego elegi vos de mundo,propterea odit vos mundus. Quoties ergo patimur quæ in carne passus est dei filius,quæ passi sūt electi serui eius,æquo aīo toleremus.Nō est seruus maior dn̄o,aut fateamur nos,qui multorū criminū conscij 2.Timo.3. Matth.12. Ioan.9. Ioan.15.

conscij sumus, indignos esse iniuria, & illum dignum, qui peccatum non fecit: vel illos, qui spiritu sancto repleti erant:& tamen infestationibus impiorum hominum carere non poterant. Quod certè fateri nemo, ni stultissimus fuerit, potest. Dominus igitur omnium innocentissimus,omnium optimus,falsis criminationibus circumuenitur & tacet, accusatur & nihil respondet,ab hominibus diiudicatur hominum angelorumque conditor atque dominator,& sustinet.Nos verò in peccatis geniti,in vanitatibus enutriti,nos,inquã, omnibus iniuriis digni,etiam ad leues offensas excandescimus,ringimur,furore replemur.Quòd si paulò diligentius conscientiam nostram examinabimus,inueniemus nihil mali nobis nõ iure ac merito accidere. Nam licet illũ à quo accepimus iniuriã nunq̃ offẽderimus, offendimus tamẽ deũ in multis. Ideò quicquid etiã ab illis, quos nõ læsimus,patimur:ex iusto dei iudicio prouenire sciamus,feramusque molliter ac modestè, iuxta illud Mi-
Mich.7. cheę prophetæ: Iram domini portabo,quoniam peccaui ei, donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum,& educet me in lucem,& videbo iustitiam eius. Iram ergo domini per quam humiliter toleremus, quia peccauimus:tunc autem ab eo speremus lucem,cùm per peccatorum pœnitentiam iratam placauerimus. Neq; enim aliter egit latro in cruce,cum fateretur iustè se pati & digna factis recipere, & conuersus ad saluatorem clamaret: Memento mei domine cùm veneris in regnũ tuum. Ob quam tolerantiæ subiectionem meruit & ipse inuitari ad lucem,domino respondente: Hodie mecum eris in paradiso Tunc omnis pœna illa delinquentis versa est in gloriã pœnitentis,cum se pœna dignum diceret,seq; illi cui peccauerat cõmẽdaret. Porrò, quãdo inimici inuidia vitæ tuæ insidiatur,propone tibi il-
Dauid. lam erga Saulem regem Dauidis patientiam. Sæpius ab ipso ad necem petitus,fugiendo declinabat periculum.

Bis

Bis quidem potuit capitalem inimicum sua interimere manu, sed noluit. Qua constantia dignissimus visus est, qui ei in regno succederet. Vnde confidenter postea locutus est: Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Et iterum: Cum iis qui oderunt pacē, eram pacificus. Hoc planè patientiæ genus commendatum est nobis in Euangelio, domino docēte: Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est. Qui ergo parum patiens fuerit, qui odientem nō dilexerit, qui denique pro iniuria beneficium beneuolentiam'q; non reddiderit, patris cœlestis filius esse nō poterit. Ille solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, vt doceat te omnes diligere, neminem lædere, nullam appetere vindictam cum offensus fueris, sed potius offensa te dignū iudicare. Hæc humilitatis, hęc patiētiæ virtus est. Virtus aūt (vt Apostolo placet) in infirmitate perficitur. Vbi exerceres patiētiæ virtutē, si nemo esset qui aduersaretur, qui inuideret, qui hostiliter infestaret? Ob hoc igitur etiam malos esse permittit deus, vt per eos boni exerceantur, & ad perfectionem vitæ perueniant, odia hominum non vindicando, sed sustinendo.

Psal. 7.

Psal. 119.

Matth. 5.

De patientia ingratitudinis, percussionis & bonorum ablationis. Cap. 15.

SEd ab illis, inquies, quib⁹ in primis obsecutus sum, in quos beneficia plurima cōtuli, patior iniuriam, & quos mihi semper amicissimos fore sperabam, eorum odia sustineo, magis'q; me angit ipsorū ingratitudo quàm offensa. At etiā Christus dominus tuus quos

venerat saluare, ab iis passus est necem. Christi quoque apostoli, quibus viam veritatis monstrabant, vt credendo beatitudinem consequerentur, ab illis ludibria, verbera, mortem sustinuere. Vis tu non amittere bonum quod feceris? aequo animo feras & ingratos, magis'q; tibi proderit patientia tua, quàm nocebit illorum perfidia. Ad haec si etiam verberibus afficeris, si opibus exueris, si torqueris & ad mortem posceris, talia sancti martyres perpesi sunt, talia pro nobis dominus & saluator noster non inuitus tolerauit. Denique nullus vnquam sanctorum vindictam appetiit, sed omnes pro malo bonum reddere semper conati sunt. Vir dei in Bethel ma-
3.Reg.13. num Hieroboami regis aduersum se indignè extētam, atque ideò statim arefactam, fusis pro illo precibus, re-
Stephanus stituit sanitati. Stephanus pro illis à quib⁹ lapidabatur
Act.6.7. orauit, sicut & pro suis crucifixoribus dominus, ne illis imputaretur ad peccatum, quod ignoranter commisis-
Lucae.23. sent. Iubemur praeterea maxillam nostram alapa per-
Ioan.13. cutientibus & alteram offerre, vt semper parati simus pro veritate, pro iustitia, pro nomine domini Iesu plura pati quàm patimur. Alapa ille à seruo percussus non repercusit, sed humili responso ruborem iniecit percussori, arguens atque conuincens quòd percusserit in-
2.Cor.11. nocentem. Apostolus Corinthiorum tolerantiam laudat, dicens: Libenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem caedit: vt'que illi magis in proposito confirmentur suarum pasionum catalogum contexit, dicens: exercitum se fatigatum'que fuisse in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modū, in mortibus frequenter. A Iudaeis (inquit) quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus saepe, periculis flumi-

num

num, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in famè & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate. Quòd si vas electionis tanta ac talia pertulerit, quid indignatur vas iræ, si quid eiusmodi sibi accidat? Quando tibi prædia & opes auferũtur, dominici pręcepti recordare: Qui vult (inquit) tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: hoc est, paratus esto plura potius perdere ad conseruandam animi patientiam, quàm ad infrigendam altercationibus deseruire. Eundem sensum habet quod in Luca dicitur: Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas: ne fortè repetęndo & raptorẽ irrites, & tuam in domino conturbes quietem. Patientia enim pauperum (vt in psalmo habetur) non peribit in finẽ. Si tamen sine lite reparari res poterit, non prohiberis exigere, imò debes, non tam tua quàm eius qui rapuit causa, ne videlicet ille alienum iniustè possidendo pereat. Nam & Tobias in deum pientissimus, pecuniam sub chirographo creditam, à Gabello exegit, neque opus reprehendi potest, quod Raphaële angelo adiuuante peractum fuisse constat. Tunc igitur non erit rem ablatam repetendi locus cum per iram delinquendi imminet periculum. Cùm hoc contigerit, tam lentè ferendum erit damnum, quàm suum tulit Ezechias Hierosolymarum multæ sanctitatis rex. Cum enim per prophetam didicisset, omnem gazam quam legatis regis Babyloniorum gloriabundus ostentauerat, ad Babylonios quoq; transferendum, non est animo perturbatus, nec tristitia deiectus, sed voluntate domini nihil refragatus. Bonus, inquit, sermo domini, sed tantum pax & veritas in diebus meis. Quid tu tandem quereris opes tibi ereptas, quas Christus dominus apostolis suis interdixit, quas plurimi vt liberius expe-

Matth. 5.
Lucæ. 6.
Psal. 9.
Tobiæ. 9.
4. Reg. 20.
Isaiæ. 39.

ditiusq́ue deo seruirent, sponte abiecerunt? Lætare potius oblatam tibi occasionem vitæ perfectionis ineundæ, dicente domino: Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Lætare quod tibi impedimenta sublata sint sequendi illum, qui sequentibus se non terrenas opes largitur, sed cœlestes: non fragiles, sed æternas. Crede igitur prophetę dicenti: Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas.

Matth. 19.

Psal. 36.

De patientia morbi & aduersitatum. Cap. 16.

SI qua pręterea corporis ęgritudine laboras, & morbo vehementer afficeris, caue ne per impatiētiam deum offendas, & grauius animo ægrotare incipias quàm corpore. Corp⁹ hominis fictile vas est, corruptioni obnoxium, solutioni proximum, morti semper opportunum. Quod etiam si nulla aduersa infestet valetudo, senilis tamen ætas carpendo cõsumit. Thesaurus autem in vase isto fragili animus est, quē nulla vis potest offendere præter peccatū. Peccas autem, si inimici molestiam fers impatienter. Quæ igitur demētia est, cum corpus languore torquetur, committere vt etiam animus impatientiæ peste lædatur? Gratias deo age æger, gratias age sanus, & tolerētiæ meritò ad æternam peruenies salutem, vbi nec morbos vltra timebis, nec mortem. Hæc sunt illa duplicia, quę accepisse Iob memoratur, post humiliter toleratas ærumnas. Cum enim ditissimus inter municipes suos fortunatissimusq́ue esset amisit simul facultates, iumēta, seruos, liberos, omnium in suo corpore membrorum sanitatem, & tamen nihil interea stultum de ore eius prodiit: sed, si bona (inquit) de manu domini accepimus, mala quare nō toleremus? Dominus dedit, domin⁹ abstulit, sicut domino placuit, ita factum

Iob.

ita factum est. Sit nomen domini benedictum. Tobias inter omnes, qui de Samaria in Assyriam translati fuerant, pietate notus, casu cæcus efficitur, sed qui melius animo quàm oculis cernebat, non fuit ideò tardior in proposito virtutis, sed feruentior, Oculis captus gratias egit deo, fideliter'que ei seruiens, vt antea fecerat, nihil cõmisit, quo ea calamitas ipsi grauis esse videretur. Flesse verò & orasse fertur Ezechias, non tamen ob ægritudinem in qua erat, sed propter mortem quam formidabat, incertus de dei iudicio, neque enim antè dicitur cõtristatus quàm audisset. Dispone domui tuæ, quia morte morieris tu, & non viues. Præterea quàm paruo nocumento sint homini morbus & inopia, Lazari mendici ulceribus pleni exitus probauit: exiguo temporis momento miser fuit, si miser dici debet qui nõ peccat, sed mox à corpore secedẽs, ab angelis translatus est ad æternæ felicitatis locum, omni prorsus liber molestia, repletus'que lætitia ineffabilium bonorum. Quicquid ergo nobis ad beatitudinem transituris nõ videtur viam impedire, tolerabile est, & iustæ querelæ causam dum virtuti nihil officit, excludit. Ad illa veniamus quæ falsò fortuita mala nuncupantur, cum nihil fit quod non prouidentia diuina contingat. Ea sunt terræ maris'que pericula, proscriptiones, exilia, carceres, tormenta, cædes, incendia, cætera'que id genus multa. Quæ vt fortiter perferantur, primo sciendum, aduersa quæq; in hac vita necessariò euenire, & tam bonis quàm malis esse communia. sed iustis bona esse, iniustis verò mala, si modo castigati nõ se correxerint. Porrò istę aduersitatum causæ sunt. Iustis ideò accidunt, vt per patientiæ virtutem maiora mereantur præmia, ac ne fortè prospero rerum successu elati labãtur. Vnde colaphizatus est Paulus, ne magnitudine reuelationum extolleretur: afflicti martyres, vt cumulatius remunerarentur. Iniustis autem ob hoc tristia contingunt, vt ad iustitiã reuertantur: &

Tobi. 2.

Isaiæ. 38.

Ibidem

Lazari. Lucæ. 16.

Paulus.

tur:& si redire noluerint,iustè condemnentur,æternisque mancipentur suppliciis,quorum duritia temporalibus contusa malis mollescere nequiuit.Si aduersa pateris,& scripturæ diuinæ fidem præstas,negare non potes,quod à domino diligaris. Ego quos amo (inquit) arguo & castigo, testimonium igitur diuini erga te amoris habes,quoties aduersis concuteris, quoties calamitatum procellis iactaris. Fruantur suis deliciis luxuriosi, tu verò domino tuo placere studes,asperitatibus te exerce. Arcta enim & angusta via est, quæ ducit ad salutem,lata atque ampla quę mittit in perditionem.Hinc est quòd sanctissimi homines prospera mundi contemnentes, renunciantesque præsentibus bonis, tolerant spontaneam paupertatem,ieiunant,esuriunt,sitiunt,algent,vigilant,orant,peregrinãtur,laborant, nunquam conquiescunt, vt per dura atque aspera victis voluptatum illecebris,debita virtuti præmia percipiãt,& pro breui afflictione æternam capiant beatitudinem.Corripiamur ergo à domino, ne cum hoc mundo damnemur.Pugnemus cum calamitatibus, vt cum vicerimus coronemur. Nauigantium ars atque doctrina non in tranquillo, sed in tempestate probatur: Militis virtus in certaminis discrimine noscitur. Christianus an deũ diligat,aduersitatibus experitur.Nec potest esse Christi famulus,qui cum illo laboriosa atque difficilia subire recusarit.Qui non baiulat (inquit) crucem suam,& venit post me,non potest meus esse discipulus. Et iterũ: Qui vult venire post me,abneget semetipsum,& tollat crucem suam & sequatur me. Eis quoque qui in regno ipsius ad dextram & sinistram suam sedere petierant, respondit:Potestis bibere calicem,quem ego bibiturus sum? docens gloriæ suæ consortem fieri non debere,qui passionum suarum se non fecerit participem. Hæc itaque crux, & hic calix, sunt stigmata illa domini nostri Iesu Christi, quæ se in suo corpore portare Apostolus gloriabatur,

Apoc.3.

Lucæ.14.

Marc.10.

gloriabatur, dicens: Vsque ad hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, maledicimur, & benedicimus, persequutionẽ patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsima vsque adhuc. Si qua talia tibi casu cõtingant, quæ multi pro Christo sponte subire solent, de necessitate fac voluntatem, libenter cuncta sustinendo, quorum patientia domino tuo te redditura sit chariorem. Beatus eris si cum propheta dicere poteris, Probasti cor meũ deus, & visitasti nocte, igne me examinasti, & nõ est inuenta in me iniquitas, vt magis ad probationem tribulatio incumbat, quàm ad correctionem. In illa enim iusti gaudent, dicentes, Quoniam probasti nos deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Et quoniã aduersitatum patientiam sequitur consolatio, Transiuimus (inquiunt) per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.

1. Cor. 4.

Psal. 16.

Psal. 65.

Quantũ prosint res aduersæ. Cap. 17

PRosunt igitur, non obsunt aduersa, si æquo animo perferantur. Si enim assuesces ferre difficilia, quæ facilia sunt feres leuius. Deinde per patientiam aduersitatum pro delictis facimus satis, quoniam quæ per voluptatum blandimenta perpetrantur, per contrarij doloris tolerationem purgari debet. Et cum hoc contigerit, tunc est nobis dominus, ignis cõflans (vt Malachias ait) & quasi herba fullonum, excoquens & emundans quicquid in nobis feculentiæ sortisq; restabat. Ad hæc in tribulationibus ardentius ad supplicandum accedimus, promptius ad exercẽda pietatis studia exurgimus, perseuerãtius de cœlestibus cogitamus. Hoc testat Dauid, dicens: Bonũ mihi domine qđ humiliasti

Malac. 3.

Psal. 118.

 me,

me, vt discam iustificationes tuas. Denique cum calami
Psal.118. tatibus oppressi obsecramus, facilius exaudimur, eodē
Psal.49. sancto attestante, cum ait. Ad dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Quòd si vehemētior ingruerit tempestas, orandum erit vt vel illa liberemur, vel vires nobis ad resistendum suppeditentur, ipso domino præcipiente ac dicente: Inuoca me in die tribula-
Psal.80. tionis tuę, & eruam te, & honorificabis me. Et alio psalmo: In tribulatione inuocasti me, & liberaui te. Contingit præterea vt miseriis grauati, ad illius opem confugiamus, de cuius bonitate, dum sine his ageremus, parū recordabamur otio tabescentes ac deliciis. Isaias hoc
Isaiæ.26. docet, dicens: Domine, in angustia requisierunt te, & in
Marc.5. euangelio Geraseni non antè venisse referuntur ad Ie-
Lucæ.15. sum, quàm iacturam passi fuissent porcorum. Nec filius luxuriosus prius ad patrem est reuersus, quàm dilapidatis bonis, quæ ab eo acceperat, cœpit esurire. Tunc autem & virtute magis proficimus, cum contra casus aduersos luctamur. Hic enim solus campus est constantiæ, fortitudinis, humilitatis exercendæ. In quibus dum laboramus, cætera conseruantur. Cùm enim præsentium rerum felicitas plurimis scatere solita sit vitiis, econtrario infelicitas ipsa custos innocentiæ sit necesse est, in his qui ante infelicitatem innocentes erant. Felicitas terrena luxuriæ ministra est, contaminat & confundit intelligentiæ puritatē. Inde mens cupidinibus corrupta, inter turpe & honestum nullum agit discrimen, eóque facillimè inclinatur, quo malarum voluptatum appetitus impellit. At verò in calamitatibus anxia solicitudine excussus animus, ignauiæ abiiciens caliginem, sapiētiæ luce incipit illustrari, & quo magis premitur, eo magis quidem ad sobrietatē rationémque sese transfert. Tunc & fragilitatem nostram plenius recognoscimus, summi dei potentiam sublimius contemplamur. Ex rebus autem prosperè fluentibus, plerumque supra

humanæ

humanæ conditionis vires efferimur, & dum plagas nõ sentimus, de ipso omnium quæ in mundo accidunt plagarum autore minus cogitamus. Manasses dũ feliciter regnaret pessimus erat; amisso regno & in seruitutem redactus optimus euasit. Vnde ait scriptura: Et cognouit Manasses quod dominus ipse esset deus. Non ergo antea nouerat, quàm malis compellentibus vires illius cõsiderasset, quem in prosperitate contempserat. Hoc est quod in Ieremia dicitur: Castigasti me domine, & eruditus sum. Paulus quoque apostolus antè lupus rapax ecclesiæque persecutor, postquam autẽ Christi voce perterritus incidit in cæcitatẽ, de lupo versus est in agnũ: & qui aduersus Christum steterat pro synagoga, pro Christo stare cœpit aduersus synagogam, vim diuinitatis eius inter flagella expertus, & illum ipsum confitẽs, cuius confessores fuerat persecutus. Quòd si tantũ prodesse queunt aduersa, nónne fallitur, qui illa in malis ponenda arbitratur?

Manasses. 2. Para. 33. Ierem. 33. Paulus. Actu. 9. Actu. 22.

De patientia Iob, & quare bonis accidant mala. Cap. 18.

VT autem omnium præsentium tempestatum magnitudinem superes, quanta passus fuerit vir deo charissimus Iob, & quàm ad omnem ærumnarũ impetum immobilis permãserit, semper tibi occurrat, & si multo grauiora illum leniter placideque pertulisse inuenies, pudeat te in leuiorib⁹ minus esse fortem. Si quam opum tuarum iacturam feceris, illi de immensis pecudum armentorumque gregibus nihil relictum est præter vnum seruum, qui ab inimicis cuncta de vno direpta atque ablata nunciauit. Si filio orbatus es, illius filios & filias omnes vnius domus ruina simul extinxit. Si aduersa laboras valetudine, ille à planta pedis vsque ad verticem capitis ulceribus totus tabefactus, non in

lectulo,

lectulo, sed in sterquilinio sedens: non molli linteolo, sed duriore fictilis vasis testa, vulnerum saniem deradebat. Non habuit amicos qui sic languentem consolarentur, sed qui magis exasperarent exprobrantes ei peccata quorum expers erat. Insuper vxor ipsa ad impatiētiam vrgebat, vt deo malediceret & moreretur. Ille tamen in se firmus, & aduersum quęque difficilia spiritus sancti virtute stabilitus pro omnibus gratias agebat deo, & nullis ærumnis, nullis doloribus, nullis obtrectātium molestiis, ab ipsa quam in deum habebat charitate potuit separari. In corpore miserabiliter fracto integra permansit fides, & hominē omnibus miseriis oneratum, sola in deo spes sustentauit. Quòd si tanta ac talia iustis quoque inferantur ad probationem, quare conqueritur peccator cum castigatur ad correctionē? Verberaris qui peccator es, vt de peccato doleas, de quo fortasse non doleres si impunitus dimittereris. non dolenda autem, sanari omnino non posses. Tu puniris vt resipiscas, percuteris vt cōualescas. Iustus autem plectitur, vt per patientiā maius sibi futuræ remunerationis meritum acquirat, & veluti dei igne aurum, ita ille de miseriarum angustiis purior exeat atque clarior. Hinc satis cōstat ꝙ malè cum illis agitur, qui nihil aduersi patiuntur, & tamen peccare non cessant. Manet enim eos post breuem præsentium rerum successum nunquam finiendus cruciatus, & horrenda apud inferos supplicia. Alia etiam præsentis felicitatis infelicitatisque ratio est, quoniam dum differtur in fine iudicium, discretioque iustorum atque iniustorum, interim tam prospera quàm aduersa mundi huius omnibus communia sunt: ideò & his aliquando benè, & illis malè. Cæterum obduratis & in scelere perseuerantibus malè cedit prosperitas, quia insolentiores reddit. Iustum autē neque prospera extollunt, neq; frangunt aduersa, in vtroq; rerū ꝯuentu eandem seruat animi constantiam. Sed in aduer

sis si

sis si nõ melior certẽ iustior efficitur. Semper enim ad delinquendũ magis prouocãt, quę secũdo flatu ferũtur.

De patientia martyrij. Cap. 19.

Porrò ad confirmandam patientiæ virtutem, præter ea quæ hactenus dicta sunt. Martyrum Christi victorias atque triumphos contemplari operæ pretium erit. Eculei, laminæ, sartagines, fustigationes, omnia tormentorum genera proponebantur illis, qui gentilium deos adorare nollent. At verò fortissimi fidissimi'que Christi milites, perferre multo grauiora quam tyrannorum impietas excogitare poterat, parati erant. Promissis etiam ingentibus ad sacrificandum sollicitabantur, opum, honorum, dignitatum, sed qui suppliciorum terrificationibus non cedebant, nec pollicitationum quidem magnitudine moueri poterant. Itaque in proposito perstantes non modo imperata non fecerunt, verumetiam Christum suum liberius confidentius'que prędicarunt, palam docendo hunc quidem dei veri esse filium, & idola vana non deos esse, sed malorũ dæmonum inuenta, vt homines impię crudelitatis laqueo captos, in barathrũ traherent perditionis. Cum'que post multos corporis cruciatus ad necem damnarentur, finem vitæ intrepidi expectabant: magis'que timebant ne dimittantur, quàm ne occidãtur: Fortiores ergo & tormentis & carnificibus & regibus fuere, dum pro iustitia, pro veritate, pro deo certarẽt. Vicerũt supplicia patientia, prophana imperatorũ edicta cõstanti atq; immota Christiani nominis cõfessione. Deos deas'que colere cõpellebantur, illi verò his cõtemptis, Christum crucifixũ colendũ adorandum'q; esse asseuerabãt, Cum hac sentẽtia finire, martyrij victoria erat. Vulnera autẽ corpore excepta, mẽbrorũ lacerationes, exustiones, fidelis militiæ insignia existimabant, & inuictę virtutis certissima testimonia. Atq; ita Romani principes omnium

omnium potentissimi, vrbium, prouinciarum, regnorũ victores, à solis Christi seruis & inermibus, & paucis & mori volentibus victi sunt, quando ne vnum quidem ex his qui constanter Christum confitebantur, in tuam trahere sententiam totis imperij viribus potuerũt. Postremò, vt omnibus pateret ipsos esse superatos, manus dederunt his quos persequebantur, & abiecto falsorum deorum cultu, pro quo pertinacius quàm pro finibus regni stabant, religionem Christi quam delere nitebantur, susceperũt. Quid est enim aliud in sententiam aduersarij consedere, nisi planè se victum cõfiteri. De his igitur qui totum ferè terrarum orbem suo subdiderãt imperio, ipsi Christi milites triumpharunt: nón armis pugnantes, sed patientia: non viribus, sed fide: tanto ista fidelis patientiæ virtus omni vi humana potentior extitit atque validior. O præstantissimam pro Christo patientium virtutem! Inuictos vicerunt, totius orbis dominatoribus imperare cœperunt, dum pro Christi nomine nihil non sustinendum iudicãt, dum illis quoque à quibus vulnera patiuntur, mederi desiderãt, dum denique in tenebris errantibus lumen ostendere veritatis cupiunt. Qui enim calicem domini per patientiam bibebant, inebriati sunt vino charitatis, ita vt pro illis quoque orarent à quibus cædebantur, illis viam salutis aperirent, quorum immanitate ipsi trucidabantur. Magis eis dolori erat, persecutores suos errore interire, quàm se illorum sæuitia excruciari mortéque affici. Omnibus itaque aduersariorum iniuriis fortior in ipsis erat dilectio. I nunc miser & infelix homo minus ab altero offensus, leuius læsus, irascere & exardesce furore, & odij stimulis agitatus, vindictam para: vt & illum pro cuius salute mori debueras perdas, & ipsemet infelicius intereas, nolenti enim iniuriam remittere, deus peccata non ignoscit. Nunquam in sanctorum martyrum consortium venire poteris, si illorum toleran-

tiam

tiam non fueris imitatus. Vindicari vis de inimico, & te dei manet vindicta, ipse qui tibi ignoscere volenti parabat patientiæ coronam, iniuriam referenti debita impatientiæ ingeret supplicia. Amando inimicos non vlciscendo ad martyrij gloriam peruenitur, & is cum Christo regnat, qui cum Christo pati mauult mala q reddere. Martyr es, si bonum reddis pro malo, sin verò malum malo rependis, Christi aduersarius es, qui iubet & inimicos diligere. Hic nẽpe gloriosissimus fuit martyrum triumphus, pati iniuriam, & pro iniuria referre beneficium, vitã impendere, & animas lucrari Christo. Videbant impij quàm illi constantes essent in proposito, quàm parati ad omnia extrema subeunda prius, quàm vt Christum desererent, & cogitare cogebantur, nequaquam vanum esse quod tormentorum patientia vitæque impendio defendi cernebant, miraculorum etiam magnitudine, quæ per illos fiebant, commoti conuertebantur: & qui paulo antè in Christianos grassati fuerant, cum Christianis necari optabant. Atq; ita auctis ampliatisque rebus Christianitas prævalere cœpit, infidelitas dissolui, & euanescere, crux sancta adorari, idola vana euerti. Christus dominus excoli, diaboli potestas calcari. Ipso denique martyrum sanguine creuit ecclesia, & effuso cruore pinguior facta, perquã huberem emisit segetem fidelium filiorũ. O beata mors, quæ mortalibus largita est immortalitatem, infidelibus fidem & errantibus veritatem, pereuntibus salutem, & pro Christo patientibus gloriam. Cui vnquam regum principumque terræ tantum boni attulere opes, deliciæ, amicitiæ, victoriæ, regna, imperia, quantum vni fideli martyri sua tormenta? Petrus per crucem, Paulus per gladium, per ictus lapidum Stephanus, atque alij per alias corporis afflictiones, ascensum sibi ad cœlum parauerunt, & nunc omnes bonis perfruuntur æternis, nunc cum domino suo regnant, quia Petrus. Paulus. Stephanus.

pro

pro nomine eius mũdi aduersã forti animo pertulerũt. Futurorum ergo bonorum spe erecti, etiam in tormentis animo gaudebant, & cum flagellati fuissent apostoli, ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliã pati. Ad quod sanè gaudium & nos inuitant atque hortantur, volentes & martyrij sui habere socios, & gloriæ consortes. Vnde Iacobus apostolus: Omne gaudium, inquit, existimate fratres mei, cum in tẽtationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habeat, vt sitis perfecti & integri, & in nullo deficientes. Ipse etiam apostolorum caput Petrus: Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Vas electionis Paulus non solum gaudet, sed etiam gloriatur. Gloriamur, inquit, in tribulationibus scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientiam autem probationem, probatio verò spem, spes autem non cõfunditur, quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctũ, qui datus est nobis. Et iterum ait: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt in habitet in me virtutis Christi, propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in cõtumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Gaudent ergo atque etiam gloriantur in pressuris huius mundi omnes sancti, & nos dolebimus. Doleat qui diffidit, gaudeat autem & glorietur, qui spem suam in deo collocauit.

Apostoli

Iacob. 1.

1. Pet. 4.

Roma. 5.

2. Cor. 12.

De exhortationibus ad patientiam martyrij. Cap. 21.

QVod si milites suos rex ipse cœlestis non in delicias & voluptates huius seculi, sed in cõflictum & certamen sæuientium persecutionum destinabat,

stinabat, vt vincentibus inæstimabilis boni donatiuum distribueret, profectò ad militiã eius nullo modo peruenire poterit, qui non ita se subiecerit, vt pro tuenda veritate nec supplicia nec mortẽ subire recuset. Is demum Christo militat, qui sæpe mũdi turbinibus quatitur, & nunquam superatur, dicente ipso domino: In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Quando hic qui vicit mundum, seruos suos confidere iubet, nullus de victoria futura dubitandi relinquitur locus. Qua enim virtute ipse vicit mundum, eam aduersus persecutiones certantibus nobis commodabit, vt vincamus. Immittent vobis, inquit, manus suas, & persequentur, tradentes in synagogas & custodias, trahentes ad reges & præsides propter nomẽ meum. Ne autem terreamur, subdit: Et ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Demum vt proposito præmio ad omnia perpetienda magis alacres redderet, ait: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Hoc est enim quod alibi dixit: Qui perdiderit animam suam in hoc mundo, in vita æterna inueniet eam. Possidere ergo animam est, non hîc, sed in æternitate viuere. Omnis quippe possessio in præsenti dubia est & incerta, in futuro autẽ erit stabilis & perpetua. Quod vt luculentius intelligas, rursum ille alibi ait: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Quam certè mercedem si alta mente considerabimus, terrena omnia facilè contẽnemus, neque omnino quicquam toleratu graue videbitur, quoties bona quæ pro malorum perlatione compensanda sunt, cogitabimus. Immẽsa enim & ineffabilia sunt

Ioan.16.
Lucæ.21.
Lucę.21.
Matth.10.
Matth.5.

lia sunt illorum bona, de quibus in Apocalypsi dicitur:
Apoca.7. Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas in sanguine agni, ideò sunt ante thronū dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius, & qui sedet in throno, habitabit super illos, non esurient neq; sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque vllus æstus, quoniam agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Talia secum
Philip.4. meditabatur Paulus, cum diceret: Et satiari & esurire & abundare & penuriam pati, omnia possum in eo qui me confortat. Hinc est quod de illo in gestis apostolorū
Acto.21. legimus: Cum prophetante Agabo discipuli eius didicissent ipsum Hierosolymis vincula passurū, & animo consternati rogassent, vt supersederet illò proficisci: Quid facitis respondit, flentes & affligētes cor meum? ego autem non solum alligari, sed & mori in Hierusalē paratus sum, propter nomen domini Iesu. Non est ergo suorum lachrymis motus, non mortis periculo deterritus, vt à proposito desisteret, tanto amore flagrabat Christum omnibus quibus poterat Euangelizandi, decernens non antè à prædicatione eius cessare, quàm in corpore viuere cessasset. Neq; solū Paulus, qui plus omnibus laborauit, certū ac deliberatū id habuit, sed planè omnes illi, qui supplicia necemque pati maluerunt, quàm fallacibus diis libamenta offerre.

Verba sanctorum martyrum ad tyrannum in ipsos sæuientem. Cap. 21.

QVid enim aliud dum torquerentur, tacendo ad infidelem tyrannum dicere videbātur, nisi vre, tunde, diuelle, lania, idola tua non adorabimus,

Christum

Christum autem dei filium confitemur, cum patre & spiritu sancto vnum deum, vnũ dominum. Potes corpora ista Cęsar cruciatibus absumere, facere verò vt aliud sentiamus aut loquamur non potes. Dummodo hac in parte fortitudo nostra tuæ præualeat, iuuat in illa qua te potentiorem existimas, nos esse imbecilles atque imbelles. Quo enim magis nos affligis grauiusque excrucias, magis vita æterna dignos efficis, & dum nocere arbitraris, prodes. Tua sæuitia, nostra est gloria. Cũ nos interficere credas, carcere isto corporis liberas. Vnde soluti de terra, tollimur ad cœlum, & pro patientię virtute à domino coronamur: non corona sicut est tua peritura, sed nunquam deficiente, nunquam defutura. Libet itaque abs te interimi, vt viuamus cum Christo, quem nulla vi nobis potes auferre, neque nos vlla quęstione, vllo tormentorum genere à charitate eius separare. Hoc te frustra prorsus conatum scies, cùm etiam ipsa postrema in mortem anhelantium voce Christum inuocari, Christum glorificari audieris, & tunc demũ te victum senties, sed fateri pudebit. Nos enim in isto fidei agone, voti nostri compotes erimus, tu tui nequaquam, qui ideò nos torques, vt à Christo auertas, & ad deorum, quos palàm contemnimus, cultum compellas. Et cum hoc quod maximè cupis, perficere in nobis minimè valeas, nonne superatus es nostra constantia, nostra pro Christo fide, quos ne interficiendo quidem vt tibi assentiamus potes inducere? Citius saxa scopulosque & montes de loco suo mouebis, quàm nobis fidem Christo datam eripies. Non tamen stabilitatis nostræ nobis laudem damus, Christi beneficio fortes sumus. Christi virtute in nobis manente tibi non succũbimus, Christo denique adiuuante contra omnia aduersa luctamur, & potimur victoria. Eidem gratias agimus, & cum pœnis afficimur, & cum in sententia veritatis perseueramus. Tota autem perseuerandi ratio est,

quia post laborem in illo requiescere speramus, semper beati futuri, qui semper usque in finem fuimus fideles, nec victi saeuitia tua, sed probati. His quidem & huiusmodi verbis illos vel locutos, vel loqui potuisse quis dubitat, nisi qui euangelio non credit, & peruersae mentis aure non admittit veritatem? Ipsorum enim omne studium fuit, domini sui vestigia obseruare, cum morum integritate, tum patientia persecutionum. Praebuit ille se nobis in exemplum, & qui resistere poterat violentiae hominum, atque omnes simul vno verbo oris sui interficere, maluit iniurias pati, & ignominiosa crucis morte consumi, vt suis fidelibus humilitatem patientiamque commendaret. Quamobrem ait: Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.

Matth.10.

Quid inquies agam, si desit persecutio, si nemo ad impietatem compellit quomodo crucem domini portare debeo? Si paratus es impia suadentibus nunquam cedere, & prius omnes omnium tormentorum cruciatus forti animo subire, quàm Christum deserere, crucē domini geris, & ipsum sequeris, illoque te dignum praestas. Da igitur operam, ne prompta desit voluntas ad patiendum tunc quoque cum patiendi non suppetit occasio. Quòd si feceris, tu quoque à domino in pace collectus cum sanctis martyribus dicere poteris. Ego sum pauper & dolens, & salus tua deus suscepit me, laudabo nomen dei mei cum cantico, magnificabo eum in laude.

Psal.63.

Interim martyrium tuū sit, castigare corpus tuum, & in seruitutem redigere, vt obediat spiritui, vigilare, orare, ieiunare, die ac nocte in lege dei meditari, euangelij praecepta obseruare, amicos inimicosq; diligere, nemini malum pro malo reddere, & pati potius quàm inferre iniuriam. Talis vita eos etiā ad beatitudinis gloriā euexit, quos persecutionis gladius nō attigit. Quotidianum quippe martyrium est, aduersus carnis molestias diaboliq; dolos assiduè stare, & non sinere suffodi

domum

domum, nec irruẽtibus vitiis vasa diripi virtutis. Oportet igitur superbiam repellere humilitate, libidinẽ castitate, parsimonia luxuriam, patientia iracundiam, liberalitate auaritiã: & breuiter vitium virtute. Sic vincere non equidem minus laudabile esse reor, q̃ execranda infidelium imperia per tormentorum patientiã superare. Nam qui ita vitam instituerit, eum iam idoneũ esse scias ad omnia dura, difficilia atque aspera pro nomine domini perferenda. Non potest non habere talem tolerandi affectum, qui domino in omnibus obsequendi gerit curam. Audi Hieronymum dicentem: Vtinam ob domini mei nomen atque iustitiam cuncta gentiliũ turba me persequatur & tribulet: vtinam in opprobriũ meum stolidus hic mundus exurgat, tantũ vt ego merear à Christo laudari, & suæ pollicitationis sperare mercedem. Quoties igitur exercendæ patientiæ cessat occasio, non cesset in nobis ipsa patiendi voluntas, & martyrum gloriæ participes esse merebimur. S. Hierony.

Quod non debemus vltro nos offerre suppliciis. Cap. 22.

VEruntamen in persecutionibus vltrò nos offerre impiis non debemus. Quoniam temerarium est obiicere se piculis nulla cogente necessitate. Vnde præcipit dominus, dicens: Cùm vos persecuti fuerint in ista ciuitate, fugite ad aliã. Et ipse secessisse in desertum dicitur, cum Iohãnẽ Herodis gladio peremptum audisset. Quanto etiã Iudæi ad feriendum illum lapides corripuissent, abscõdit se (vt euangelista ait) & exiuit de templo. Poterat omnes vnico nutu interimere, & maluit fugere, vt nos doceret etiam imbecilliorum iracundiam potius deuitare, quàm resistendo magis accẽdere. Ioan. 8.

Paulus Damasci Iudæorum insidias, & præpositi Aretæ regis minas per murum in sporta depositus effugit: nõ tamẽ mortis metu, sed dilatione, vt adhuc sup viuẽs 2. Cor. 12.

multorum saluti consuleret. Nunquam enim cessauit prædicando, disputando, scribendo omnes quos erroribus implicitos cernebat, ad viam veritatis reuocare: vtque illos quos ad Christum conuerterat, in fide solidaret, sæuissimi Neronis furorem contempsit. Suo igitur exemplo monstrauit, tunc quidem mortem non esse timendam, cum prospiciendum est saluti aliorum: tunc verò fugiendam, cum magis expedit vt fugiamus, quàm vt comprehendamur. Exempli gratia. Inter hæreticorum turbam fidelesque persequentium occultè Christianus es, vides alios deprehensos torqueri, cædi, laniari, quamdiu fortiter tolerant, nec à fide recedunt, non est vt teipsum prodas. Cùm autem aliquis eorum titubare cœperit, & supplicijs victus cedere, palam eum exhortari ad patientiam debes, & in periculo animæ alienæ vitam propriam contemnere. Plus enim debemus diligere bonũ animæ nõ nostrę modo, verũetiam alienæ, quàm bonum corporis nostri, hoc enim temporale est, illud æternum: hoc carnale, illud spiritale: præferẽda autem sunt carnalibus spiritalia, & temporalibus ęterna, & mortalibus nunquam moritura. Quòd si te quoque in hoc pietatis agone intrepidè currentem ab infidelibus occidi contigerit, gaude, quia iam cum illo viuere incipiès, qui pro omnibus occidi voluit, & in illo inclyto gloriosoque martyrum cœtu receptus exultabis, tuque donatus corona victoriæ sempiterna.

Quod multum prodest in calamitatibus recolere passionem Christi. Cap. 23.

IN omni autem pressura & afflictione siue mentis siue corporis, commodissimum erit, domini saluatoris labores atque dolores pro nobis vltrò susceptos ad memoriam

moriam reuocare,secumq́; ratiocinari ac dicere: Quis ego sum, vt aduersis præsentium infelicitatum in casibus grauari debeam, cum dominus meus, quamdiu in terris versatus est,non otio delectatus sit,sed fatigatione non voluptatem vllam corporis appetierit, sed tribulationes & angustias, & cruciatus,& cõuitia,& pbra ab impiis illata, & acerbissimam atque despicatissimã crucis mortem? Ille saluandi mei gratia qui perieram, cum deus esset,hominem assumpsit:homo factus nũquã conquieuit, Iudæam, Galilæam, Samariam peragrando,ignaros instruere, ægros curare, mortuos suscitare, multa mira & incredibilia operari. Cumq́ue in omnibus diues esset,elegit sibi paupertatem, aliorum impensis vitam sustentauit, alieno vsus est hospitio,esuriuit, sitiuit,fatigatus est, flesse pluries legitur,risisse nunquã. Adhuc puer quæsitus est ad necem:deinde adultus,odia semper perpessus est impiorum,à discipulo venditus ac proditus est,à Iudæis comprehensus & afflictus, & qui peccatum non fecerat,ligatur,accusatur,falso testimonio circumuenitur,conspuitur,alapis cæditur; deluditur,maledicitur,spinis coronatur,harundine verberatur,nudus flagella sustinet, nudus crucem ascendit, in manibus ac pedibus plagas patitur clauorum, lanceæ in latere, atque de tot vulneribus manante cruore totus perfunditur. Cumq́ue moriens sitiret aceto felleq́; potatur:tam dirè consumptus,hostiam se deo patri pro omnibus obtulit. Quis sum ego vt indigner, & iniquo animo feram,si qua mihi calamitas incidat,si quod incommodum patiar,si qua me inuidorum infestet persecutio,cum præsertim nihil mali mihi inferri possit, quod peccata mea non merentur? Non ergo grauatè pԑpetiar, quod iustè irrogatur, sed dominum meum deprecabor,vt concedat mihi in omnibus patientiam,& in ipsa patientia scelerum meorum purgationem atque veniam:vt qui me dignatus est facere laborum suorum

 participem

participem, faciat tandem & gloriæ consortem, dicente Apostolo: Sicut socij passionum estis, sic er itis & consolationis. Et iterum: Si inquit commortui sumus & cõuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus. Igitur siue persecutionis turbo totam inuaserit ecclesiam siue priuata lacessiti fuerimus inuidia, siue opes vis aliqua rapuerit, siue morbi sæuierint, siue charissimorum mortes frequentarint, siue aliud aliquid aduersi acciderit: de omnibus gratias agere nos oportebit, & in omnibus confiteri ac dicere. Iustus es domine, & rectum iudiciũ tuum. Scriptum est enim: Increpationẽ domini ne reprobes, quia ipse vulnerat & medetur, percutit & manus eius sanabunt. Paulus & Sylas in Macedonia virgis cæsi, carceri traditi, in vincula coniecti, deo laudes decantant. Et ipse dominus noster accepto calice gratias egit, vt nobis documento esset ad persoluendas gratias Deo, quoties aduersitate aliqua grauati fuerimus atque afflicti. Per calicem enim tribulationes mũdi huius intelligimus, iuxta illud: Transeat à me calix iste. Cuius igitur prouidentia cuncta contingunt, illi de cunctis gratiæ agantur, vt per hoc probetur, nos & patientes esse in aduersis, & in prosperis non ingratos.

2. Cor. 1.
1. Tim. 2.
Iob. 5.
Actu. 16.

De impatientiæ vitio erga deum. Cap. 24.

ET quoniam virtus optabilior atque amabilior fit vitij comparatione, restat vt euoluamus impatiẽtiæ mala. Per impatientiam murmurauerunt Israëlitæ egressi de Aegypto, cũ esurirẽt in deserto Syn, & iterum in Raphadin cũ sitirent. Saturauitque illos dominus manna de cœlo pluẽte, & aquis fluẽtibus de petra. Vide quàm mitis, quàm misericors est deus, non cõtinuò impatientiam nostram punit, sed interdum votis murmurantium facit satis, vt beneficio prouocet ad pœniten-

Exod. 16.
Exod. 17.

pœnitentiam, at verò si benefacto non profecerint, nec murmurationum cessauerit impia temeritas, tunc demum vlciscitur ingratos, & iustè pœnas exigit ab obstinatis. Ideò illi tandem cœlestem cibum fastiditi, ciuollas carnesque Aegyptias concupiscent, coturnicum nubes vẽto delata, locum in quo castra fixa erant operuit, volente domino vt discerent, quàm malè cedat illa quæ intemperanter concupiscuntur. Adhuc (inquit) carnes erant in dentibus eorum, & populus percussus est plaga magna. Multi enim ex illis cum vsque ad nauseam carnis edulio sese implessent, veluti veneno hausto, sic repetè mortui conciderũt. Pari aduersus deus proteruitate vsi sunt ad aquas contradictionis cum sitim paterentur: postremò ad mare rubrum itineris labore offensi, quãdo iratus dominus misit ignitos serpentes, quorum veneno morsibusque disperibant. Quid ergo aliud agit qui aduersitate oppressus in deũ indignatur, nisi vt ab eo prorsus destitutus, faucibus incidat serpẽtis antiqui diaboli, & post temporale malum quod patitur, æternis tradatur suppliciis. Hoc nempe illud est, quod Salomon in Prouerbiis ait: Qui impatiens est, sustinebit damnum & cum rapuerit aliud apponet. Primo enim damno rapto, id est, accepto, aliud applicat, & malis quibus affligitur, cumulum addit. Quid autẽ dementius quàm tribulationum pondus grauare linguæ procacitate, aut aliqua immodica animi ꝑturbatione? Quicquid enim patienter toleratur, leuius fit. Quid etiã magis perniciosum, quàm Deum iratum, cum placare humilitate debeas, impatientiæ tumore magis prouocare, vt citiꝰ pereas. Ideò rursum Salomon ait: Impatiẽs operabitur stultitiam, & iterum: Qui impatiens est exaltat stultitiã suã. Quoniã exaltat stultitiam. Impatientiã vtiq; nõ refrenãs, prolabitur in irã, de ira in furorẽ, de furore in quandã beluarũ feritatẽ, vt iã nõ modo impatiẽs, verũetiã sæuus ipsiusq; existat. Nullũ enim crudelitatis

Num.11.
Num.20.
Num.21.
Prouer.19.
Roma.14.

genus est, ad quod non compellet impatientia, si te ab illa diutius possideri permiseris. Per impatientiam fratrem suum occidit Cain: fratrem suum in seruitutem vendiderunt filij Iacob: fratres suos interfecit Gedeonis filius Abimelech: Saul rex sacerdotes Nobæ impiè perimi imperauit, quia illi pij erga Dauidem extiterant. Athalia Ioram regis vxor, defuncto Ochozia nepote, regiam cædibus impleuit, neminem regij sanguinis relinquens viuum, præter vnum Ioam qui furtim subtractus fuit neci. Manahem Samariæ rex, Thersa oppido capto, ne quem in eo virilis sexus viuum relinqueret, mulieres etiam prægnantes scidisse fertur. Herodes non minus in filios crudelis quàm in hostes fuit, vt Iosephi historia testatur: & vt in Euangelio discimus, indignè ferens Christum puerum à Magis adoratum omnes Bethlehemi infantulos, qui bimatũ non excesserãt interimi iussit, ipsum simul perdere volens, quẽ qui ex illis esset ignorabat. Huius verò successor, Ioannis Baptistæ plusquam prophetæ caput ad se deferri mandauit, ne de nece eius, à quo de adulterio se argui indignè ferebat, incertus esset. Ad talem ergo ac tantam animi trucidentiam facilè perueniet impatiẽs, nisi maturè ab ingenitæ proteruiæ vitio submoueat, & iracundiæ motum pro viribus compescere assuescat. Minoribus igitur delictis obstaculum faciat, ne ad maiora prorũpat, quando ne minima quidem hinc decedentium impunita erunt, nisi antè pro illis pœnitudinis opera laboreque satisfactum fuerit. Hoc tibi in Euangelio operariorum vineæ parabola testatur, qui inuidiæ à domino arguuntur, eo quòd denario pro opera accepto, aliis qui tardius ad operandum accesserant, ex conductoris liberalitate tantundem datum fuisse dolebant. Nõ est itaque negligendum, sed maximè curandum, vt etiam ab his caueas, quæ vel leui increpatione digna cognoueris. Paulatim decidit, inquit scriptura, qui minima contemnit.

Cain. Filij Iacob. Abimelech. Saul. Athalia. Manahem. Herodes. Herodes. Matt. 26. Eccl. 19.

temnit. Habet & inuidia suam impatientiã, quæ mortem affert nisi caueatur. Dolere enim te cogit, quod alij affluant diuitiis, præstent honoribus, multæ apud omnes opinionis sint, & te vel præcedant gloria, vel equẽt. Talis profectò diaboli liuor est, qui semper tristatur ac molestè fert, quod iusti eo ascendant vnde ipse decidit. Quid dicam de illis, quorum intantum excedere solet furor, vt aliquid aduersi passi in Deum maledicta euibrent atque iaculentur? Proh facinus omnium sententiis execrandum. Lingua illa quã fecit deus, ipsum blasphemat, & creatura creatorem suum verbis petulantibus inuadere audet, ipsum regem regum ac dominum dominantium plena probri, procacitate lacessere non veretur, cum Michaël archangelus (vt Iudas Apostolus ait) de Moysi corpore altercando non sit ausus ipsi diabolo iudicium inferre blasphemiæ. Hoc tam immanè nephas in seruis vestris puniendo coërcete terreni principes, aut mirari desinite, si vos vnà cũ illis diuina verberet vindicta. Si quis vos vel leuissima offenderit contumelia, continuò maiestatis læsæ reus peragitur, & acerbius etiam quàm meretur punitur. Mulctatur quãdoque qui in aliquem priuatum hominem indignè cõuitiatus fuerit, sola in deum contumelia tuta est. Pœna ab homine expetitur ob iniuriã homini illatã, & deũ maledicẽtis scel⁹ nulla denũtiatione reprimitur. Vbi nũc est illa Iudęis data dei lex, qua blasphemi lapidib⁹ obrui iubentur, qua quidã cum altero rixatus, cum nomẽ domini maledixisset, extra castra eductus est, vt hominum consortio indignus, & lapidum ictibus interemptus, linguæ impietatẽ morte corporis persoluit? Vbi est illud Babylonij regis vno miraculo cõuersi edictũ: Quicunque deum Sydrach, Mysach & Abdenago blasphemauerit, dispereat, & domus eius vastetur. Vos verò tot miraculis, tot prodigiis in dei veri cultu confirmati, eiuscemodi crimen dimittitis impunitum. Qua

In deũ maledicta proferens.

Iudæ. 1.

Leuit. 24.

Danie. 13.

in re planè offenditis, terrena vobis curæ esse, non cœlestia, & nomen vos habere Christianorum, non religionem neque iustitiam. Vir enim fidelis obturare statim manibus aures debet, ne vocem dominũ suum maledicentis audiat, vel repentè auersus fugere, ne sacrilegioris petulantiæ fauere vidideatur si manserit, vel auscultauerit, & simul cum maledico ipso diuinam incurrat vltionem. Quòd si murmurantis populi contumaciam deus iustus sæpissimè corripuit, quomodo sceleratissimorum hominum impietatem non castigabit, & si à murmuratione quoque aduersus deum cauendum sit, quanto magis à maledicto siue blasphemia. Cumq; omnis impatientia iustitiam dei non operetur, non frustra de salute Philippensium solicitus Apostolus: Omnia (inquit) facite sine murmurationibus & hæsitationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ. Ex his ostenditur, eum qui patiens est, nunquam murmurare, nunq̃ conqueri, sed inter malos quoque mitem atque mansuetum esse, & inter inquietos quietum. Impatiens autem prius ipse suæ inquietudinis causa est, deinde etiam aliorum: hos odit, illis irascitur, alios contumeliis, alios afficit verberibus. Ipse verò intra se iracũdia æstuat, bile tumet, liuore consumitur, iuxta illud: Eccl. 30. Zelus & iracundia minuent dies. Dum ergo alteri nocere affectat, seipsum perdit, imò quod deterius est, seipsum æterna pœna dignum efficit, dum alterum odio atque maleuolentia persequi non desistit.

De impatientiæ vitio erga proximum. Cap. 25.

PErsequamur igitur nunc in proximos impatientiam, ostendamusque, quanto ipsa suo authori detrimento sit. Hæc est quæ nos facit iracundos, ita vt

vt leuissimis interdum de causis intemperanter commoti rixemur, depugnemus, ad arma concurramus. Canum ferocium ista rabies est, qui portento tantum contra se digito irritantur, & frendenti rictu hominẽ allatrant. Turpe est autem nobis caninam habere iracundiam & ad quamlibet offensiunculã indecẽtius q̃ oporteat turbari ac furere, & esse domum super arena fundatã quã ventorũ euertit flatus: vel arundinem illã, quã etiam leues auræ grauiter exagitant & percellunt. Vix quidẽ vlla in re modestiam seruabit; qui cohibere nescit iracundiam. Salomonis ista sententia est dicentis: Qui ad indignandum facilis est, erit ad pẽccandum ꝓclíuior. Ille præterea qui in paruis grauiter irascitur, magnam iniuriam quomodo feret? nõne in rabiẽ tunc vertetur, cum Paulo deterius læsus fuerit. Quãquã eos etiam qui non læduntur, ineffrenata patientia interdũ in rabiem agit: sicut & illos, de quib⁹ ante locuti sum⁹, qui neq; fratribus, neq; liberis, neq; dei sacerdotibus, neq; fœtibus in aluo matrum adhuc latentibus pepercere. Vt autem ista quoque min⁹ miremur, Moabitarũ impatientia facit, qui regis Idumæorum ossa de tumulo eruta, ignominię causa igni cremarũt. Quis erit iracundię finis, si neque morte eorum, quos odio habet satiatur, & in corpora quoque humo obruta desæuit? Meritò igitur tantã animorũ feritatem etiam in nationes incredulas vltus est deus, dicente Amos propheta: Super tribus sceleribus Moab, & super quatuor non conuertam eum, eo quod incenderit ossa regis Idumææ vsque ad cinerem. Et mittam (inquit) ignem in Moab, & deuorabit ædes Carioth, & morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ, & disperdam iudicem de medio eius, & omnes principes eius interficiam cum eo, dicit dominus. Quòd si ita infidelium impatientiam punit interdum DEVS, quanto magis credentium, quibus leges dedit & præcepta, & notitiam sui?

Moabitæ.

Amos.1.

Iure

Iure igitur ac meritò Salomon, dum perpenderet impa tientis furentem iracundiam: Graue est saxum (inquit) & onerosa arena, sed ira stulti vtroque grauior. Et prosequitur, dicens: Ira non habet misericordiam, nec erũcens furor, & impetum concitati quis ferre poterit? Quid autem infelicius quàm carere misericordia & dilectione, sine qua beatitudinem cõsequi nequimus? Idcircò impatientia ipsa, quia charitati contraria est, deo etiam qui charitas est, aduersatur & repugnat, animũ à cœlestium cõtemplatione auertit, & æterni boni reddit negligentem. Impatientia enim tota de rebus terrenis est, à quibus certè quanto secedimus longius, tanto proximiores deo efficimur. Cui quidem si iungi volumus, humilitate opus est, & patientia & omni mansuetudine, non supercilio, non indignatione, neque ira, quæ deus odit & execratur. Post hæc mentem quoque hominis excecat impatientia, & quæ recta veráque sunt, non sinit dignosci neque intelligi. Ideóque ista animi perturbati passio, maximè in iudiciis faciendis ca uenda est. Nũquam enim iustè iudicabit, qui iratus est. Nam si ille cui iratus fuerit, pro crimine delato mulctari merebitur, hic vlciscendi auiditate iustæ pœnæ modum excedet: aut si de rebus lis erit omissa iudicij consultatione, aduersus eum cui infensus est, ferre sententiam festinabit, & conuertet (vt in Amos propheta est scriptum) in amaritudinem iudicium, & fructum iustitiæ in absynthium, non causam considerans dum iudicat, sed personas. Nec solùm iniustum veríque nescium hominem facit impatientia, sed etiam si ei ratione non resistitur, ad insaniam vsque deducit. Vnde furere dicitur is, qui impatientiæ stimulis actus, ira inflammatur: Ardent oculi, tremunt labia, frons adducitur, arteriæ clamoribus intumescunt, os distorquetur, verba sine delectu effutiuntur, facies aut rubore aut pal lore suffunditur, & breuiter nihil tam simile alienatæ

Prou. 17.

Amos. 1.

Facies irati.

mentis

mentis homini q̃ homo præter modum iratus. Quòd Mat.26.
si aspectui tam fœdo non satis credis, facta inspice. Prin
ceps ille sacerdotum in Christum iratus, ipse sua scidit 3.Reg.21.
vestimenta. Quid autem dementius quàm in alterum
indignari, & à semet pœnas exigere? Achab etiam rex
Israël, quod Naboth Israëlita vineam suam ipsi peten-
ti neque vendere neque commutare voluit, tantum fu-
roris concepit, vt domum reuersus lectulo se iniecerit,
panem'que non comederit, inedia se conficiens, donec
vxoris tandem vsus consilio, Nabotho per dolum subla
to, agellum eius vi possedit. Achitophel Iudaicæ mili- 2.Reg.17.
tiæ princeps Absolonis partes secutus, indignè ferens q̃
ille aduersus Dauidem vti suo consilio noluerit, sibi ip-
si suspendio mortem consciuit. Quis insanus vnquã in
alterũ fœdius desæuit, q̃ in seipsum iræ impatiens Achi Iob.5.
tophel? Rectè itaque dicitur: Stultũ interficit iracun-
dia, quandoquidem eousque insaniunt, vt nec suæ vitæ
parcant, & dum in alterum sæuiendi negatur facultas, Maledici in
in semetipsos grassantur. Sunt præterea qui irati san- sanctos.
ctos maledictis lacessant, sed cum dominum eadem oris
petulantia prouocare non formident, minus mirũ est,
quod etiam seruos eius quomodo possunt offendant, de
quibus quia satis paulò antè dictum sit, hoc tantum di
cendum restat, quòd nec à sanguine eorum, quos deo fa-
mulari vident, abstineant, cùm indignantur. Quamuis
enim eiusdem religionis sint cum his quos infestant, di
uersis tamen moribus viuũt, semper'que melioribus in-
uident atque aduersantur. Hinc est quod Ioram Sama- 4.Reg.6.
riæ rex, à Syris obsessus, cũ fames vrbem inuasisset, quid
ageret, nesciebat: & ex dolore in furorem versus, man-
dauit interimi Eliseum prophetam, qui nisi præscius
cauisset, innocens regis malè indignantis culpa perisset.
Rex verò quia pœnitentia ductus humiliauit se, pro-
phetam persequi desiit, & obsidione liberatus est & fa-
me. Tantũ prodest repentina praui ꝑpositi pœnitudo.

Asa

Asa. 2. Par. 16. Asa quoque Hierosolymæ rex, quoniam ascito sibi Syrorum exercitu ab inuasione Basæ Samariæ regis se defenderat, coargutus ab Anani propheta, quod fiduciam habuerit in rege Syriæ & non in domino, iussit illum mitti in neruum, & DEI nuntium in vincula coniicere non fuit veritus. Sed malè illi cessit ista audacia, plurimi de populo perierunt, ipse anno deinde tertio pedum dolore consumptus est. Sed neque Ioachamo Iudææ regi fuit impune, Ieremiæ volumen

Iere. 26. Ioachim. per manum Baruch scriptum, in quo mala super regno suo ventura prædicebantur, manibus discerpsisse tradidisséque igni, ipsósque voluminis authores comprehendi iussisse: quæsitos ad necem (vt scriptura ait) dominus abscondit, ac de rege pro culpa puniendo dixit: Non erit ex eo qui sedeat super solium Dauid, & cadauer eius proiicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem, insuper mala quæ in volumine descripta fuerant, se adducturum affirmauit. Igitur non multo pòst vrbs euersa, ipse cum populo abductus est Babylonem catenis vinctus, atque in captiuitate pe-

4. Reg. 24. Herodes. riit. Herodis Tetrarchæ exercitum, parua quidem Arabum manu ad internecionẽ penè cæsum ideò fuisse, quibusdam ex Iudæis visum est (vt Iosephus refert)

Iosephus li. cap. 14. quia Iohannem Baptistam præcipuæ sanctitatis virum interficere ausus fuerit, vt liberius sceleratis nuptiis,

Roma. 14. quas ille arguebat abuteretur. His exemplis discent superbi quàm malè indignentur aduersus eos, qui sese CHRISTI seruitio dedicarunt. Tu quis es (inquit Apostolus) qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit, stabit autem: potẽs est enim deus statuere illum. Quòd si nephas est iudicare seruũ dei, quã magis eundem odio habere iniuriáque afficere? Et si neminem simultate atque inimicitiis persequi debemus: quanto minus eos, qui pro omnibus quotidie precationi insistunt, quotidie pro omnibus sacrificia offerunt

runt, deumque pro nobis propitiare totis viribus contendunt: nobis baptismum, nobis peccatorum remissionem subministrant, ægrotantibus assistunt, mortuos efferunt, pro elatis deo supplicant? Nunquid redditur pro bono malum, vt his infensi simus, quibus pro beneficio parem gratiam referre non possumus? Quòd autem ne illis quidem qui tecum seculo seruiunt hostiliter irasci debeas, audi veritatis magistrum in Euangelio dicentem: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo rhaca, reus erit cõsilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Matt. 5.
Nemo igitur non reus est, qui fratri irascitur. Vitio fratris irasci rationabile quidem est, fratri autẽ irasci rationi contrarium est. Ex odio enim proficiscitur, quicquid mali in personam tantum confertur. Disce itaque tres esse malè irascendi gradus, alium alio nequiorem. Si tacitus irasceris, & linguam à contumelia coërces, reus es iudicio, quia quod iracundiæ motus intra te deliquit, hoc rationis iudicium, ne fortis erumpat refrenauit. Grauius autem peccas, cum iratus in verba opprobrij prorumpis, tantoque magis quanto furiosius id egeris. Rhaca hebræum est, & vanum designat, fatue autẽ turpius dictũ est. Illa ergo impatiẽtiæ indignatio rea est consilio, vbi adhuc pendet sententia donec vel progrediaris irascendo vt damneris, vel regrediaris pœnitendo vt venia dignus habearis. Porrò si vlterius progressus fueris, & furoris impetu in aduersum ferri non destiteris, & fratrem tuum quasi ex animi maleuolentia despexeris, reus erit gehennæ ignis, nisi cessabis ab iniuria, & amare incipies quem oderas. Tales ergo excursus habet impatientia, vt hominem immoderatè furentem, vsque in abyssum inferni deuehat, & pœnis illis quarum nullus finis est, irreuocabiliter tradat, si ei vsque ad vitæ exitum dominata fuerit.

De ira

De ira non vitiosa, sed utili & de ira dei. Cap. 26.

EST tamen ira quædam rationis parens, cum vitiis irascimur vel nostris vel alienis, hoc est, cum illa corrigi & emendari cupimus. Hinc sanè & in nos voluntariam corporis castigationem assumere cõsueuimus, vt mortiferæ voluptatis incitamenta excludamus, & carnem spiritui repugnantem, veluti lasciuiens iumentum, fatigatione aliqua laboreq́ue domemus. Illos verò qui curæ nostræ commissi sunt, si monitis nõ obtemperarint, minis verberibusq́ue persequimur, nõ nocendi causa, sed gratia iuuandi, vt qui spõte sese corrigere noluerint, corrigantur saltem inuiti, ne pereãt. Ira igitur ista quia ratione nititur, non modo non culpanda est, sed etiam necessaria. Charitati enim proxima est, dum per eam hominum saluti consulitur, medicorum more qui putrescentia vlcera incisionibus cauterioq́ue curare aggrediuntur, & morbo irati dum sæuiunt, restituendæ sanitati operam impendunt. Hinc est illud Ecclesiastis: Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis, tristem tantummodo vultum, aduersus æqualium seniorumq́; crimina ostendere oportet, ne malefacta eorum mitiore aspectu probare videamur, ira tamen abstinendum erit, ne magis exasperemus eos, in quos animaduertendi ius non habemus. Illa ira duntaxat nobis cõcessa est, qua vel subditos corripimus ne delinquant, vel nosmet ipsos affligimus, ne malarum cupidinum blandimentis vincamur. Porrò ira hæc tantum ab ea quæ prohibetur differt, quantum ratio ab insania, quantum verum ab errore, quantum denique iuuandi appetitio à cupiditate nocendi. Hanc sequamur, si nobis, si aliis quibus presidemus consultum volumus. Illam verò brutam & irra-

Eccl. 7.

irrationalem declinemus, tanquam & nobis & omnibus qui ea vtuntur, nociam atque perniciosam. Per hãc iustificatus est Phinees, cum virum Israëlitã & Madianitidem meretricem turpiter coëuntes pugione confodit, per illam autem damnatus est Cain, aliiq́ue multi, qui sanguinem innocentẽ indignati effuderunt. In hac deum imitamur, qui peccatis offensus irascitur. In illa diabolum, qui cùm malus sit, bonis inuidet, & iratus eos deiicere nititur de altitudine virtutum. Dei autem ira percutit vt sanet, mortificat vt viuificet, & meliora quidem vulnera sunt diligentis quàm fraudulenta oscula odientis. Hic præterea qui diligendo vulnerat, interdũ odiendo lædere desinit. Vnde loquitur: Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras cũ adulterauerint. Magna ira est (inquit Hieronymus) cum peccantibus non irascitur deus. Hoc est, cum peccantes punire differt. Quos autem ad correctionem affligit, de illis ait: Visitabo in virga iniquitates eorum, & in flagellis peccata eorum, misericordiam autem meam non auferam ab eis. Nullam tamẽ iracundiæ perturbationem patitur deus, neque dum corripit corrigendos, neque dum punit obstinatos. Apud se semper placidus est atque tranquillus, apud illos verò iratus & furens qui malum quod meruerunt patiũtur. Ita nos quàm minimum perturbare debet iracundia, cum delinquentes punimus, sed mouere charitas, vt punitos disciplina nostra emendet, & à vitio reuocet ad virtutem. Publici quoq; iudicij præsidem, ab odio atque ira procul esse oportet dum iudicat. Debet tamen meritas ab illis qui mali aliquid perpetrarunt, pœnas exigere siue vt ipsi corrigantur, siue vt alij reprimantur similis pœnæ metu quam damnatos iustè perpeti viderint. Equidem ita reor, inter iram & iustitiam dei nihil interesse, nisi quod iræ vocabulum tunc vsurpet scriptura, cum peccata vindicãtur. Iustitię autem nomen etiã

Phinees
Nume. 25.
Cain
Gene. 4.
Proue. 27.
Osee. 4.
Psal. 78.

ad remunerationem pertineat bonorum in qua nullus iræ locus eſt, ſed benignitatis. Audiamus ergo in pſalmis monentem: Iraſcimini & nolite peccare. Iraſcitur & non peccat, qui non odio mouetur hominis cum indignatur, ſed criminis, qui punit: non vt lædat, ſed vt lædendo emendet, quod quidem opus non inimicitiæ eſt, ſed beneuolentiæ & dilectionis.

Pſal. 4.

De remediis iracundiæ.

Cap. 27.

NOn poſſumus efficere, quin aliquando plus etiam quàm oportet iraſcamur. Quando quidem id ſanctitate quoque præditis hominibus interdũ contigiſſe ſatis conſtat. Moſes iratus præuaricationi plebis vitulum adorantis, tabulas legis digito dei ſcriptas confregit. Idem iratus fuiſſe dicitur filiis Aaronis ſacerdotis, quòd hircum quem pro peccato oblatum comedere debuerãt, totum in holocauſtum obtulerint. Dauid in Abſalonem filium iratus fraternæ cædis reum, vix amicorum precibus exoratus poſt biennium coram ſe apparere illum permiſit. Hi tamen excuſabiles videntur, quia in delinquentes animo extiterint indignato, nec ſine cauſa irati fuerint. Sed quo pacto excuſabit̃ neſcio ipſe in vtero matris ſanctificatus Hieremias, vel ipſe ore domini laudatus Iob? Ambo enim ob indignationẽ impatientiam'que mentis, diei in qua nati ſunt, maledixiſſe referuntur. Alter conqueſtus eſt quod probra irriſiones'que perferret pro ſermonibus dei, quos in populum vulgabat. Alter quod ſupra modum miſeriis calamitatibus'que oppreſſus eſſet. Quaſi verò non liceat domino quicquid vult de ſeruis ſuis facere. Ionas etiã ſanctus propheta mortem ſibi expetiuit, indignè ferens, quod Niniue ſeruata ſuam fefellerit diuinationem. Vnde arguitur à domino dicente. Putásne bene iraſceris tui?

Moſes.
Exod. 32.
Leui. 10.
Dauid.
2. Reg. 14.
Ierem. 30.
Iob. 3.

tui? Quis autem excusare illum audet, qui increpatione accusatur diuina? Quid de apostolis dicã, & his quidem à sapientia dei electis? nónne indignati fuisse memorantur, cum à filiis Zebedæi principatum peti audissent? Sed quemadmodum illi ab ambitione ad humilitatem & ab indignatione ad placabilitatẽ domini admonitionibus reuocati sunt, ita & nos quoties repẽtina aliqua mentis ęgritudine commoti fuerimus, quàm primum ad æquanimitatis remedia recurramus. Morbus inueteratus plus laboris exigit in medendo, recentis verò facilis curatio est. Primum cauendæ tibi sunt contẽtiones, & eorum qui natura iracundi sunt consortia fugienda, litibus foróque abstinendum, dicẽte Apostolo. Seruum dei litigare non decet. Cum nemine pertinaciter contendas, quia arrogantiæ vitium est. Delatoribus non facilè credas, neque de absente obtrectantium iniuria irascaris. Inualidus est ad lędendum qui tibi coram negocium exhibere non audet. Quod si præsentium offensam moderatè ferre debemus, quanto magis absentium? Si contigerit vt irę motum concipias conceptum reprime: & quod intra té natum est, intrà te & moriatur, nec verba exterius prorũpant nec opera. Audi psalmistam dicentem. Turbatus sum, & nõ sum locutus. Et iterum, Cor meum conturbatum est intra me. Abortiuum igitur fiat, quicquid iracundia intra te conceperit. Parum cõcepta indignatio nocet, edita multum. Viperarum genimina sunt, quæcunque parere solet furor. Irascimini & nolite peccare, ait Apostolus, sol non occidat super iracundiam vestram. Irasci hominis est: per iram non peccare Christiani est. Illis autem solem iustitiæ occidere credas, qui iram in odium conuertunt. Nunquam citò in alterum excandescas, dilatio incipientem sedabit motum. Obserua itaque Iacobi Apostoli præceptum: Sit (inquit) omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad

Apostoli

2. Tim. 2.

Psal. 77.

Psal. 108.

Ephe. 4.

Iacob. 1.

iram. Ira enim viri, iustitiam dei non operatur. Obliuiscere iniuriæ, & de vindicta ne cogites. Impatientiæ vitium est vlcisci cupere. Patientiæ autem virtus, offensam memoria non retinere. Diuinæ legis est præceptũ: Non quæras vltionem, nec memoreris iniuriæ ciuium
Leuit. 19. tuorum. Deum time, & irasci quoque timebis. Obserua
Ephe. 4. Apostolum dicentem. Omnis amaritudo & ira & indignatio & clamor & blasphemia auferatur à vobis, cum omni malitia. Cui sententiæ Salomon astipulatur, dicens. Aufer iram tuam à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. Hoc ipsum sanctus propheta in psalmis iu-
Eccli. 11. bet cum ait: Quiesce ab ira, & derelinque furorem, noli æmulari vt malefacias, quoniam qui malignantũr, exterminabuntur. Nihil existimes laudabilius, nihil Christiano dignius placabilitate atque clementia, & rursum nihil indecentius neque fœdius immanitate, superbia, ira, impatientia, Reticulum iecoris offert domino, qui toleratione superat iracundiam. In iecore enim in ipso humore fellis, iræ receptaculum esse creditur, &
Leui. 4. quoniam hoc sacrificium in lege pro peccato offerri iussum fuit, puto quòd is qui in omnibus patiens fuerit, & prçteritorum criminum facilè veniam consequetur, & in futurum innocentiam custodiet: seruata autem innocentia, inter beatos computabitur. Super omnia verò proderi tmente reuoluere, tum quæ patientibus proposita sint præmia, tum qualia impatientibus tormenta. Cogitare quoque quãta pro nobis pertulerit dominus, quanta omnes, qui nunc cum illo sancti, vt tali domino digni inuenirentur.

De benedicendi studio. Cap. 28.

POst hæc optimum erit, ad seruandam erga omnes humanitatem animi'que mansuetudinem benedicentiæ linguam assuescere, ac semper veluti immane præcipitium, sic euitare maledicti verbum. Omnibus be-

bus benedicere, & ne maledicentibus quidem maledi- Eccle.3.
cta referre, magnæ constantiæ, magnæque tolerationis Gene.37.
indicium est. Benedic liberis tuis, quia scriptum est: Be Gene.49.
nedictio patris firmat domos filiorum. Benedixit Isaac
filio suo Iacob & domino annuente cuncta quæ illi in
votis fando congesserat, feliciter successerunt. Ipse etiã
Iacob vita decedens, benedixit nepotibus suis Manassæ
& Ephraim, diuinitusque inspiratus futuras filiorum
sortes cecinit. Benedic seruis tuis, Christus dominus be
nedixit discipulis suis. Etenim sicut Lucas ait, ab eis in Lucæ.14.
cœlum recessurus, eleuatis manibus benedixit eis, osten
dens quòd quicunque sua benedictione se dignum exhi
buerit, ipsum in cœlum euntem sit secuturus. Benedic
populo tuo. Moyses & Aaron sacerdos benedixerunt po
pulo, & apparuit gloria domini omnibus qui aderant, Leui.9.
vt ait scriptura. Vt ergo benedicentium merita testa-
retur, miram manifestamque sui splendoris visionem
oculis humanis obiecit dominus, & quantum sibi bene
dicta seruorum suorum placeant, apertè significauit.
Atque vt benedicendi magis studiosos redderet, ipse
quomodo benedicant docere voluit: Sic, inquit, bene-
dicetis filiis Israël, & dicetis eis: Benedicat tibi domi- Nume.16.
nus, & custodiat te: ostendat dominus faciem suam ti-
bi, & misereatur tui: conuertat dominus vultum suum
ad te, & det tibi pacem. Vtque sciamus omnibus bene-
dicendum esse, idem dominus in euangelio pro maledi
ctis quoque iubet referri benedicta, dicens. Benedicite
maledicentibus vos, & orate pro persequẽtibus vos. Mo Lucę.6.
ses diem suũ obiturus, conuocatis tribub⁹ ne intestatus Deute.33.
decederet, singulis benedixit, & quę futura erant simul
prophetauit. Quis igitur dubitet, quin illi spiritu san-
cto repleãtur, quis benedicere, beneque omnibus opta-
re plurimum delectat? Salomon, cui cœlitus infusa sa- Salomon
pientia erat, arca in templo collocata, victimisque im-
molatis, benedixisse dicitur ecclesiæ Israël, templumq;

dedicasse. Sed quoniam iuxta Apostoli sententiā: Templum dei sanctum est, quod estis vos, templo dei benedicit, quisquis fideli populo benedicta impendit. Discant nostri temporis episcopi promptiores esse ad benedicendum, ne templo dei maledixisse arguantur, cum temere & non merito aliquem fuerint execrati. Semper tutius est in benedicendo quàm in deuouendo errare.

Duo benedictionum genera.

Sciendum preterea duo esse benedictionum genera, alterum spiritale, alterum terrenum. Spiritalis benedictio de virtutibus est præmio'que earum, terrena de diuitiis, de frugum hubertate, de corporis incolumitate, de honoribus, de victoria, subiugatione'que inimicorū, & aliis huiusmodi, quæ in Leuitico promittuntur obseruatoribus mandatorum dei.

Quæstio.

Qua quidem in re quæri potest, cur multi prophetæ sancti'que legis, qui præceptis diuinis pro sua virili semper obtemperabant, egestates, angustias, persecutiones passi sint, & post illos apostoli Christi, martyres, alii'que fideles? quia certè illa terrena bona, ciuitates, prouinciæ, regna solent appetere, turba videlicet in perferendis angustiis minus fortis, ne tententur supra id quod possunt. Sanctos verò atque perfectos, vt appareat quàm constantes, quàm firmi sint in contēnendis omnibus quę diu stare nequeūt, & in illis quæ æterna sunt diligendis, necesse est aduersitatibus ærumnis'que probari. Neque ideò fit illis iniuria siue dolus, quod terrenis bonis minus abundent, quando ea ipsemet quidem præ cœlestium desiderio cō temnunt atque aspernantur, malunt'què in aduersis experiri, quàm in ꝓsperis otio torpescere. Prospera enim plerunque ad ignauiam compellunt, aduersa magis incitant ad virtutem. Quæ iusti patiendo spiritalium benedictionum gratiam acquirunt, bonis vtique non his modicis & caducis, sed illis ingentibus & æternis fruituri, quæ presius euidentius'que in Euangelio quàm in lege promissa sunt. Quanquàm lex quoq; spiritalis est, si tollatur

ſi tollatur velamen, & ea quæ ſcripta ſunt, non omnia iuxta literā intelligantur. Spiritalis benedictionis meminit Apoſtolus, vbi ad Epheſios ſcribens, ait: Benedictus deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpiritali in cœleſtibus in Chriſto. Profectò qui huius benedictionis particeps eſt, eius conuerſatio in cœlis eſt, non in terra. Proinde nec terrena bona ad eum ſpectant, qui his expeditus, capere properat cœleſtia. Nos ergo talem antè omnia benedictionem, tam proximis noſtris quàm nobiſipſis impartiri ſemper optem⁹ & precemur, qua impetrata nec aduerſa efficere poterūt, vt indignemur, nec proſpera, vt laſciuiamus. Bona igitur & dicamus omnib⁹ & optemus, ita tamen vt ſemper animæ ratio habeatur magis quàm corporis, vt quod cuique ad beatitudinem adipiſcendam accommodatius futurum ſit, hoc ei in præſenti tempore contingat, ſiue id triſtè putatur, ſiue lętum, cum nihil tam graue ſit, vt id non eleuet ſpes bonorum quæ promiſſa nobis expectamus. Sic igitur benedicatur omnis homo qui timet dominum, vt exhuberet frugibus virtutum, vt bonorum operum fœcundus ſit, vt animæ ſanitate perfruatur, vt hoſtes inuiſibiles vincat, & omnes carnis moleſtias ſuperet, fide firmus, ſpei plenus, charitate feruidus, & ad bona tandem perueniat ſempiterna: benedicatque ei dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram: Hic quippe benedicendi mos Apoſtolorum proprius fuit, vt eorum ſcripta teſtantur. Omnes fere Pauli epiſtolæ ſic finiuntur, vt eis ad quos directæ ſunt, gratiam precentur & pacem, non huius mundi pacem vel gratiam, ſed dei patris & domini noſtri Ieſu Chriſti & ſpiritus ſancti. Nihil ei deeſſe poterit, quem vbique dei gratia comitabitur. Qui autem linguam ſuam ad benedicendum aſſuefecerit, hic verè Chriſti ſeruus habebitur, illorum in cœlo copulandus conſortio, quorum morem in terra fuerit æmulatus.

Ephe. 1.

Apoſtoli

De maledicendi nequitia. Cap. 29.

VT autem benedicendi studio diligentius incumbamus, opportunum videtur nunc scrutari, quantum mali maledicis, & impuræ linguæ hominibus propositum sit. Semeim cuius maledicta patienter pertulerat rex Dauid, vultus est postea rex Salomon: & ille qui regẽ incessere ausus fuerat, capite mulctatus pœnas dedit, non ab eo hoc passus cui iniuriam intulerat, sed ab eo qui punire debuit aliis illatã, domino iubente: Principi populi tui non maledices. Magis tamen pœna illa verenda est, de qua Apostolus ait: Maledicos à regno dei excludendos cum fornicariis & idolorum cultoribus. Qui autem inde repulsi sunt, eos ad inferos cruciari certum est, quoniam impij ac scelesti non solum bono summo priuantur, sed etiam suppliciis ascribuntur ęternis, ita vt lingua nequam nulli perniciosior sit, quàm ipsi cuius est. Mordet alios maledicus, & semet maledictionis suæ telo conficit, similis viperæ illi, quæ cùm manum Pauli apostoli mordicus apprehẽdisset, nihil illũ læsit, sed ipsa in ignem excussa & exusta periit. Perire non debuit, dicet aliquis, quæ non læsit, sed ideò non læsit, quia deo prohibente lædere nõ potuit, periit autem, quia lædere voluit, & mortẽ quam alteri inferre tentauit, iustè ipsa pertulit. Sic maledicus dum oris sui procacitate alios offendere concupiscit, licet non offendat, tanquam si offenderit, pœnas dabit. Vnde in lege scriptum est. Non solum qui percusserit, sed etiã qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur. Et in alio loco: Non maledices (inquit) surdo, nec coram cęco pones offendiculũ. Maledicit surdo, qui de absente obloquitur. Cæcum offendit, qui opprimit incautum. Hinc etiam ait: Non eris criminator & susurro in populis.

3. Reg. 2. Exod. 22. 1. Cor. 6. Acto. 28. Exod. 21. Leuit. 19.

Denique

Deniq; adeo magnum vitium est maledicentia, vt probis honestisque viris interdicta sit cum maledico consuetudo, dicente in Prouerbiis Salomone: Remoue à te os prauum, & detrahentium labia sint procul à te. De quibus Ieremias ait: Sagitta vulnerãs lingua eorũ. Vulnerant enim & illos qui libenter in alios dicta auscultant, & illos de quib⁹ dicta sunt, si impatiẽter tulerint. Ipsi tamen qui detrahunt, multo magis sibi quàm aliis nocent, domino per Osee prophetam succlamãte ac dicente: Cadent in gladio principes eorũ à furore linguæ suæ, id est, qui alios linguæ suæ petulantia peruertunt, ipsi cadent gladio diuini iudicis, de quo surgere vltra non poterunt, cum corruerint in interitum sempiternum. Quæris quare in prophetis & in psalmis leguntur maledictiones. Illę quidem non ex odio execrantis, sed ex vaticinio futurum prædicẽtis editæ sunt, & cum sanctorum in scripturis maledicta, iudicis dei sentẽtiæ sint nobis qui futurorum ignari sumus, maledicere nemini licet, nisi fortè cùm hæreticos impiis assertionibus ecclesiam perturbantes, apostolica authoritate deuouemus. Hoc egit Paulus cum Galatis, quos docuerat, à pseudoapostolis timere: Vtinã (inquit) abscindantur, qui vos conturbãt. Maledixit & Petrus Simoni mago, qui spiritus sancti donum venale putauit, pecuniã offerendo, vt miracula faciendi potestatem acciperet. Omnes itaque qui peruersi aliqua doctrina, rectè religioni aduersantur, quia deo iniuriam faciunt, sub anathemate censentur, vtpote diuersi ab ecclesia, & non Christi, sed satanæ membra facti, pro quibus tamen oramus, vt domino miserante errorem suum agnoscant, & conuertantur, & salui fiant. Atq; ita eis etiam quorum impietatem maledicimus, benedicere solemus, dum illos ab ignorantiæ tenebris ad lucem veritatis reuocari cupimus & præcamur. Maledictio verò quæ illis infertur, qui maledicendi nõ sunt, plerunq; diaboli suggestione fit. Et

Proue. 4.
Iere. 9.
Osee. 7.
Quæstio.
Galat. 5.
Acto. 8.

Balaam
Nume. 22

fit. Et tunc quidem imitandus nobis erit Balaã ariolus, qui (vt in Numeris legimus) à Balach Moabitarum rege conductus, vt malediceret Israëlitis. Et econtrario à domino iussus vt benediceret, maluit deo quàm regi obtemperare, atque pro maledictione intulit maledictionem. Amalech deuorãs interpretatur, eumq; designat, qui deuorare animas hominum cõcupiscit. Sed qui Balaam est, deprehensis inimici dolis, magis quęret benedicendo obsequi deo, quàm maledicendo diabolo. Qui enim obsequetur deo, merebitur præmium, qui diabolo, supplicium.

De calumnia & detractione.

Cap. 30.

AD hæc, quoniam omnis offensa quam per linguæ intemperantiam alicui irrogamus, maledictũ dici potest, etiam ille qui conuitiatur, quíque famã carpit aliorum, non minus maledicus est, quàm qui deuoratione aliquem damnat. Conuitiis autem contendere atque rixari, insanire est, dicente Salomone: Omnes stulti miscentur contumeliis. Et iterũ: Labia stulti miscent se rixis, & os eius iurgia prouocat. Tales quippe clementissimum dominum ad iracundiam prouocant, hísque per Sophoniam prophetam minatur, dicens: Audiui opprobrium Moab, & blasphemias filiorũ Ammon quæ exprobrauerunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorũm, Propterea viuo ego dicit dominus exercituum deus Israël, quia Moab & Sodoma erit, & filij Ammon quasi Gomorrha. Ad inferos ergo præcipites delabentur Sodomæ & Gomorrrhę vrbium instar, qui linguam à contumelia probróque nõ coërcent. Nam hoc quoque illorũ vitium est, quod tam impatientes ad ferendam contumeliam sint, quàm auidi ad inferendam. Gaudent insilire dorsis aliorum, suo

Prouе. 20
Sopho. 2.

autem

autem velut indomiti equi neminem admittunt, atque hæc fermè natura contumelioſorum eſt: Eadem ratio detractorũ habetur, niſi quòd minus ei creditur, quod iratus opprobrat, quàm qui odium celans de moribus pronuntiat alienis, vt quẽ ipſe inſectatur, aliis quoque diſsimulata inimicitiá facilius odibilem reddat. Sed videamus qualiter & hi à domino plectãtur. Maria, quoniam Moyſen probro taxauerat, leprá perfunditur, & extra caſtra propellitur. Illis etiã qui de populo ipſum contumaciter offenderant, denegatum fuit terram ingredi ꝓmiſsionis. Ex quo apparet, detractores ab eccleſiæ cõmunione alienandos, & promiſſam fidelibus paradiſi regionem non ingreſſuros, niſi ad pœnitentiam conuerſi ſeſe correxerint. De iſto hominũ genere Pſalmiſta ait: Exacuerũt vt gladiũ linguas ſuas, intenderũt arcum, rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum, quibus & imprecatur, dicens: Muta fiant labia doloſą, quæ loquuntur aduerſus iuſtũ in ſuperbia & abuſione. Quinetiã ipſe dominus minacibus admodũ verbis aggreditur detractorẽ, dicẽs: Os tuũ abũdauit malitia, & lingua tua cõcinnabat dolos. Sedens aduerſus fratrem tuũ loquebaris, & aduerſus filiũ matris tuæ ponebas ſcãdalũ: Hęc feciſti, & tacui: exiſtimaſti inique qđ ero tui ſimilis? arguã te & ſtatuã illa cõtra faciẽ tuam. Et quoniã nihil terribilius eſt, quàm incidere in manꝰ furentis domini, ſubdit propheta & ait: Intelligite nũc hęc, qui obliuiſcimini deũ, nequãdo rapiat & nõ ſit qui eripiat. Et paulo poſt: Deus cõteret (inquit) dentes eorum in ore eorũ, molas leonũ cõfringet dominus. Quorum dentes? quorũ leonum molas? illorũ vtiq; de quibus alibi ait: Filij hominũ dentes eorũ arma & ſagittę, & lingua eorũ gladius acutus, & alibi, Acuerũt (inquit) linguas ſuas ſicut ſerpentes, venenũ aſpidum ſub labiis eorum. Quos etiam damnandos declarat, dicens. Caput circuitus eorum, labor labiorum ipſorum operiet eos, cadent

Num. 12.
Num. 14.
Pſal. 63
Pſal. 57
Pſal. 56
Pſal. 13

cadent super eos carbones, in ignem deiicies eos, in miseriis non subsistet. Per carbones & ignem & miserias, pœnæ designant inferni, cæteris atrociores, quales reor & ille diues patiebatur, totus quidem ardens, linguę tamen magis sentiens ardorem quam solã refrigerari frustra petiit, ex quo apparet quàm graue peccatũ sit detractio, quę talem meretur animaduersionem. Quòd si melius est (vt Salomon ait) bonum nomen quàm diuitiæ multæ, nónne magis peccat qui famam aliorum praua suggillatione denigrare conatur, quàm qui bona diripit, & innoxios exuit opibus. Vnde idem dicit: Cogitatio stulti, peccatum est, & abominatio, hominum detractor. Et hunc quidem veluti pestem quandã nos fugere suadet, dicens: Cum detractoribus non commisceaeris, quoniam (inquit) repente consurget perditio eorũ, & ruinam vtriusque quis nouit? Periculosa est enim cũ peruersis cõuersatio, ne ipse quoque peruertaris, & vna cum illis pereas. Non solum ergo cauendos esse, sed etiã detestandos docet Dauid cum ait: Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar. Si quãdo in eiusmodi hominem incidere contigerit, non præstemus aures, ora auertamus, non delectari nos, sed offendi suis sycophantiis malignus nugator cognoscat, & pudore confusus obmutescet. Id quoque Salomon testatur dicens. Vẽtus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.

Lucæ.16. Eccle.7. Prouę.24. Ibidem. Psal.110. Proue.25.

De delatorum malignitate. Cap. 31.

DElator etiam qui suis criminationib[9] discordias conserit, maledicitur in Ecclesiastico, vbi scriptũ est, Susurro & bilinguis maledictus. Multos enim turbauit pacem habentes. Et flagelli (inquit) plaga liuorem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa. Cui simile

Eccle.28. Proue.28.

ſimile eſt illud Salomonis, Iaculum & gladius & ſagitta acuta, homo qui loquitur contra proximũ ſuum falſum teſtimonium. Delatorum enim ea quoque malignitas eſt, vt vbi vera crimina quæ deferant, deſunt, falſa confingant, & mentes nimis credulas mendacio peruertãt, & vbi quietis ac pacis triticum ſatum eſt, ſuper ſeminent zizania tumultus & diſſenſionis; & hi quidem prophetico ore condemnãtur cum dicitur: Labia doloſa in corde & corde locuti ſunt, diſperdat dominus vniuerſa labia doloſa. In corde & corde loquitur delator, Pſal.11. quia duplex eſt, ſimulat ſe amicum illius, ad quem crimen defert, cui tamen auferre nititur quod amabat, eũ cui ipſe amicus erat accuſando. Diſperdet autem huiuſmodi accuſatorem dominus, quia ſiue falſum, ſiue verũ dixerit: non voto corrigẽdi proximum ſuum, ſed in inuidiam mittendi verba profert. Cui iterum propheta Pſal.51. pœnam denuntiat increpando ac dicẽdo: Dilexiſti omnia verba præcipitationis lingua doloſa, ꝓpterea deus deſtruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Sunt præterea qui aſsiduè contentionibus ſeruiunt, litigant, iurgantur, de quibus Salomon ait, Qui meditatur di- Proue.17. ſcordias, diligit rixas, & qui exaltat os ſuum, quærit ruinam. Interdum de re leuiſsima inter ſe diſsidentes ad maximos furibundi prorumpunt clamores, inde ne manibus quidem temperant. De verbis enim ad verbera facilè peruenire, proprium contentioſorum eſt atque contumacium. Cumque diu obſtinatis animis fuerit altercatum, ſanguine & cædibus pertinax finitur contentio, vſque adeo noxium eſſe ſolet, nolle linguæ moderari, & ſuperbiæ vitio ab altercationibus non recedere. Rectè itaque Iacobus Apoſtolus, Vbi zelus (inquit) & Iacob.1. contentio, ibi inconſtantia & omne opus prauum. Scri- Eccle.28. ptum eſt autem, Abſtine à lite, & minues peccata. Multiplicantur quippe nequitiæ, iracundia exardeſcit, concipitur

cipitur odium ex quo mala ingentia oriri solent cum lingua à velitatione non cohibeatur. Reliquum est, vt qui ita obduratus fuerit, diabolo flagellādus tradatur,
Proue.7 & hoc iuxta Salomonis sententiā dicentis: Semper iurgia quęrit malus, angelus autē crudelis mittetur contra eum. Neq; enim potest particeps esse æterni boni quod mitibus datur, neque expers esse malorum'que pessimū quem'que manēt: quia malis mentem animum'que non
Ibidem auerterit, & odij sermonibus nō abstinuerit. Vnde rursum Salomon ait. Qui peruersi cordis est non inueniet bonum, & qui vertit linguam, incidet in malum,

De maledicentiæ vitandæ cura.

Cap. 33.

VT autem cuncta maledicentiæ vitia deuitemus, imponēdum est ori frenum taciturnitatis. Quēadmodum loquacitas prona est ad lites & contentiones ita silentium quietis & placabilitatis est custos.
Psal.119 Vir linguosus (vt in psalmo dicitur) non dirigetur in
Proue,29 terra. Et in Prouer. Vidisti hominē velocem ad loquen
Prou.25 dum, stultitia magis sperāda est quàm illius correctio, Et iterum: Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suū. Sic vt ergo vrbs illa quam mœnia nulla protegunt, facilè aditum præstat inimicis, ita inconsulta garrulitas peccatis blandè subeuntibus aperit ianuas cordis. Cor autem quo repletū fuerit, hoc per oris claustra effundet cum in verba proruperit. Ex abundantia enim cordis os loquitur: quæ procedunt de ore, de corde exeunt, hominem'que coinquinant. E diuerso au-
Eccle.19 tem scriptum est: Qui odit loquacitatē, extinguit malitiam. Tacitus & sensatus honorabitur. Recordat' est Iob, duo quædam se fando emisisse, quæ emissa nollet, & ait: Manum meam ponam super os meum: vnum locutus

cutus sum, quod vtinam non dixissem, & alterum, quibus vltra non addam. Hunc igitur imitemur, & pœniteat nos verbositatis, qua certè non bis, sed millies lapsi sumus: quodque multiloquio nos deliquisse meminimus, silentio emẽdemus. Bonos viros taciti audiamus, vt discamus. Caueamus autem cum malis multum loqui, ne subuertamur. Rapsaci Assyriorũ duci, cum Hierosolymam obsedisset, & plebem verbis ad deditionẽ sollicitaret, nihil respondere permisit Ezechias rex, & suos tacere iussit. Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua. Seuerum Sulpitium qui diui Mart. Thuronensis episcopi vitam scripsit, cum se iam in senectute sua deceptum à Pelagianis agnouisset, silentium vsque ad mortem tenuisse Hieronymus tradit, vt quod per dicacitatẽ deliquerat, tacẽdo dilueret. Et tu ne lingua labaris, obserua quando loqui, quando tacere debeas, A Salomone diuinæ sapiẽtiæ viro est dictum, Tempus tacendi, tempus loquendi. Os tuũ aperi discere volentibus? Contendere autem rixariq; parantibus claude: neque nisi necessitate cogente respondeas, nisi vtilitate suadente loquaris. Quicquid præterea dicitur, superuacaneum est. De omni autem verbo otioso reddituri sumus rationem in die iudicij. Quòd si de otioso, quid de turpi? quid de mordaci? quid de rixoso iram inimicitiasque prouocante? Audi Apostoli præceceptum: Stultas & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quia generant lites: seruum autem domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilẽ, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistũt veritati. Et iterum: Omnis sermo malus (inquit) ex ore vestro nõ procedat, sed si quis bonus, ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Audi & prophetam dicentem: Quis est homo qui vult vitam, & diligit dies videre bonos? prohibe linguam tuam è malo, & labia tua ne loquantur dolum, diuerte à malo, & fac

Isaiæ. 36

Sulpiti. Seuerus.

Eccle. 3.

2. Tim. 2

Ephe. 4

Psal. 33

bonum, inquire pacem & persequere eam. Audi etiam
1.Pet.3. Apostolorum principem Petrum. Nolite reddere malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed econ trario benedicite: quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis. Memento quoq; quòd indignus habetur monachi nomine, qui tacere nescit
Iacob.1. cum oportet, dicente Iacobo Apostolo: Si quis putat se religiosum, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Deinde ait: Si quis verbo nō offendit, hic perfectus est vir, potest etiam freno
Iacob.3. circunducere totum corpus. Potest ergo omnibus corporis sensibus imperare, qui sic linguæ suæ fungitur officio, vt non delinquat. Recordare etiam ideò duas quidem te habere aures & os vnū, vt multa audias, & pauca loquaris. Lingua si bene vteris, iuuat: si malè, perimit.
Prou.3. Salomonis hæc sententia est dicentis. Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsi-
Prou.15. deratus est ad loquendum, sentiet mala. Et iterum, Lingua placabilis lignum vitæ, quę autem immoderata est conteret spiritum. Et rursum, Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem, lingua sapientum ornat scientiam, os fatuorum ebullit stultitiam. Quæ igitur dementia est, cum tui arbitrij sit linguam facere bonam, committere potius vt facias malam? Beatus es
Iob.6. si cum beato Iob dicere poteris. Non inuenietis in lingua mea iniquitatem, nec in labiis meis stultitia perso-
Ierem.17. nabit. Beatus es, si tibi ad dominum conuerso cum Ieremia gloriari licebit, dicente, Quod egressus est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit.

In fine operis peroratio. Cap. 23.

AD finem tandem operis deo auxiliante peruētum est. Cui soli gratias agimus atque habemus confitentes eius esse beneficium, quicquid à nobis rectè institutum rectéque tractatum fuerit. Nihil autem

non

non rectè dicitur, quod cœlestis disciplinæ veritate firmatur. Quare omnes equidem qui ista legent, rogatos volo, ne fortè incompti impoliti'que sermonis mei asperitate offendantur, ad ipsas duntaxat diuinæ scripturæ authoritates atque sensus animum applicent, & quod salubriter monentur, hoc etiam omni studio perficere curent, vt sanctè religiose'que viuendo vitam illam acquirant, qua melius felicius'que optari queat nihil, vitam inquam illam quæ non in terra habetur, sed in cœlo, incorruptibilem, immortalem, æternam, beatam, gloriosam, bonorum omnium plenissimam, & nullius participem mali, non philosopis, non oratoribus, non poëtis promissam, sed in Christum credentibus diuinæ'que obtemperantibus legi, hoc est, pietatem iustitiam'que colentibus. Nihil itaq; vobis proderit ô philosophi, scite subtiliter'que ratiocinari, nisi etiam innocenter integre'que vixeritis. Neque vobis rethores ornatè copiose'que dicere vlli erit emolumento, nisi compti & exculti virtutibus incesseritis. Neque enim vobis qui in bicipti somniastis Parnaso, in componendis poëmatib⁹ Homero atque Vergilio esse pares vsui erit, nisi profligata vitiorum labe, morum puritatem atq; mũditiam retinueritis. Huc igitur vota, huc studia vestra conferantur, vt si minus liceat eruditionẽ simul & virtutem possidere, magis optetis probitatem sine doctrina, quàm sine probitate doctrinam. Quòd si fidem, spẽ, atque charitatem sanctè colueritis, beatitudinis præmia deo largiente capietis. Ipsis autem qui ad illa perueniunt, impartitur & scientia plenior & eloquendi ratio præstantior, & virtus omni ex parte perfectior, q̃ nullus vnquam mortalium aut habuerit in terra, aut habere possit. Vbi enim beatitudo vera, ibi & omnibus animi bonis referta possessio. Quòd si Paulus ad tertium raptus cœlum, audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, si nec oculus vis, nec auris audiuit, nec in cor

Philosophi Oratores. Poëtæ.

OO hominis

hominis ascēdit, quāta preparauit suis cultoribus deus, profectò ista quæ oculis cernimus, quæ auribus excipimus, quę mente complectimur, illis quę omnem sensum superant, nullo modo valent comparari. Nihil igitur nobis ad summam felicitatem defuturum speretis, si non defuerit virtus. Cuius quidem leges atque præcepta in his libris satis (vt reor) abundéque à me relata sunt, non ea inquā præcepta, quæ homines qui errare possint, tradant, sed quæ ipse hominum angelorumq́; conditor deus, in quo solo nullus omnino cadere potest error, tribuit nobis. Ipsum ergo audiamus, ipsum sequamur, ad ipsius doctrinam, vitam moresq́ue componamus, si ad ipsum, vt summo illo indicibiliq́ue bono semper fruamur, volumus peruenire.

EVANGELISTARIVM MARCI MARVLI VIRI disertissimi, & euangelicæ eruditionis veri doctoris, finit.

AD DOMINVM GVN-
therum de fide, Meginardi Præfatio.



CVM me negotiosissimi magistrat⁹ cura implicueris, instas tamẽ & vrges dulce dec⁹ meũ, Gunthere, haud sanè dixerim, vtrũ verecundius an cupidius, vt nouá operã non tã arduã, & difficilem, q̃ planè impossibilẽ suscipiã. Vnde apparet, quòd iniũcti muneris modũ ꝑfunctiora metiris æstimatione: dum aliquid ei adiiciẽdũ sperare præsumis. Equidem si excubiæ nostræ solis adolescẽtũ ingeniis liberali eruditione colendis assiderent, quod vnicũ curriculũ pleraq; veterũ studia sibi vẽdicarũt, laboris mala famæ nominisq; momenta mihi pensarẽt. Verùm nũc qui præfecti scholarũ habentur, gemina ꝓ ecclesiastico vsu fũctione multantur. Primas enim partes formãdis moribus impẽdunt, secũdas verò literarũ doctrinę insumũt. Quorũ vtrũuis cũ tantũ incurras assurgat, tũ verò cõpositũ humanis viribus sustineri nõ valet. Nemo certè nisi expertus, hãc solicitudinẽ nouit expendere. Verũtamen ego volũtate tua cui me vnicè deuoui, adductus, in hoc quasi pręludio infernaliũ pœnarũ, tibi exerceri patior, maximè cùm iã propinquior suscepti actus, plaudite optatissimo, ꝑsonã hãc operosissimã deponendã deo ꝓpitio auspicer. Illa verò ꝗ sarcina, qua nũc hũeros nostros onerare disponis, nõ tã me ꝓmit, q̃ elidit: nec tã difficultate grauat, q̃ horrore exanimat. Luculẽtissimè q̃ppe dictũ est, q̃a etiã vera de deo dicere

periculosum est, flagitas enim, vt de fidei symbolo cōpendiosum tibi elaborem opusculum, in eū scilicet modum, vt & catholicæ veritatis integritas eluceat, & hæreticæ prauitatis venena, quibus eam homines perditissimi aspergere & violare conati sunt, expressis authorū nominibus denotentur. Quam rem cùm præcipui ecclesiarū doctores, studio sacrarū literarū flagrātissimi, vsu earum exercitatissimi, ingeniis acutissimi, alij penitus cùm idipsum postularentur, declinauerint: alij cū multa deliberatione vix aliquando annuerint, quis nō iustissima indignatione temerarij me, imò sacrilegi incœpti condemnet, vt tale quid audeā, qui vix summo ore, & primis (quod dicitur) labris hęc diuina libaui. Sed parcāt exagitare nostrū pudorē. Nemo in me accusator atrocior me ipso, nemo cēsor seuerior, & tanto magis supra alios, quantò meipsum familiariùs per omnia noui. Nec enim sic amator mei sum, vt meā ingenij exilitatē, oris angustiam scire fastidiam. Adde huc, quod in hoc genere scriptorum maximè pertimescendum est, vitæ labē & cōscientiæ infirmitatē. Quæ cū in exercitiis cōmuniū studiorū occupato nō ita magno sint impedimēto, in hac parte, pniciosa mihi planè intelligo. Quis enim nō videat parem mereri dānationē eum, qui sacramētū dominici corporis indignus assumat, & eum, qui verbū dominicū prophanis corruptus moribus tractare prę sumat? vides igitur facilè nimis, vt verius aliquid non dieā tātæ rei efficiēdæ de me p̄sumptā opinionē, q̄ tibi qui tā deliberato & inoffenso iudicio alia soles exigere, Indulgentior forsan erga me beneuolentia induxerit. Sed quia singulare bonū obedientiæ sic impensæ diuinis cōmendatur eloquiis, vt qui ei resultauerit, frustra nomē Christianū vsurpet, nō ausim pro virili quidē parte non præstare quod iubes, si tamen diuini fauoris aura vela nostra nō destituerit. Et quia rudis adhuc tyro in his castris abs te cogor, militare nolo: quis arbitretur

tretur rudiméta nostra superba aliqua temeritate grassari, scilicet vt quod semel effutiã, sacrosanctũ iudicem, quin poti⁹ quicquid erit quod nobis superna gratia irrogauerit, hoc ad suum veritatis fonté syncera & plenaria laude reuocetur, Si quid verò meũ, id est, falsum effudero (qui enim médaciũ loquitur, de suo loquitur) nõ ego id deprehensum peruerso tutabor patrocinio, sed tã seuera q̃ debita animaduersione error meus à suo ipsius paréte iugulabitur. Vt ergo liberiore quodã spatio ea quæ intendimus, in hoc quasi spectaculo possint exponi, altius ordiendum videtur. Pauca enim de ipsa fide, nonnulla de varietate symboli p̱ stringemus, tum demum ipsum symbolũ, & pestes hæresum insigniores illis & quasi capitales, & quæ maximè in ipsam symboli regulam offendant, deo propitio persequemur.

LIBELLVS MEGINARDI VIRI ERVDITIS. AD D. GVNTHERUM DE FIDE, SYMBOLO APOSTOLICO, & PESTE MULTARUM HÆRESUM.



EST igitur fides, vt Apostolus ad Hebræos scribẽs diffinit, sperandarũ rerum substantia, argumẽtũ nõ apparẽtium. Quænam sint quæ fideliũ pietas expectare & sperare debeat, ita copiosè in latissimo diuinarũ scripturarum campo diffusum est, vt nemo in hac quidẽ parte suam ignorantiã possit excusare. Vt enim aliquãta de infinitis breuissimè attingã, ipsa veritas in Euangelio ait: In resurrectione neque nubẽt, neq; nubẽtur, sed erũt sicut angeli dei. Et iterũ: Fulgebũt iusti sicut sol in regno patris eorũ. Apostolus etiã: Mortui, inquit, estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in deo. Cũ enim Chri-

ftus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cũ ipso in gloria, ad Corinthios etiã, Oportet, ait, corruptibile hoc induere incorruptionẽ, & mortale hoc induere ĩmortalitatẽ. Iohãnes quoque dicit: Dilectissimi filij dei sumus, & nondũ apparuit quid erimus: Scimus, quoniam cũ apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Hæ sunt res sperandæ, quarum substantia fides esse dicitur. Sed quonam modo vt fides substantia sit, asseritur? An non omnis substantia corpus est, aut spiritus? Appellatur tamen etiã possessio substãtia: Sed quis ex his modis fidei conueniat? An fortè spiritum eam esse verisimile sit, quia res est incorporea? An non potius ipsa fides cuiusdam spiritus, id est, humanæ mentis, spiritualis est effectio? nunquid non etiã angelicæ creaturæ quandam fidem esse dicamus? Veruntamen modo differt. An fortè generaliter quicquid est & subsistit, substantiam nuncupauit, & eo modo fidem etiam substantiam esse, intelligi voluit? Admitti quidẽ hæc sententia possit, veruntamen quod subiũgitur, nõ recipit hunc intellectum. Ait enim: Fides est substantia sperandarum rerum. Sperandum quippe est spirituale corpus, vt hoc vnum ex omnibus dictum sit. Quomodo ergo fides nostra spiritualis corporis asseratur substantia? An fortè dicemus figuratè Apostolum hoc vocabulo vsum, vt significantiùs ipsius fidei efficaciam exprimeret? Solenne quippe id Apostolo est, suo quodam modo translatiuis nominib⁹ rem præsentissimè exponere, velut ad Colos. scribẽs de Christo ait: Quia in ipso ĩhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Corporale vtique propriè aliquid dicitur, cum de corporib⁹ agitur. Diuinitas porrò quomodo corporaliter inhabitat? neque enim corpus est. Sed translato vocabulo rem aperuit. Nam quia sacramenta veteris testamenti appellat vmbras futuri propter vmbrarum comparationem corporaliter dixit habitare in Christo plenitudinem

nem

nem diuinitatis, quod in illo impleantur omnia quæ illis vmbris figurata sunt, ac si quodammodo vmbrarum illarum ipse sit veritas. Sic ergo ipse figuræ significatiuæ translato verbo vsus est, vt si accipias corporaliter, ac si diceretur, solidè ac veraciter. Secundum hunc ergo modum figuratæ locutionis, fides quoque sperandarum rerum substantia appellatur, nō quod propriè earum sit substantia, sed quia fides, quę per dilectionem operatur, & ex qua iustus viuit, per quam etiā data est potestas, vt filij dei vocemur & simus. Illa, inquam, fides ita firma certáque spe æternæ beatitudinis prœmia in ærumnosa huius vitæ peregrinatione meditatur, vt in eorum cordibus, qui charitate quæ per spiritum sanctum in eis diffusa est, dilatantur: iam nūc per ineffabile desiderium ea faciat subsistere. Vnde frequenter Apostolus de ipsa vita nostra futura, quæ iam in ipso homine mediatore Christo Iesu capite nostro resurgēte completa est ita fidenter gloriatur, quasi iam assit, præsensque teneatur, velut ad Ephesios scribens, ait: Deus qui diues est in misericordia, propter nimiā charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati, & corresuscitauit & considere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Certè enim in cœlestibus Christus iam sedet, nondum autem nos. Sed quia fide certa quod futurum est iam tenemus, simul sedere nos dixit in cœlestibus. Non enim ait: Excitaturus est nos, & in cœlestibus sedere facturus, sed excitauit & sedere fecit, quia nō inaniter, sed fideliter iam deputat factum, quod futurum esse non dubitat. Necminus ad Corinthios loquēs cum hanc ipsam fidei immobilem certitudinē & quasi substantiam commendaret, inter cætera hoc etiam subiecit: Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnē. Nūqdnā e vita iā excesserāt, & carnis mortalitatē exuerāt, quos tā īstāter ad ipsius carnis edoma-

tionem & vitę correctioris habitũ prouocat? Absit. Sed quia illorũ secũ vitã futurã tanq̃ præsentem meditabatur, qui resurgentes cõmutabũtur, ex hoc, inquit, neminem nouimus secundũ carnem, id est, tã certã spem tenemus futurę nostræ incorruptionis & immortalitatis, vt iam in ipsa notitia gaudeamus, & nõ in hac carne mortali, sed in sola illius expectatione viuamus. Hoc ergo modo, aptissimo quidem, licet insolẽtissimo fides substantia esse videtur. Sed quid est, quod in eadẽ definitione fidei annexũ est: Argumentũ rerum non apparentiũ? His profectò paucissimis verbis omnis illa inflatio humanæ sapientiæ velut acu puncta difflatur & exploditur, cui dum aliquid secùs q̃ solemus, ordo naturæ celebrat, ab ipso naturæ conditore actum proponitur, insanis clamoribus oblatrare assolet, rationẽ causam'q; facti procacissima insipientia postulans, nec aduertunt homines perditi magis quàm periti, in his quę vsitato naturæ cursu administrantur, nõ incõpetenter cũ pręstari possit, flagitari rationem. In his verò quæ nouè & extraordinariè diuinitus exhibentur, fidei pietatẽ exercendam esse, nõ temerariã & incõsideratã discussionem. Intelligentia enim rerũ spiritualiũ, quas animalis homo non percipit, fidei humilitatis'que meritò cõparatur. Vnde propheta, Nisi credideritis, inquit, non intelligetis, & in Cãticis cãticorũ spiritus sanctus protestatur, Ab initio fidei ꝑtransibis. In cõtrouersiis siquidem & disceptationibus naturalium, seu quarumlibet huiusmodi quæstionum, assensum fidem'que rerum dubiarũ præcedens probatio elaborat, & pręueniens intellectus cõmendat, in diuinis verò scripturis vt intelligas, oportet te fide quę præcessit, promereri. Quia ergo dispensationem diuinæ pietatis, qua salutem nostrã operatur, vel de ipsa ineffabili trinitate & vnitate dei quæcunque euangelica vel apostolica autoritas tradidit, nõ humanis suspicionibus vt ita sint, colligimus: sed

ideò

ideò certissimè nouimus, quia fide percepimus, ob hanc rē ipsa fides argumentū dicitur, id est, probatio & absolutissima notio, & quasi insignitio rerum nō apparētium. Est igitur fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, sed nūquid non est fides: rerum præteritarum. Nōne in eadem epistola post paululum idem Apostolus ait, Fide intelligimus aptata esse secula verbo dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. Nōne omnia prioris testamenti mysteria, quæ non credere extremi sceleris est, decursu temporis sublata sunt & quasi sepulta. Hæccine ergo credēda sunt ea fide, quæ sit sperādarum rerum substantia? Quis hoc vel dementissimus dixerit? Denique vt hæc interim missa faciamus, nōne tota dispēsatio dominici hominis prædestinata serie digesta & consummata, inter prę̨terita numeratur. Aut hæc ergo fide Christiana non sunt amplectē da, quod absit: aut familiarius quid Apostolus eo modo diffiniēdi innuerit, dispiciendum est. Per omnia igitur, quæ ab ipso mediatore dei & hominū acta veneramur, via nobis quodammodo ad perpetuæ beatitudinis capessenda præmia præparatur. Neque enim in ipsis finē æternæ felicitatis & felicissimæ ę̨ternitatis quæ Deus est, ponimus: sed per illa in illam ceu finem currimus, quem omnis fidelis anima in erēmo huius vitæ ardentissimo anhelat desiderio. Vnde cum ipsa veritas & verbum per quod facta sunt omnia, caro factum sit vt habitaret in nobis, tamen ait Apostolus: Et si noueramus Christum secundum carnem, sed nunc iā non nouimus. Ille quippe, qui non solum peruenientibus vitæ perennis possessionem, sed etiā viam se præbere voluit veniētibus ad principium viarum voluit carnem assumere. Vnde etiam illud, Dominus creauit me in principio viarum suarum, vt inde inciperent qui vellent venire. Apostolus igitur, quamuis adhuc ambularet in via, & ad palmam supernæ vocationis sequeretur vocantem dominum,

dominum, tamen ea quæ retro sunt obliuiscens, & in ea quæ ante sunt extentus, iã principiũ viarum trãsierat, id est, eo non indigebat, à quo tamen aggrediendum & exordiendum iter est omnibus, qui ad veritatem peruenire, & in vita æterna permanere desiderãt. Sic enim ait: Ego sum via, veritas & vita, hoc est, per me venitur, ad me puenitur, in me permanetur. Ex quo intelligitur quia nulla res in via tenere nos debeat, quãdo nec ipse dominus in quantũ via nostra esse dignatus est, tenere vos voluerit, sed transire, ne rebus temporalibus, quamuis ab illo pro salute nostra susceptis & gestis hæreamus infirmiter, sed per eas potius curramus alacriter, vt ad eum ipsum qui nostram naturam à temporalibus liberauit, & collocauit ad dexterã patris, puehi atque peruehi mereamur. Quãuis igitur plenaria fide tã præterita quàm futura, nõnulla etiã præsentia, credamus, quia tamen præteritis vel præsentibus ad fidem, spẽ charitatem'q; futurorum & imperitia nostra instruitur et infirmitas adiuuatur, solã eã veluti causã finem'q; oĩm diffinire maluit Apostol⁹, licet in eo quod dixit fidẽ argumentũ esse rerum non apparentium, omnia hæc tempora aliquatenus videatur amplexus. Est igitur fides sperandarum substãtia rerũ, argumẽtũ non apparentiũ. His ergo absolutis, de symboli varietate, vt polliciti sumus, inchoandum videtur. De cuius primaria institutione, breuissimè aliquid perstringendũ est.

CVM enim post ascensionem domini per aduentũ spiritus sancti supra singulos quos'que Apostolos igneę linguæ sedissent, & oĩm linguarum infinita diuersitas per eãdẽ intelligẽtiã in eis vniret qđ eis nulla gens extera, nulla Barbaries inaccessa videretur & inuia, præceptum eis à domino datum est, vt ob prædicãdum dei verbum, per singulas quas'que diffunderentur nationes. Discessuri ita'que ab inuicẽ normã sibi priùs

futuræ

futuræ prædicationis in commune constituunt, ne fortè alius aliò abducti, diuersum aliquid his qui ad finem Christi inuitabantur, exponerẽt. Omnes igitur in vno positi, & spiritu sancto repleti, breuè istud futuræ (vt diximus) prædicationis indiciũ conferendo componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulã statuunt. Symbolum autem hoc multis & iustissimis ex causis appellari voluerunt. Symbolũ enim græcè, & indicium dici potêst & collatio, hoc est, quod plures in vnum cõferunt. Id enim fecerunt apostoli in his sermonibus in vnum conferendo, vnusquisque quod sensit. Indiciũ autẽ vel signum idcircò dicitur quod omnes ei fideli assensu obedientes, in Christi se nomen transisse indicarẽt. Ob hoc denique non scribi hæc chartulis aut membranis, sed retineri in cordibus tradiderunt, vt certum esset, neminem hæc ex lectione, quæ interdum peruenire etiam ad infideles solet, sed ex apostolorũ traditione didicisse. Cuius scilicet traditonis hæc formula est. Symbolum quid.

CRedo in deum patrem omnipotentem &c. quæ in eo sequuntur. Hunc fidei tenorẽ simplicissima integritate, & integerrima simplicitate per ipsos Apostolos diuinitus gestum & exactum, sine omni immutatione seruauit ecclesia, vtpote vnicum Christianę * spei fundamentum, quod neque venti impellerẽt, neque flumina subruerent, neque tempestatum ac procellarum turbines permouerent, licet iam tũ inter ipsa rudimenta nascentis ecclesiæ nonnullæ hæreses pullularent, quarũ etiã Apostolus ad Timotheũ scribẽs ita meminit. Prophana inquit, & inaniloqa deuita. Multũ enim ꝓficiũt ad impietatẽ, & sermo eorũ vt cãcer serpit. Ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderũt, dicentes resurrectionẽ iã factã, & subuerterũt quorũdã fidẽ. Verũ illis in temporibus cũ exterius tempestas persecutionis sine intermissione ꝑ totã grassa- * aliàs fidei.

Digitized by Google

grassaretur ecclesiam,nullus locus cogendis erat conciliis,nulla occasio arguendis vel refellendis erat hæreticis:passione,non disputatione omnia feruebant, fidem non loquendo,sed moriendo vindicabant, sanguinem fundebant non verba.Cùm verò tonitrua illa persecutorum aliquando dextera domini compescuisset,& per Constantinum piissimum principem serenitas pacis ecclesiis cœlitus affulsisset:alio quidem, sed, quod fateri necesse est,magis perniciosò modo periclitari cœptum est.Intestinis enim morbis grauissimè tentata est ecclesia,& ex ipso corpore illius pestilentissimę hęreses ebulliêre quę latè ꝑuagantes horrẽda erroris tabe multarũ animarũ vitalia corrupêre.Inter quas quoddam crudelissimum ulcus erûpit. Arius videlicet Alexandrinæ p̃sbyter ecclesiæ,qui cũ in eadẽ ecclesia exponẽdis publicè scripturis pro antiquo more præfuisset,quod etiã Origenes factitarat,sacrilego furore incitatus,impiam euomuit blasphemiam, dicẽs dominũ nostrum Iesum Christum minorẽ esse patre,nec eiusdem cum eo essentiæ.Quæ vesania ipsius,cum neq; in ipso compesci ꝓpter pertinacissimam ipsius nequitiam potuisset,& aliquorum furioso assensu(vt sunt quæque prauissima ingenia in superbas nouitates procliuissima)magis magisque roborari videretur,iubente ipso Constantino, insigne illud & famosissimum cõciliũ apudNiceã Bithyniæ celebratũ est,ibiq; ad extirpandam Arij impietatem,& exprimẽdã omnigenam filij cum patre æqualitatem,apostolico Symbolo pleraq; verba sunt addita, nõ quia breuissimè pestis Ariana potuerit expungi,sed quia hæretica versutia multaque ab orthodoxis fidelissimè posita erant,callida interpretatione eludere,&in sui dogmatis peruersitatẽ refringere conabantur.Aliquibus etiam verbis Sabellio & Paulo, quorum hæreses tunc à perditissimis hominibus circumferebantur, obuiatum est.Porrò Nicenæ fidei hic textus est.

Arius & Origenes.

Sabellius. Paulus Samosatenus.

Credi-

CRedimus in vnum deum patrem omnipotentem, omnium visibilium nec non & inuisibilium factorem & in vnum dominum nostrũ Iesum Christum filium dei natũ ex patre vnigenitũ, id est, ex substantia patris, deum ex deo, lumen ex lumine, deum verum ex deo vero, natum, non creatũ, homusion, hoc est, eiusdem cum patre substantiæ: per quem omnia facta sunt, cœlestia & terrena. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit. & incarnatus est, & homo factus, passus est, & resurrexit tertia die, ascendit, venturus inde iudicare viuos & mortuos: & in spiritum sanctum. Post hanc munitissimam & saluberrimam fidei expositionem, Arianas blasphemias cum suo anathemate subiecerunt in hunc modum. Eos autem qui dicunt: Erat quando non erat, & antequam nasceretur, non erat, & quia ex nullis existẽtibus est, vel ex alia substãtia aut essentia dicunt trepton, id est, conuertibilem aut mutabilem filium Dei, hos anathematizat catholica & Apostolica ecclesia. Cũ ergo hęc diffinitio fidei ã patribus Niceni concilij diuinitus inspiratis edita fuisset, debita reuerentia & accepta & seruata est per totum orbem Christianum, & hoc est secundum symbolum, quod in eadem veneratione, qua illud Apostolicum, vt pote in eodem spiritu expositũ, tota amplectitur ecclesiã. Nec multò pòst, cum nondũ ex Ariano naufragio satis respirasset, emersit Macedonius detestabile par Arij. Nã vt ille filiũ, sic iste spiritũ sanctũ creaturã esse asserere ausus est. Apollinaris etiã nouus hæresiarcha, in hũc dãnatissimũ gregẽ se permiscuit, pertinacissimè affirmans Christũ Iesum animam rationalem nõ habuisse sed ipsa deitate verbi ꝓ ea, dũ incarnaretur, vsum fuisse. Vt ergo hæc quoque zizania ex agro dominico eradicarẽtur, conuenêre apud Constantinopolim centum quinquaginta patres & Macedonio ꝓfanæ sectæ autore dãnato, cæteris item qui cõ traria

τρεπτὸς

Macedoni⁹.
Apollinaris

traria Apostolicis regulis loquacitate impia latrarãt à cõmunione ecclesiastica repulsis, latiorem symboli formam promulgauere, quam nunc vniuersalis ecclesia publicè prædicat & frequentat. Est autem huiusmodi.

Credo in vnum deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omniũ & inuisibilium, & cætera quæ decantari assolent. Hæc est tertia varietas symboli, prioribus cõsonantissima, nec in vllo discrepans. Ex illo enim quasi grano apostolici symboli, geminæ hę traditiones germinauere. Post hãc ergo tertiam editionem fidei, placuit omnibus, ne quid vlterius licitum foret aut addere, aut demere, aut qualibet immutatione variari: quod statutum ratum & immutabile seruauit ecclesia, quamuis nonnullæ posteriori tempore hæreses extiterint. Verùm nũc exposita varietate symboli operæ precium facturus videor, si eorũ sermonum, qui vel in Nicena, vel in Cõstantinopolitana synodo superadditi reperiuntur, rationes causasque breuiter subiiciam, & quia ipsum principium symboli cuiuslibet quo pronunciatur: Credo in deum, intentiores aures scrupulo quodam obscuritatis interdum solet offendere, in primis id elucidandum forsan non ingratum studiosis sumam: quidnam sit credere in deum vel deum, aut credere deo vel credere in deo. Credere igitur in deum est credendo in deum ire, & eius membris incorporari. Sic etenim ait Apostolus. Vos estis corp⁹ Christi & membra. Hoc autem agitur in nobis ea fide, quæ per dilectionem operatur & quia ipsa dilectio desursum est, id est, à patre luminũ, à quo est omne datum optimum, & omne donum pfectũ, ideò ipsa veritas ait: Hoc est opus dei, vt credatis in eũ quẽ ille misit. Credere ergo in deũ ꝓpriũ est quasi signaculũ ꝓdestinatorũ. Quisquis enim sic credit, hic spiritu dei agitur, huic pater est deus, hic hęres est dei, huic frater est Christus hic cohæres est Christi. Illo aũt modo locutionis dicitur:

Credere in deum.

tur: Credo in deũ, q̃d dici possit, fumus deficit in aëra, vel glacies deficit in aquã vel panis deficit ĩ carnẽ. i. suo quodã defectu & trãsmutatiõe in naturã carnis absumi tur. Credere porrò deũ, hoc est, fidẽ habere deũ eẽ. Hoc modo credũt Iudęi, hoc modo dæmones etiã credũt & cõtremiscũt. Credere autem deo, est fidẽ dictis vel promissis eius habere. Credere verò in deo, eãdẽ fere sentẽtiã habere cũ eo quod primũ posuimus. i. credo in deũ. Sic enim in Euãgelio Ioãnis inuenitur: Quotquot aũt receperũt eũ, dedit eis potestatẽ filios dei fieri, his qui credũt in nomine eius. Credere tamen in deo insolẽtiùs ad vsũ latinitatis dicitur: credere verò in deũ, lõgè signi ficãti us celebrior vsus obtinuit. Nõ ergo quisqs credit deo, vel credit deũ, cõtinuò etiã credit in deũ vel ĩ deo. Quisquis verò credit in deũ vel in deo, cõsequẽter etiã credit deo vel deũ. Diuino igitur aspirãte fauore, soluẽdũ est, quod promisimus. Quia ergo Sabellij hęc sentẽtia vel potius insania fuit, vt diceret, quia idẽ qui pater est, & filius, & spiritus est, neq; vlla ꝑsonarũ differentia est, sed tãtũ vocabulorũ, vnde etiã Patripassiani sequaces eius inscripti sũt, eo q̃d patrẽ passũ cõfessi sint, vtpote cuius vnã eãdẽq; cũ filio ꝑsonã suspicarẽtur. Ad cõpescẽdã ergo hãc blasphemiã, in prima frõte symboli addendũ cẽsuerũt: In vnũ & paulò pòst, cũ ad filij ꝑsonã ventum esset, illic etiã: In vnum ascripsere, vt dum pater vnus asseritur per se, & filius item per se vnus in differentiam personarum, quam ille introduxit, sana intelligentia respueret. Et quia plerique hęretici, vt Manichæus & Priscillianus, duo principia inter se diuersa, & sibi aduersa opinãtur. Priscillianus etiam hũc mũdũ à maligno principe cõditũ affirmat, adiecere: Visibiliũ oĩm & inuisibiliũ, vt nihil omnino nõ ab vno patre deo factũ catholicus sensus admitteret. Hinc iam labyrinthus Arianorum Satana architecto multipliciter impeditus, aperiendus est. Cum ergo orthodoxi

Credere deũ

Credere deo

Credere in deo.

Manichęus & Priscillianus.

doxi operam darent, vt virus exitiale eiusdem hæresis penitus expiarent, & æqualem filij cũ patre deitatem euidẽtissimè declararent: hæretici verò singula eorum dicta ad propriã insaniã sophisticis dolis retorquerẽt, coacti sunt plura in eandem sententiam cumulare, ne qua occasio vel aditus decipiendi prophanæ superesset pfidiæ. In primis ergo addidere: Filiũ dei, hoc Ariani velut optatũ sumpsere, dicentes secũdũ Apostolũ, quia omnes filij dei sumus, subiũxere: Vnigenitũ, quod Ariani sic interpretati sunt, vt Iesus Christus secũdum eã dignitatẽ, qua omnes creaturas singulari excelleret gloria, aut incõgruè nũcupari posset vnigenitus, licet sit creatura, atque hoc in loco testimoniũ illud Salomonis pessimè intellectũ adhibuere: Dominus creauit me initio viarum suarum. Adiecerũt: & ex patre natũ: hoc quoq; hæretici nõ alienum à creatura esse asserebant, iuxta illud Isaiæ: Filios genui & exaltaui. Tũ placuit addi: Ante omnia secula. Neq; hoc repudiauere perfidi de Christo iuxta illos creato. Ante omnia enim tẽpora & ante omnia omnino secula, non solum Christum, sed etiam angelos ipsumq; diabolũ creatũ esse affirmabãt. Adiectũ est: Deũ de deo, nec minus hoc sinistra eorũ intercepit interpretatio. Dicebãt eni, qa & ipsi dij essẽt, ex deo, cum Apostolus dicat: Omnia autem ex Deo. Vt etiam hoc excluderetur, additũ est: Lumen de lumine. Pari modo hoc quoq;, vt cętera cauillari ausi sũt. Quẽlibet enim fidelẽ ex deo lumine lumẽ esse, vt in Euãgelio ipse Christus discipulos alloquitur, dicens: Vos estis lumẽ mũdi. Et Apostolus: Fuistis, inquit, tenebræ, nunc aũt lux in dño. Ad discretionẽ ergo hui⁹ adoptiuæ deitatis, apposuere: Deum verũ de deo vero. Hoc etiã hęretica impietas vsurpare p̃sumpsit, dicẽs de vero deo, patre scilicet, & Christum verũ deum esse, sed factũ. Omnes quippè electos ex vero deo veros deos esse, sed factos, alienum quippe à vero deo esse, vt falsorum deorũ

author

author esset. Ad explodendam ergo & hanc tam callidam tergiuersationem, subiunxere: Genitum non factũ. Sed neque hic versipellis quieuit fallacia, opposuere illud Deuteronomij: Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es domini creatoris tui. Cum ergo tot laqueos belua immanis declinasset, tot nodos elusisset, cum graui vexatione orthodoxi propter hanc tam sacrilegam verborum ventilationẽ iactaretur, post multa certamina vltrò citroq; habita vnum hoc verbũ nulli dubiũ quin spiritu sancto suggerente, addidere, quod Græcè homusion Latinè verò consubstantialis dicitur. Tum deniq; pestis acerbissima capta, tũ strangulata, tum planè extincta est. Subintulere igitur: Per quẽ omnia facta sunt: vt liquidò constaret, ipsum non esse factũ, cum per eum omnia facta sunt. Atq; hæc omnia in damnationẽ Arianæ hæreseos prolata sunt. Quia verò Cherintus & Ebion & Paulus Samosatenus, aliiq; nonnulli Christum purum hominẽ fuisse asseruere, & ex Maria virgine tantum initium sumpsisse, contra hanc tam hæreticam opinionem adiecere: Qui propter nos homines & propter nostrã salutem descendit de cœlo. Et quoniam Martion, eiusq; sectatores de cœlo eum carnẽ secũ attulisse blasphemabãt. Valentinus porrò phantasticũ corpus, & non verum eum habuisse affirmabat, ad hos confutandos adiecere: Et incarnatus est. Porrò in Nicena Synodo prætermissum est, de spiritu sancto, ex Maria virgine. Verum hi qui apud Constantinopolim cõuenere, vt in hac etiam parte catholicã fidem munirent cõtra eorum insaniam, qui beatam virginẽ ex viri coitu solenni more pariendi Christũ genuisse impiè iactabant. vt Arthemon, eiusq; complices, alij verò eam post editum partũ insigne virginitatis perdidisse, alios etiã liberos peperisse, rabiosè latrabãt, vt Heluidius. Ad harum ergo bestiarum internicionẽ reuocatum est: De spiritu sancto ex Maria virgine, quamuis hoc in apostolico symbolo longè signãtius & expressius positum sit, cum

ὁμοούσιος.

Cherintus Ebion, Paulus Samosaten9.

Martion Valentinus.

Arthemon

Heluidius.

dicatur: Conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Apollinaris verò & ipse sua tabe multos infecerat, volens persuadere Christū aīam rationalem nō habuisse, sed pro ea, diuinitate in carne vsum fuisse, vnde cōsequebat̄ eū hoiem nō fuisse vtpotè qui aīa rationali caruerit. Cōtra quā tā pestiferā vocē opposuere: Et hō factus est. Origenes autē vanitate impiissima ex philosophorū lectione persuasus, disputabat quādā purgationē malorū.i. eos qui hāc vitā in flagitiis & facinorib. quālibet maximis finierint, ipsum etiam postremo diabolū atq; angelos eius, quāuis post longissima tempora, purgatos atq; liberatos regno dei luci'q; restitui, & rursus post longissima tēpora omnes qui liberati sunt, ad hæc mala denuò relabi & reuerti. Ad cōpescendā ergo tam perniciosam blasphemiam, addendū censuere post alia interposita: Cuius regni non erit finis. Macedonius autem sacrilegam turbam de spiritu sancto excitauit, quę etiam principalis causa concilij apud Cōstantinopolim cogendi fuit. Affirmabat enim spiritū sanctum creaturam esse, nec vnius eiusdem'q; cum patre & filio essentiæ credendum. Tum sacer ille conuentus ipso spiritu de quo agebatur, illustratus, hoc impietatis monstrū iugulauit, veruntamen plurimis sententiis. Nam Macedoniani quoq; velut prius Ariani, quæ verè fideliter'que dicta essent, frustrari & labefactare tētabant. Cū enim catholici spiritum sanctū, dominum & viuificātem, & ex patre filio'q; procedentē pronunciassent, & hæretici hæc omnia in creaturā etiam cadere alienissimis scripturæ testimoniis perstreperent: tandē aliquando peruicaciam illorum repressēre, dicētes: Qui cum patre & filio simul adoratur & conglorificatur. Deinde vt illorum etiam refellerēt perfidiā, qui antiquos dei prophetas, non inspiratione diuina irradiatos, sed dæmonum energia cōcitatos, futura cecinisse iactabāt, vt Apelles, post declaratam spiritus sancti cum patre & filio æqualem maiestatem, munus quoq; gratiæ ipsius, quo homines

(Margin notes: Apollinaris; Origenes; Macedoni⁹; Apelles)

nes dei impartiri dignatus est, prudẽtiſsimè ſubiecere: Qui locutus eſt per prophetas. Et quia pleriq; hæretici ab eccleſiaſtica cõmunione repulſi, ſua conciliabula celebrabãt, eam'q; eccleſiã ſuperbè mentiebantur, vt Nouatiani, alij'q; innumeri, ne hac mendaci ſuperbia infirmiores auditores dãnabiliter lactarẽt, aſcripſere: Vnã ſcilicet ſanctam catholicã & apoſtolicam eccleſiã. Ad hæc cum hæreſis iam ex antiquo orta fuiſſet, cuius multi feruntur authores, quæ rebaptizandos omnino cenſeret eos, qui ab hæreticis (licet in nomine trinitatis) baptizati fuiſſent, in qua opinione Cyprianus etiam vir eruditiſsimus & glorioſiſsimus martyr fuiſſe aſſeritur, propter hanc hæreſim eradicandã, addidere: Vnum baptiſma, & hoc modo perfectiſsimã ſymboli formã conſummauere. His ergo nõ otioſa forſan, licet breuiſsima tractatione decurſis, inchoandũ eſt illud, quod tuæ poſtulationi ſingulariter debetur, ſcilicet vt fidei regulã latius huberius'q; amplexus, inſidias hęreticorum, quibus hanc regiã viam infeſtare moliti ſunt, quaſi tranſeundo detegã & patefaciã. Neq; verò hoc expectãdum tibi eſt, vt omnes formas errorũ comprehẽdam, omnia nomina authorum percurrã: neq; enim facilè dixerim inceptum hoc infinitum magis ſit, an infructuoſius: ſed eas ſolas, quæ in ipſum fidei textũ quaſi recta fronte impingunt. Credo igitur vnum deũ eſſe patrem & filiũ & ſpiritum ſanctum: Patrem, eo quòd habeat filiũ: & filiũ eo quod habeat patrẽ: ſpiritũ ſanctũ, eo quod ſit ex patre & filio procedens. Pater eſt ergo principiũ deitatis, & ſine vllo omnino principio, qui ſicut nunquã fuit, niſi deus, ita nunquã nõ fuit pater, à quo filius ineffabiliter natus, à quo ſpiritus ſanctus nõ natus, ſed procedens, quia ſpiritus non eſt filius: neq; ingenitus, quia non eſt pater: nec factus, quia nõ eſt ex nihilo, ſed ex deo patre & deo filio deus procedens. Deteſtor Sabellium, qui cõfundit perſonas: nec minus abominor Arium, qui diuidit eſſentiã, minorem patre blaſphemans filiũ. Alter

Nouatiani

Cyprianus

est enim in persona pater, alter in persona filius, alter in persona spiritus sanctus, qđ Sabellius non vidit, vna tamen natura in sancta trinitate deus pater & filius & spiritus sanctus, quod Arius non intellexit. Execrabilē affirmo Eunomiū, qui dissimilē per omnia patri filiū, & filio spiritum sanctū mentitur. Dionysiū damno, qui in trinitate filiū patri seruire contendit. Inter damnatissimos numero Manichæū, qui dei substantiam ex natura mali peruasam & permixtā esse phibet. Sceleratos duco Melitonem & Tertullianū, qui deum corporeum esse autumant. Respuo Vadianū, qui cognatione carnali deum fingit in similitudinis imaginis corruptibilis hominis. Penitus penitusq; abominor etiam illos Arianos, qui filium dicūt esse creaturam, spiritū verò sanctum creaturā creaturæ, hoc est, ab ipso filio creatū. Omnibus virib[9] Macedoniū execror & eius sectatores, vel eos qui dicunt spiritū sanctum esse creaturā, vel eos qui putant eum deitatem tantum esse patris & filij, nec vllam propriam habere substantiam. Perditis ascribo μεταγγ{ισ}ιστάς, qui afferunt sic esse in patre filium, quomodo vas in vase, quasi duo corpora carnaliter opinantes, ita vt filius intret in patrem, tanquā vas minus in vas maius. Vnde & tale nomen hic error accepit. Μεταγγονισμός enim Græcè dicit introitus vnius vasis in alterum. Cum Arianis Semiarianos maledico, qui putant filiū cum patre similis essentiæ esse. Credo vnum deū patrem & filiū & spiritum sanctū factorem esse cœli & terræ, visibiliū omnium & inuisibiliū. Detestabiles autem iudico Cerdonē & Marcionem qui duo principia sibi ignota introducunt, vel sibi contraria, vt Manichæus & Priscillianus: vel tria, vt Barbas, Sentianus & Theodotus, vel multa, vt Valentinus. Seleucum etiam & Hermiā inter maledictos deputo, qui elementorum materiā de qua factus est mundus, nō à deo factā dicunt, sed deo coæternā, nec animā deo tribuunt creatori,

Eunomius

Meliton.

Tertullianus.

Vadianus

Cerdon.

Martion.

Barbas.

Seleucus

Hermias

tori,ſed creatores eſſe animarũ angelos volunt de igne & ſpiritu,malũ autẽ aſſerunt eſſe aliquando à deo, aliquando à materia. Patritij vanitatẽ repello,qui ſubſtãtiam humanæ carnis nõ à deo,ſed à diabolo conditã dicit. Reiicio Coluthũ & Florinũ,quorũ,alter (id eſt,Coluthus) dicebat deum nõ facere mala,cõtra illud quod ſcriptum eſt,Ego deus creãs mala. alter verò (id eſt Florinus) econtrario dicebat deum creaſſe mala, contra id quod ſcriptũ eſt,Fecit deus omnia, & ecce bona valde. Ac per hoc quãuis inter ſe cõtraria dicentes,tamẽ ambo diuinis eloquiis reſiſtebant. Creat enim deus mala, pœnas iuſtiſsimas irrogando,quod Coluthus non videbat, non autẽ malas creando naturas atq; ſubſtantias, vbi Forin⁹ errabat. Abhorreo Priſcillianũ qui animas eiuſdem ſubſtãtiæ dicit eſſe cuius eſt deus,eaſq; per malignum principẽ ſeminari in corpora, quiq; aſſerit homines fatalibus ſtellis colligatos. Contẽno Paternũ,qui inferiores partes humani corporis non à deo,ſed à diabolo factas opinatur. Credo quia pater carnẽ nõ aſſumpſit,neq; ſpiritusſanctus,ſed filius tantũ,cum venit plenitudo temporis,vt qui erat in diuinitate dei patris filius,ipſe fieret in homine hominis matris filius,ſecundum veritatẽ naturę ex deo dei filius,& ſecundũ veritatem naturæ ex homine hominis filius,vt veritas geniti non adoptione,nõ appellatione,ſed in vtraq; natiuitate filij nomen naſcẽdo haberet,vt eſſet verus deus & verus hõ vnus dei filius. Profanũ ergo Neſtoriũ dico qui duas perſonas dei & hoĩs introduxit. Natus eſt enim de virgine deus,eo pacto quo cũ corpori naſci docet & anima,nõ quia vtriuſq; eſt vna ſubſtãtia,ſed quia ex vtroque fit vna perſona,non alius hõ corpus,& alius anima ſed vnus homo,corpus,& anima:ſic poſt partũ virginis, non alius dei & alius hoĩs filius,ſed idem & vnus Chriſtus,dei & hoĩs filius, & ſicut ĩ vno hoĩe aliud corpus aliud anima,ſic in vno mediatore aliud deus,& alius hominis filius,vnus tamẽ & idẽ (vt dixi) Chriſtus, dei & hoĩs

Patritius Romanus

Coluthus

Florinus

Priſcillian⁹

Paternus

hoīs filius. Credo igitur eū in vna persona manentē, in duabus verò naturis nō cōfusis, neq; cōmixtis in vnā naturā, sicut Eutyches blasphemabat. Abominabiles duco Apollinaristas, qui asseuerāt ipsum verbū ita carnē factum, vt in carnē cōuersum sit atq; mutatū, nō autem carnē de Mariæ carne susceptā. Inter maledictos pono Ebionem, qui ex viri coitu Christū natū esse audet garrire, eadē maledictione ferio Archemonē, Cherintum, Paulū, Photinū, qui Christū hoīem fuisse absq; deo asserunt. Sacrilegū duco Heluidiū qui ita virginitati Mariæ cōtradicit, vt eā post Christū alios etiā filios de viro suo Ioseph peperisse cōtendat. Proclianū scelestū habeo, qui Christum nō in carne venisse dicit. Detestabiles duco Marcionē, Origenē, Valentinū Martianū: Marcionem quidē & Origenē, qui Christū non ex virgine carnē suscepisse, sed de cœlo eā attulisse asseuerāt: Valētinum, quia nō veram carnē sed phantasticā habuisse opinatur: Martianū quia eum verā quidem carnē habuisse, nō tamē ex carne sumpsisse arbitrat. Cū perditissimis cēseo Apollinarē, qui aīam Christi absq; sensu & ratione fuisse phibet. In eorū grege deputo. Anomoeum, qui solam carnē absq; aīa Christū suscepisse cōfirmat. Habuit enim cū sua ratione aīam & carnē cū sensibus suis, per quos sensus veros in passione & ante passionē carnis suę dolores sustinuit. Dispereat Beryllus q sic eū ex virgine natū prędicat, vt & deitatis initiū homo nascēdo acciperet, quasi anteq̄ ex virgine nasceret, deus nō fuerit. Adoro Christū ad dexterā patris in carne sedentē, Seleuci & Hermiæ fabulosam impietatem declinās, q negāt eū in carne sedere ad dexterā patris, eaq̄ue se exuisse perhibent cum ascendit, eamq̄; in sole posuisse, accipiētes occasionē de Psalmo vbi legit, In sole posuit tabernaculū suū. Credo aīas humanas non esse à principio inter reliquas intellectuales creaturas neq; simul creatas sicut Origenes finxit, neq; cū corporib. p coitū seminari, sicut Lucifer & Cyril. affirmāt, sed corpus

Eutyches
Photinus
Beryllus
Hermias
Lucifer
Cyrillus

pus tamē p cõiugij copulā seminari, dei verò iudicio coagulari in vulua atq; formari, ac formato iam corpore aiam creari & infundi, vt viuat in vtero hõ, ex aia constans & corpe, & egrediat viuus ex vtero plenus hũana substãtia. Credo vnã tãtũ aiam in hoie esse, nõ duas, velut Iacobitę & alij Syrorũ phibēt. Cõfiteor vnũ baptisma in ecclesia, vbi vna fides est, & vbi in noie patris & filij & spũssancti dat: & ideò si qui apud illos hęreticos baptizati sunt, q in sanctę trinitatis cõfessione baptizant, & veniũt ad nos, recipiēdos fateor quasi baptizatos, ne sanctę trini. cõfessio vel inuocatio annullet, sed antè quo sensu sanctę trinitatis mysteriũ in ecclesia teneatur: & si cõsentiũt credere, vel acquiescũt cõfiteri, cõfirmãdos manus impositione. Si verò paruuli sint vel hebetes, respõdeāt p illis, q eos offerũt iuxta morē baptizãdi, & sic manus impositiõe & chrismate cõmunitos, eucharistię mysterijs admittēdos annuo. Illos autē qui nõ in sanctę trinitatis inuocatione apud hæreticos baptizati sunt, & veniũt baptizari, debere pnũcio rebaptizari. Neq; enī credendũ est eos fuisse baptizatos, qui nõ in noie patris & filij & spũs sancti, iuxta regulã à domino positã tincti sunt. Sua pnicie Donatus pereat, qui ab aliquo peccatore, licet in noie sanctæ trinitatis baptizatos, rebaptizãdos esse pditissimè litigat. Perpetuę dãnationi cõtrado Manichęum, Seleucũ, Hermiã, Proclianũ, qui baptismũ nihil saluti cõferre affirmãt. Nullũ catechumenũ absq; baptismo, quis in bonis operibus defunctũ, vitã æternã habere credo, excepto martyrio, vbi oia baptismi sacramēta cõplent. Indubitãter credo pœnitentia aboleri peccata, etiã si in vltimo vitę spũ admissorũ pœniteat, & publica lamētatione pdantur, quia ppositũ dei, quo decreuit saluare qđ perierat, stat immobile: & ideò, qa volũtas eius nõ mutat, siue ad emendationē vitę tēpus cõcedit, siue post supplicē cõfessionē cõtinuò vita excedit, venia pctõrum fideliter pręsumitur ab illo, qui nõ vult mortē pctõris, sed vt cõuertatur

Iacobitæ & Syri.

Donatus

Proclianus

tatur à ꝑditione pœnitẽdo, & saluatus miseratione dei viuat. Aeterna detestatiõe, Nouatũ, eiusq́; sequaces Nouatianos oẽs abominor, qui pœnitentiã denegãt, & secundas nuptias non admittũt. Pelagiũ, eiusq́; discipulũ Cœlestiũ execrabiles dico, q̃ liberũ arbitriũ sufficere asserũt ad implẽda mãdata dei, nec ad hoc dei gratiã nobis esse necessariã, cum ipsa veritas dicat: Sine me nihil potestis facere: quiq́; negãt paruulos scdm Adã carnaliter natos, cõtagiũ mortis antiquę prima natiuitate cõtrahere, vnde nec eos baptismo indigere ad soluẽdũ peccati originalis vinculũ. Cõfiteor carnis resurrectionẽ, & vitã æternã. Amen. Extra ecclesiã oĩno esse affirmo ꝑditissimos autores, Seleucũ, Hermiã, & Proclianũ, qui resurrectionẽ nõ putãt futurã, sed eam quotidie fieri in generatione filiorũ arbitrãtur. Elemẽta (.i. cœlũ & terram) nõ credo abolẽda per ignẽ, sed in melius cõmutanda. s. figurã mũdi .i. imaginẽ, nõ substantiã trãsituram. Nihil terrenũ, nihil trãsitoriũ in diuinis repromissionibus expecto, vt Melithus sperat. nõ nuptiarũ copulã, sicut Cherintus & Marcion delectant: nõ q̃d ad cibũ & potũ ꝑtinet, sicut Papias autor est & Irenæus: &, velut his Tertullianus & Lactãtius acquiescũt. Detestabilem iudico Nepotẽ hęreticũ, q̃ per mille annos post resurrectionẽ, regnũ Christi in terra futurũ garrit, & sanctos cũ illo in deliciis regnaturos, &c. æquè impia & sacrilega. Origenẽ cũ suis deliramẽtis profanũ iudico, q̃ restitutionẽ futurã fingit. s. vt dęmones vel impij hoĩes post multa annorũ curricula, illi (.i. dęmones) in angelicam, qua creati sunt redeãt dignitatẽ: illi verò (.i. impij) in societatẽ iustorũ reuocent: & ecõtra, iustos vice miserrima ad hęc mala denuò relabi & reuerti oporteat. Ego verò iusto iudici & piissimo retributori credo, qui dixit. Ibunt illi in supplicium æternum, isti verò in vitam æternam. Amen.

Nouatus

Melithus

Papias

Nepos

MEGINHARDI FINIS.

